

<36629936050018

CONSPECTUS HISTORIÆ UNIVERSITATIS VIENNENSIS,

Ex antiquis, veteribùsque Documentis erutæ,

Et

Ab An. M. D. LXV.

Usque

Ad An. M. DCC.

Deductæ,


Seu

SÆCULUM III.

A P. Sebastiano Mitterdorffer,
è Soc. JEsu, Philosoph. Viennens.
Professore

Conscriptus & editus,

An. Incar. Dom. M. DCC. XXV.



An. 1565.



QUas demortui superiori anno Ferdinandi I. exuvias tantisper in sacellum aulicum compositas meminimus, eædem anno hoc sub Augustum mensem eodem cum Augusta quondam conjuge tumulo condendæ, Pragam deductæ fuêre; adeò namque arcto vinculo vivos amor conjunxit, ut simul, etiam post fata quiescerent. Prius tamen, quàm Viennâ Augustum funus abduceretur, jussu Maximiliani Filii in Aulica primùm; dein in Divi Michaelis, ac tum Divi Stephani sacra æde optimo Principi ex ritu Ecclesiæ justa sunt persoluta, ad quæ honestanda præter Maximilianum Imperatorem Carolus Frater Archidux, Ferrariensis Princeps, Legati, utriusque Reipubl. Ordines, Religiosæ Familiæ, Clerus, atque Senatus, populusque Academicus confluxêre. Quinto Idûs Augusti longo ordine tristis urna extra Urbis portas, atque inde Pragam à Carolo Archiduce elata est, præmisso in Bohemiam Georgio Scherero Societatis JESU Sacerdote, qui funebri oratione Illustres demortui Cæsaris virtutes condecoraret.

Dum funebrem hanc pompam Augustis cineribus parabant, tres filii superstites paternam adiêre hæreditatem: Carolo eorum natu minimo Austriæ Interioris Provinciæ, Styria, Carinthia, Carniola cum Goritiensi Comitatu; Ferdinando secundo genito Exterior, ut vocant, Austria, Tyrolis, Alsatia cum annexis per Sueviam ditionibus obvenit; Maximilianus jam nuper Bohemiæ, Hungariæ, Romanorúmque Rex renuncia-

tus in Auſtriam, eadémque Regna, ac Imperium ſecundus ejus nominis Imperator ſucceſſerat. Nullam tunc Carolus; Ferdinandus Philippinam Welſerianam Patritii Auguſtæ Vindelicorum ordinis thori ſociam habebat, cujus rara oris gratia adeò illum cum Patre Auguſtana Comitia An. 1548. obeuntem cæperat, ut vel iratus Cæſar in oppugnandis Filii, quæ amor ſuggeſſit, conſiliis fruſtra eſſet; Philippinæ tamen artibus extinctam Patris gratiam ea lege Ferdinandus recuperavit, ut ſuſcepti impari ex eo matrimonio filii in Archiducum Auſtriæ nomen, hæreditatémque non ſuccederent. Maximilianus denique multa prole maſcula, Rudolpho ſcilicet, Erneſto, Mathia, Maximiliano, Alberto, ac Wenceslao Archiducibus, ex Maria, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Sorore, felix, non interituræ lineæ ſuæ ſucceſſionis ſpem amplam faciebat.

Auſtriam tam numeroſa Cæſaris prole beatam gravior calamitas perturbavit; quòd nobiliſſimas haſce ditiones Lutheri dogmate mediam ferè partem infectas cerneret; augebat dolorem de Maximiliano nondum Rege Romanorum rumor, quo Princeps Catholicus magis, quàm par erat, Lutheranis indulgere ferebatur: horum namque ex Hiſpaniis redux quotidiana in conſuetudine adoleverat; Pædagogo altero, altero Verbi Miniſtro Sebaſtiano Pfauſer, utroque Lutherano multùm temporis uſus; ut vel ea ex cauſa electionem Maximiliani in Romanorum Regem Summus Pontifex Pius IV, teſte Pallavicino, ratam habere diu cunctaretur; renunciatum tamen Imperatorem eum habuit avita religio, ut oraculo ejusdem Pontificis, quod perſpecta intimiùs Maximiliani pietate, optimáque indole ediderat; *Sibi nempe ſpem eſſe minimè dubiam, Maximilianum, ut jam Paterni hæredem Sceptri, ita deinceps & pietatis fore; eſſe hunc natu majorem prudentiâ, liberalitate, animi magnitudine, clementiâ, doctrinâ præſtantiſſimum ſucceſſorem*, omnino reſpondere videretur.

Prin-

Principem hujusmodi illuſtrem dotibus annus hic haud dubiè exigebat, quem Joannes Sigismundus Tranſylvaniæ Princeps bello inſignem fecerat. Is poſtquam An. 1556. Solymanni tutelæ ſe, ditionémque ſuam commiſerat, Regios titulos, Hungariámque invaſit; abruptas quidem Ferdinandi morte inducias cauſabatur, at veriùs populandi licentiâ, pactísque Turcarum ſubſidiis ſtimulatus novum id bellum excivit. Collecto igitur extemporaneo exercitu in hoſtem miſſus Lazarus Schwendius Dux fortis, & felix, ac pluribus jam à Caroli V. tempore victoriis inclytus, ea celeritate, & prudentia hoſtem occupatis jam in ſuperiori Hungaria oppidis expulit, ut ſpes certa foret ſuâ quoque pellendum Joannem Tranſylvaniâ, niſi inſtituta ad Cæſarem à Solymano, Melitenſe bellum adornante, pacis nundinatio proſperum victoriarum curſum ſtitiſſet. Meminêre Acta Prioratûs Ducalis Collegii de expeditione illa: *Ter mille veteranos milites ex Imperio vocatos, cùm 30. Junii Viennam attigiſſent; Cæſari, Aulicisque præbituros ſpectaculum militari ordine à Rubra Porta in Palatii Cæſarei forum eſſe deductos: at cùm Acatholici eſſent plerique, quemdam eorum inſaniâ actum, exoneratâ in proſpicientes è feneſtris fiſtulâ, virum è Saxonia avita nobilitate celebrem Pflugium proſtraviſſe.*

Hæc dum ab obitu Ferdinandi domi, forísque geruntur, Univerſitas à novo Auſtriæ Principe, ex Statuto Alberti III. Archiducis, privilegia, immunitatésque ſuas confirmari poſtulat; adjecto altero libello ſupplici: mandaret Cæſar, ut penſiones à Prælatis per Auſtriacas Provincias accuratiùs Academico ærario perſolverentur. Impetratum utrumque eſt; literis eo ſuper negotio, & ad Prælatos Auſtriæ, & ad Carolum Archiducem exaratis; anno verò inſequenti 31. Septembris confirmationis Diploma confectum. Iſtud non dudum ante literæ aliæ ad Facultatem Juridicam præceſsêre, cui ſeveriùs injunctum; reformationi Ferdinan-

dinandeæ An. 1554. editæ juris tradendi rationes extemplò conformaret.

Ex binis, quas Societatis Patres in Universitate habuêre Theologicas prælectiones, una anno hoc Cæsaris jussu Dionysio Pioppio Madrusiensi in Hungaria Episcopo, natione Italo Mutinensi, collata est; ut scilicet Episcopatu, bonísque bello Transylvanico exutus Lectionis illius stipendio vitam comodiùs toleraret, augeretúrque simul viro clarissimo Facultas Theologica. Plurimis is benevolentiæ indiciis in Facultatem receptus, sub hujus ipsius anni autumnalem mutationem, ac iterum An. 1567. Academici Magistratus fasces accepit.

Adhæc Societatis hominibus Convictorum quoque domum à Ferdinando I. Cæsare traditam Maximilianus ademit. Steterat illa in Collegialis Societatis JESU templi, quæ nunc Domus Professorum est, vicinia, olim pro erudiendis Nobilium Provinciæ Austriæ liberis erecta; Verùm his ad domum Provincialium Scholarum Cœnobio Prædicatorum adsitam prope Ducale Collegium translatis, ferme diruta in potestatem Doctoris Schraucii devenerat: Eam tandem 2600. florenis sex abhinc annis Ferdinandus redemit, restauratámque An. 1560. Societati eo fine utendam tradidit, ut in ea Magnatum Austriacorum liberi & exciperentur victu, & literis, pietatéque Christiana informarentur. At quòd Nobilium Austriacorum plerique Lutheri dogmata altiùs animo immisissent, nec facilitate victûs, nec literarum opportunitate, Principísve liberalitate adduci unquam potuerunt, ut liberos suos in Religiosorum traderent disciplinam; qua de causa domus illa ferè solis exteris ex consensu Ferdinandi Cæsaris patuit, magno numero, ac præprimis Alumnis, Mœcenatum liberalitate victitantibus, Maximilianus igitur repetitis Nobilium Acatholicorum precibus compulsus, ne domum illam, quam

quam Auſtriacæ Nobilitati Pater erexerat, exterorum habitationi concederet, additis promiſſis, ſe eam in domum liberos ſuos daturos, modò Jeſuitarum directioni nè ſubſint, néve eorum Scholas adirent, habitatione illa Societatis Præceptores cum inquilinis omnibus anno hoc cedere juſſit. Quæ res magno ſanè optimæ & florentiſſimæ juventutis detrimento accidit; dum, quòd Societati domo alia hoc tempore potiundi ſpes eſſet omnis præciſa, aut hæreticorum adire Convictus, aut literis valedicere cogeretur. Exceſſit ea occaſione Convictorum Domo cæteros inter Stanislaus Koſtka è Senatoria Polonorum familia, binos poſthac annos Societatem Jeſu ingreſſurus, ac olim Sanctis adſcribendus. Pauculi alii è Collegio illo ad novum aliud Seminarium abducti fuêre adoleſcentes, nullo ſperatæ rei eventu; quandoquidem rurſus Provinciales in domum jam à Jeſuitis liberam liberos ſuos mittere detrectarunt, ut eam omnino venalem aliis proponere fuerit neceſſe.

Extulit ſub hæc duo ſuorum funera Univerſitas: primum erat Sigismundi Seldii J. U. Doctoris, & trium Imperatorum nempe Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. Conſiliarii, poſtremis duobus etiam à cancellis. Is 26. Maji ab æſtivali Palatio, quod nunc antiquam Favoritam nuncupamus, peracto munere, Joanne Zaſio comitante, redux, ferocientibus equis è curru ita excuſſus, ut in loco expirârit: *tantus ob viri tanti jacturam luctus Viennenſes invaſit*, ùt quemadmodùm Acta Prioratûs Ducalis Collegii referunt: *majorem Vienna non viderit, & Maximilianus Cæſar dixerit, ſi qua ratione ad vitam revocandus eſſet, duas thonnas auri libenter numeraturum.*

Alterum Wolffgangi Lazii Viennenſis; quo viro Academia nihil unquam habuit celebrius; cui hiſtoriæ ſtudium, omnigenæ eruditionis conſequutio, monumentorúmque poſt ſe relictorum præſtantia (tametſi in non paucis non ſua voluntate, ſed veterum Scrip-

torum confusione à vero aberret) immortalis nominis gloriam peperêre. Professus is primùm in Academia Nostra Artes Liberales: dein Medicinæ Doctor creatus eandem per annos complures summa dexteritate tradidit: Cæsari à Consiliis adeò ei probabatur, ut commissâ ejusdem Curæ Bibliothecâ Historicum Cæsareum nominârit. Annis 1546. & 1560. Universitati Rector Magnificus præfuit. Sublato verò è vivis Joanne Gösl, ab Anno 1562. Cæsarei, ùt ajunt, Superintendentis munus de literaria Repub. optimè meritò fuit delatum. His summa cum laude gestis muniis vivere desiit 20. Junii. Virum hunc in tot industriæ suæ monumentis superstitem ab ætatis nostræ Scriptoribus passim vapulare jure indignamur, tanquam Summa Criticæ in eo esset, ut quis Lazio errores affingat, aut quibus est lapsus, ludicro quovis modo pertexat, eorum ratione non habita, in quibus eruditis egregiè comodat. Opera, quæ ab eo edita extant, sunt: *Commentarii Reipub. Romanæ in exteris Provinciis constitutæ. De rebus fortiter gestis à Ferdinando Rom. Rege. De aliquot gentium migrationibus, sedibus fixis, linguarum Dialectis, & Prosapiis nobilioribus lib. 12. Conjuratio Smalkaldensis. Alvearium Antiquitatis, seu imagines & numismata antiqua. Liber solemnitatum trium coronationum Imperatator. Maximiliani II. De Urbe Viennensi lib. 4. Chorogragraphia Hungariæ, & Austriæ ære calata; cui accessit Epitome Austriacorum Principum. Duplex Chorographia Græciæ ære sculpta, cum Heroum, & insignium expositione locis Poëtarum adductis. Chorographia Castrametationis Hungariæ adjecta rerum gestarum serie. Opusculum Vaticiniorum, & ex vetustis Authoribus Abdias, qui Apostolorum Historiam, cum Christum in carne vidisset, conscripsit. Sulpitius item Severus, qui Divi Martini res gestas luculento sermone annotavit, Alcimus Avitus Poëta de virginitate, & antiquitate insignis Vestalium Instituti, ac tandem Honorius de imagine Mundi.*

Hui

Huic in Superintendentis munere substitutus est à Cæsare dato super ea re 9. Novembris anno hoc eodem ad Universitatem Decreto Sigismundus ab Oed J. U. Doctor, & Excelsi Inferioris Austriæ Regiminis Consiliarius, qui mox à suscepto munere Commissarios ab Universitate deputari postulavit, qui ejusdem Universitatis Fundationúmque monumenta, quæ etiamnum in domo decessoris servabantur, conscriberent, Universitatis dein Tabulario restituenda.

Hoc pariter anno industria P. Michaëlis Spessii Societatis JESU, pietate Joannis Bapt. Costæ Genuensis, & Christophori Pezzanæ Pedemontani, Italorum Sodalitas sub titulo Charitatis sua posuit fundamenta, eo Societatis JESU Collegii loco, qui ejusdem triclinio adhærebat. Huc illi Missæ Sacrificio interfuturi, útque Dei verbum exciperent, confluebant. Ea temporis successu institutum hoc sumpsit incrementa, ut inter plurimos illi Cœtui adscriptos, non pauci sanguinis prærogativâ clarissimi numerarentur, qui tum infirmis, cùm egentibus vitæ, animæque subsidia non mediocria conferrent; Gregorius XIII. Summus Pontifex anno 1573. hoc de Instituto à Patre Magio, Societatis JESU per Austriam & conjunctas Provincias tum Præposito, certior factus, amplis Indulgentiis id locupletavit. Et licèt subinde hæc Sodalitas variis ex causis veteri hoc sub nomine penè desierit, novis tamen sub legibus, in eodem, quo primùm erecta est loco, & pietatis, & virtutis splendore etiamnum viget quàm maximè.

Cum fine anni hujus vitam quoque finiit Pius IV. vel ex eo de Ecclesia universa optimè meritus, quod revocato Tridentum Concilio, postquam id toties cœptum, iterúmque intermissum fuisset, felici tandem fine coronârit. Obiit diem supremam post pientissimè à Sororis filio pientissimo suscepta Ecclesiæ Sacramenta 5. Idus Decembris. Ei anno insequenti 7. Januarii præter omnium expectationem, inid maximè

Cardinali Carolo Borromæo operam conferente, communi omnium consensione suffectus Cardinalis Alexandrinus, Ghislerius, ex sacra Prædicatorum Familia, qui in memoriam Decessoris, oménque pietatis, se Pium V. nominavit, palámque fecitomnino ejus vitæ Sanctitas; Papam sanctum à sancto Cardinale fuisse designatum.

Ab An. 1566. usque ad 1568.

Cùm de pace Maximilianum Cæsarem inter, Transylvaniæque Principem haud conveniret, perspicerétque Cæsar bello Turcico in gratiam beneficiarii Principis suscepto Hungariam miserè involvendam, Augustam Vindelicorum ad indicta Comitia, subsidium ab Imperii Ordinibus postulaturus, profectus est, Carolo fratri commissâ provinciâ: tantùm vectigalis à singulis Inferioris Austriæ familiis, quibus ex proventibus annuis centum florenorum æs obveniret, exigeret, quantùm ad armandum equitem pertineret; ad reparanda Viennensis Urbis mœnia, assignatis diebus, ii, qui Viennæ, & in suburbiis domos haberent, operas submitterent, ex domo quavis quintus, decimus, & trigesimus Marti adlectus proprio ære in annum militatret. Ab his belli oneribus nec Universitatis membra, quibus stabilia forent bona, licèt privilegia sua obtenderent, communi urgente necessitate voluit exempta, iis dumtaxat exceptis, qui prælegendis lectionibus occupabantur.

Nec cœlestia prætermissa sunt subsidia: publicato è cathedra Cæsareo mandato: quotidie sub horam septimam matutinam per medium saltem horæ quadrantem majore ad D. Stephanum ære campano signum daretur, ad quod omnes, quocumque demum consistant loco, in genua provoluti, secundos Christianis armis eventus à Divina clementia exposcerent; non observantibus gravissimæ, exilii etiam, pœnæ severissimè decretæ; ad hæc sexta quaque feria sacro è sugge-

stu

ſtu per Urbis Eccleſias ad implorandam Divinam opem, expiandáſque conſcientias Urbs moneretur, ne ſeveriorem Dei vindicis manum in ſeſe provocaret. In eandem ſententiam decreto ad Univerſitatem relatum, ut eadem pietatis ſtudia ſuis â membris procuraret.

Et advolaverat jam menſe Junio Solimanus poſt infelicem ſuperioris anni Melitenſem expeditionem, devaſtatámque Inſulam Chium, ad preces Joannis Tranſylvani, Sigethum paludibus, quibus cingitur munitiſſimum, expugnaturus; morâ, quam ei Dravi trajectio objecerat, ponte à Baſſa Quinque-Eccleſiarum 12. dierum intervallo, impoſitô, remotâ oppidum illud ſexta Auguſti arcta cinctum obſidione: ad quam avertendam, ſolvendámve Viennâ 15. Auguſti ad exercitum, è Bohemis, Italis, Germanis, voluntariiſque non paucis ex Gallia Principibus conflatum, ac prope Jaurinum caſtra metantem, cum Ferdinando fratre, quem Copiarum Ducem nominavit, Cæſar Maximilianus moverat. Et poterat adversùm ducentorum millium hoſtem, â viribus, animóque non imparibus Chriſtianorum Copiis bellum haud infeliciter confici, niſi hærentibus ad Jaurinum caſtris, ut ſuſtinerent potiùs, quàm inferrent bellum apparatus omnis diffluxiſſet, Capto 7. Sept. armata manu ab hoſte Sigetho. Tametſi nec Turcis incruenta ea victoria; nam præterquam, quod triduô ante, quàm id in eorum veniret poteſtatem, Solimanus Turcarum Imperator in Caſtris mortem oppetiiſſet, propugnabat arcem illam inaudita fortitudine, & conſtantia Comes Nicolaus Zrinius cum duobus millibus, & quingentis præſidiariis, nec priùs hoſti cætera jam tenenti interiorem arcem occupandam reliquit, quàm, cum reſidua adhuc præſidiariorum manu in conſertiſſimum hoſtem irruens, editáque ingenti ſtrage, glorioſa pro Patria victima cecidiſſet, toto illo obſidionis tempore 30000. Turcarum deletis. Sigethum Giulæ deditio ad Tranſylvaniæ fines conſecuta, ignavè eam Ladislao Ke-

 reczenio

reczenio propugnante, qui subinde ab ipsis Turcis Constantinopoli perfidiæ suæ pœnas luit. Solimano, cujus mors hucusque nondum innotuerat, Selimus filius, Constantinopolim primùm, & inde ad Castra evocatus, in Imperio successit. Belli hujus res gestas Historiâ complexus est Joannes Sambucus, Artium, & Philosophiæ in Universitate nostra Magister, & Historicus non ignobilis, etsi cæterùm homo Lutheri dogmatibus depravatus.

Redux Viennam ex minùs felici in Hungariam expeditione Maximilianus Cæsar, ut anno sequenti majoribus in hostem viribus moveretur, Inferioris Austriæ Status ad Provincialia Comitia convocavit. Convenêre ad 24. Novembris frequentes; non alia tamen lege polliciti subsidia heterodoxi Ordines, nisi Cæsar Jesuitas, quos juratos sectæ suæ hostes noverant, Austria tota amandâsset, liberúmque Augustanæ, ùt vocant, Confessionis, exercitium publico diplomate indulsisset. Ad hæc Cæsar: se non eos Religionis, sed subsidii adversùs juratum Christianitatis hostem, obtinendi causa accersivisse; quare id agerent, quod à Christianis subditis jura, legésque exposcunt. Adpromisêre illi tandem habita cum Catholicis Statibus deliberatione florenorum centum triginta millia in annos belli Turcici singulos: qui annuis ex proventibus centum numeraret florenos, equi unius bellici sustentationi; cui verò amplior res domestica, pluribus ad tres menses sustentandis, prospiceret; demum, si Cæsar ipse ad tutandos Austriæ fines proficiscatur, eum ad conflictum quisque decimus-quintus; si verò ad arcendum aliis à ditionibus hostem, quisque Austriacorum trigesimus ad bellum sequeretur. In præmium tamen ejus subsidii cùm Acatholici Ordines iterum apud Cæsarem Religionis suæ libertatem efflagitarent, responsum accepêre: se cuique, qui aliam, quam quæ à se coleretur, Religionem sequi vellet, divenditis bonis aliò com-

commigrandi potestatem facere. Atque ea ratione eorum postulatis silentium, finisque tum quidem impositus.

Quo difficiliores, nisi Religionis obtenta libertate, ad belli subsidia Provinciarum, Regnorúmque suorum Acatholicos Ordines Cæsar animadvertit, induciarum cum Turca mentionem tantò promptiùs admisit: pactæ illæ An. 1567. iis præcipuè conditionibus, quæ etiam Joannem Transylvanum obstringerent ad octennium; singulis partibus ea possidenda remanerent, quæ bello hoc parta sunt; quod Maximiliano magno vertit emolumento, ut qui per Schwendium plurima in Superiori Hungaria, & ad Transylvaniæ fines loca occupârat.

Sub his ipsis bellorum motibus quamvis Universitas à communibus oneribus non omnino foret exempta, haud mediocriter tamen ejusdem ærarium ex censu apud Ipsense Telonium, ac Prælatorum contributionibus, quæ efficaci Cæsaris ex mandato, anno hoc perquàm accuratè persolvebantur, accreverat; quod ut Universitati majori commodo cederet, florenos mille Cæsar ab eadem sibi voluit elocari, centenis singulis, pro censu quinque fl. assignatis, dein etiam ad Universitatis ærarii incrementum quinque aliis in modum gratiæ in perpetuum persolvendis.

Anno 1567. 11. Decembris diem supremam clausit Leonardus Villinus, seu Höfler, Styrus Leibnicensis ad D. Stephanum Canonicus, Theologiæ Doctor, ac ejusdem per annos complures in Universitate Professor primarius, tertiúmque ea ex Facultate Rector Magnificus. Is tumulô in D. Stephani Basilica mandatus fuit relicta post mortem Leibnicensium stipendii fundatione, quam adjectis ad Kilberianum stipendium 200. florenis in vivis anno ferè 1567. erexerat, testamento confirmatâ. Ejus ab obitu *prima Theologica lectio, vicario solùm nomine*, ùt Universitatis Acta loquuntur, *ulteriorem Cæsaris dispositionem exspectando*

R. P.

R. P. Antonio Hrosupto ex sacra Prædicatorum Familia, Theologiæ Doctori collata est.

An. 1568.

QUam anno ab hinc altero Lutheranæ sectæ libertatem constanter denegârat, eandem anno hoc mense Augusto Acatholicis primùm Austriæ Ordinibus, restrictam tamen, certísque alligatam conditionibus, in gratiam expuncti ab illis æris alieni bello Turcico contracti, Maximilianus indulsit. Confecta inde in Acatholicorum Comitiis Religionis Protestantium Austriæ formula, ad quam conflandam Seni ex Austria Ministri; bini aliunde, Joachimus nempe Camerarius Lipsiâ, David Gythræus Rostochio convocati. Rescissam tamen mox à Cæsare concessionem hanc ad Pontificis, Regísque Hispaniarum Philippi II. adhortationem in Pii V. vita scribitur. Hadrianus verò l. 10. solùm dilatam affirmat; id certum, eâ Religionis libertate concessâ, haud paucos de Universitate, quæ hactenus majori parte ab ea lue immunis perstiterat, ùt ùt sub cineribus glisceret, Lutherana dogmata palam esse professos.

Ad eadem nomina belli tempore contracta expungenda cùm Cæsar in singula Capita censum Viennæ, & per Austriam indixisset, Universitati quoque Decreto injunctum, ut singuli Decani suarum Facultatum membra singula, excepto nemine, cum eorum familiis, si quas haberent, officiis, ac singulorum conditionibus conscriberent. Præstitêre illi imperata, ac 12. Julii Locumtenenti Catalogum suorum tradidêre: ea tamen, ùt Acta Universitatis habent, Principis in eam aliunde exemptam fuit clementia, ut motu proprio ejusdem membra ab indicto illo censu immunia omnino voluerit, decreverítque.

Leonardum Villinum anno hoc 11. Junii in meliorem vitam secutus est Ambrosius Salzerus Soproniensis, ad S. Stephanum Canonicus, Religionis avitæ strenuus

nuus propugnator, ætate nonagenarius, & totius Universitatis eo tempore Senior. Natus is erat in Hungaria egenis, piis tamen parentibus: ut studiis Viennæ vacaret, in Bursa Rosæ Alumnorum agebat mensæ ministrum, eo literarum profectu, ut An. 1519. licentiam in Theologia assequeretur. Artes subinde Theologiámque per annos ferè 42. summa cum laude in Universitate professus, Academicos fasces quater gessit. Beneficii in Bursa accepti memor, duo egenis Scholaribus stipendia, unum adhuc in vivis, alterum testamento legavit.

An. 1569.

DEfuncto nuper Universitatis Cancellario, & ad S. Stephanum Præposito, Mathia Wertwein, Theologiæ Doctori, anno hoc ex Cæsaris voluntate suffectus est Michael Eccius; quo nondum à Sede Apostolica confirmato, cùm Theologorum promotio instaret, à Decano, & Facultate Theologica, ùt ejusdem annales referunt, Nuncio Apostolico, tunc Posonii apud Cæsarem degenti, supplices missæ sunt literæ, impetratáque muneris Cancellarii fungendi copia: eos subinde publico in Auditorio 11. Octobris Adalbertus Bauzeck Societatis Jesu præmissa juxta Bullam Pii V. An. 1564. editam, fidei professione Theologicis insignibus ornavit.

Instabat inde 13. Octobris novi Rectoris Magnifici ex Facultate Theologica tunc deligendi creatio; at ob virorum defectum, qui ex eadem Facultate id muneris cum dignitate sustinerent, in Rectorem Magnificum communi Procuratorum suffragio renunciatur Georgius Eder, J. U. D. & Sac. Cæs. Majest. Consiliarius; qui ubi id officii, nisi priùs Theologica in electionem consensisset, à se deprecaretur, Facultas per suum Decanum eidem, & de Facultate Theologica, & de tota Universitate meritissimo hunc honorem detulit, & electionem ratam, gratámque habuit.

Ut autem ad eandem Facultatem, quatuor tantùm sub hoc tempus membris constantem, amplior fieret accessio, eorundem in Conventu 17. Octobris sancitum; ut ob Doctorum paucitatem, Theologiæ studiosi quoque, & Baccalaurei ad Congregationem admitterentur, idque toties fieri posset, quoties Facultatis Doctores quinarium numerum non excederent; ac proinde ipse etiam Magnificus Rector Theologiæ olim Auditor; M. Gregorius Lamberti, ac M. Andreas Khek, ejusdem Baccalaurei, vocati sunt: imò eodem in Conventu in ejusdem Facultatis Decanum, Theologiæ Baccalaureus electus fuit, idem nempe M. Gregorius Lamberti Scepusiensis, Xenodochii Civici Parochus.

Hæc Baccalaurei in Theologiæ Decanum electio, Medicam, Juridicámque offenderat, eam adversùs Universitatis Jura factam clamitantes; certè priorem ante se locum utriusque Decani Theologo Baccalaureo concedere detrectabant. Ad Cæsarem igitur Theologicæ Facultati supplici Libello per Joannem Zasium oblato fuit recurrendum; quo & litem hanc, & alia, quibus gravabantur, onera exposuit. Annuit clementer Facultatis petitis Cæsar, misso desuper ad Senatum Academicum decreto, quod Theologicum Chronicum fusiori calamo recenset.

An. 1570.

AD hunc usque annum Grammaticis ferè solùm Literis, in Societatis Collegio juventus instituebatur; cùm anno hoc ab Excelso Regimine, Archiducis Caroli Austriam in Cæsaris absentia moderantis voluntate, altiores Scholas aperiendi facta est potestas. Nona igitur Januarii Theologia, Philosophia, Rhetorica, ac Poësis cœpit doceri, quibus tamen Mense Augusto grassante Viennæ lue pestifera, utì & aliis in Universitate studiis, supersedendum fuit, forésque claudendæ.

Haud

At haud modicis apud Cæsarem querelis Senatus Civicus egit, Academica membra majori in copia vinum invehere in urbem; Universitatis privilegii ab Alberto III. concessi, ac nuper à Ferdinando I. confirmati prætextu; quod, cùm haud in leve ærarii publici detrimentum eveniret, ageret Imperator, & Universitati privilegium adimeret. Abusum, non privilegium tollendum Cæsari visum: Edictóque 10. Januarii anni hujus 1570. cautum: tantum dumtaxat vini ab omni telonio immunis invehere Academicis liceret, quantum in quotidianos usus deserviret, si verò amplius quid, sive ex propriis vineis, sive aliunde comparatum introducturi essent, vectigal præstarent.

Alias Procuratorum electio turbas excivit: cùm enim in æstivali mutatione festo SS. Tiburtii, & Valeriani fieri solitâ, Austriacæ Nationis Procurator è Theologica Facultate juxta Universitatis statuta foret eligendus, hac à conspirantibus Acatholicis membris præterita, Magister Cornelius Grienwaldt, Austriacus Waidhofensis sectarius, & à Catholicis sacris perquam alienus, qui superiori anno eadem in mutatione æstivali ex Facultate Artistica Rectoris Magnifici munus acceperat, Procurator renunciatur. Hanc contra electionem Theologiæ Decanus Laurentius Zadesius ad S. Stephanum Canonicus palàm reclamavit, Universitatem cohortatus; ne Academica statuta, & recens Maximiliani Cæsaris Decretum adeò impune infringi pateretur: videret insuper, quid ageret, dum hominem Acatholicum, qui, dum Rectoris fungebatur munere, non nisi severissimis comminationibus adigi potuit, ut Corporis Christi processioni interesset, ad Academicas dignitates eveheret; jam ex eo ab Artium Facultate nec Decani aptum muneri judicatum. Movit hæc Oratio Nationem Austriacam, ut rursùs in circulum reduces novis suffragiis Antonium Hrosuptum Ordinis Prædicatorum Theologiæ Doctorem, frustrà

recla-

reclamantibus Antiromanis, Procuratorem Austriacum renunciarent.

An. 1571.

FActa superiori anno, non contra jus modò, sed & hominis ad hoc à Religione avita alieni, in Procuratorem Austriacum electio, Facultati Theologicæ, quæ numero quamvis exigua, rem tamen orthodoxam ferè una ex Universitate procurabat, non levem incusserat metum, nè proxima æstivali mutatione, heterodoxorum votis is ipse Cornelius Grienwaldus è Facultate Artium Rector Magnificus designaretur. Malo illi, ut præveniret, ad Cæsarem, tum Pragæ morantem, iterum recursum: authoritate caveret sua, nè quis, labente ut minimùm æstate, Rectoris munere fungeretur, quin supplicationem Theophoricam, ùt Universitatis statuta exigunt, comitaretur, quemadmodum paucis jam abhinc annis impunè id factum esset. Ut hæc Jure postulabantur, ita eam in rem pronus erat Cæsaris animus, cùm Pragâ ad suum literariis in rebus Superintendentem sequentes literas expedivit:

Dem Ehrsamen, gelehrten, Unserm getreuen, lieben Sigmunden von Oedt, der Rechten Doctorn, unsern Nieder-Oesterreichischen Regiments Rath, und Superintendenten unser Univetsität zu Wienn.

MAximilian der Ander von Gottes Gnaden erwählter Römischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer desß Reichs, &c. Ehrsamer, Gelehrter, Getreuer, Lieber. Nachdem Wür Bericht, das die Election, und Wöhlung eines Neuen Rectors bey Unser Universität zu Wienn bevorstehet, so bevelchen Wür dir genediglich, dass du bedacht, und geflissen seyst, die Sachen dahin zu richten, und anzustellen, damit die Erwählung eines künfftigen Rectors ermelter Universität haben-

benden Statuten gemäss beschehe, und zu anzogenen Rectorat ein solche Persohn genomen, gebraucht, und befürdert werde, welche sich in allen Dingen, sonderlich aber in den Publicis actibus bemelten Statuten, und dem bey solcher Universität, und desselben Rectorat altherkomenen Gebrauch gemäss verhalte, und sich dessen nicht widere, was auch hierauss erfolgt, und wider die Sachen verricht, das wöllest uns hernach berichten. Daran thuest du Unser genedige, und gefählige Mainung.

Geben auf Unsern Königlichen Schloss zu Prag den heiligen Antlass Abend. Anno &c. im 71. Unserer Reich dess Römischen in 9ten, dess Hungerischen in 8ten, und dess Behaimischen in 23ten.

Maximilian

Ad Mandatum S. Cæs. Maj. proprium.

Joan. Bapt. Weber &c.

W. Unverzagt mpp.

Adjecit his & alias ad eundem Wolffgangus ab Unverzagt Cæsari à secretis, quibus, quo pacto Imperatoriæ accipiendæ essent, luculentiùs declarabat:

Dem Edlen, und Hochgelehrten Herrn Sigmunden von Oedt der Rechten Doctorn, der Röm. Kayserl. Maj. &c. N. Oe. Regiments-Rath, und Superintendenten der Universität zu Wien, meinen grossgünstigen Schwagern.

Edler, und hochgelehrter, grossgünstiger Herr Schwager. E. Hr. sind mein vermüglich willig Dienst zuvor. Vnd wisse demselb Ihrer angehörigen gesund gern.

Nachdem E. Hr. bey diser Post ein Kayserl. Schreiben per Rectorat zu datiret wurde, wolt ich E. Hr. nebst disen mündlichen Bericht geben, dass Ihro Kays. Maj. *zu solchen Rectorat ain Cath[...]ische Person* befür-

dert haben vvollen, vvelche sich nit (vvie bisshero vil lmahlen beschehen, der offentlichen Actis, als der Proc essionen an den hohen Festen, sonderlich an dem Gottes Dienst Fronleichnambs Tag; Item den Gottes-Dienst bey den Thumstifft solemniter zu besuchen) weigern, und äusseren. Vnd ist in Kays. Schreiben auf die Statuta, die dan die Catholische Religion mit begreifft, gang worden. Werden also E. Hr. darauf zu gedencken haben, und der Sachen wider aufs beste zu thuen wissen &c. Damit E. Hr. und die ihre dem allmächtigen GOtt befolchen. Vnd ich bin der under dienst willige. Datum Prag den H. Antlassabendt Anno &c. 71. umb 5. Vhr abendts.

E. Hr. W.

W. Unverzagt mpp.

Novi item hoc anno Testamenti Lectio Societatis Doctoribus, confecto hac super traditione Pragæ 12. Martii Imperatoris Decreto, restituta est, cùm ab iisdem in gratiam Pioppii Mad usiensis Episcopi, Anno 1568. Majorem Agriæ Præposituram commendatitiis Cæsareis obtinentis, ablata esset. Bini pro nde rursus de Societate Theologiam, præter illam, quam suo in Collegio, privatis velut in Scholis, tradebant, publicè profitebantur. Hi fuêre Jacobus Gordonus, & Petrus Rhegius; quorum postremus subrogatus erat defuncto Mense Maji Patri Adalberto Bauzeck S. J. Viro, cui, Georgio Edero teste, Theologia, multùm eo tempore periclitata, ac penè collapsa, conservatam se, restauratámque potissimùm debuit.

Hi in Societatem favores cùm à Cæsare conferrentur, Universa Facultas Theologica id quoque habuit singulare, quòd non modò suum in Decanum elegerit, Magnificum, ac Illustrem Dominum Joannem Georgium Ederum. J. U. D. & S. C. M. Consiliarium; sed & eundem, cùm sub Decanatu suo Baccalaureus Theologiæ crearetur, in mutatione subinde autumnali, Do-

ctoris

ctoris Theologiæ loco, Rectorem Magnificum nacta sit. Dabatur id à Facultate hac viro, & de se, & vel maximè de re Catholica, quàm optimè merito; nullâ habitâ ea de causa super defectu Clericatûs, aut temporis continui expletarum lectionum, ratione.

Dum literariæ hæc Reipublicæ geruntur commodo, civilem majori longè gaudio affecit de insigni illa ad Echinadas Insulas à consœderata Christianorum classe, *Duce Joanne Austriæ*, ac precibus Summi Pontificis *Pii V.* à Turcis relata victoria, quâ unâ insolentissimi expugnatam post Cyprum Selymi fastus repressus. Cæsa ferebantur cum Duce suo Hali Bassa Barbarorum 30. millia, ter mille super quingentos capti: vindicati è jugo Christiani 3486. naves victoribus obvenêre nonaginta, & centum; octoginta vel flammis haustæ, vel undis, non nisi viginti fugâ dilapsis. Habitæ ob commune hoc, ac insigne Christiano orbi beneficium solemnes Deo gratiæ, quæ celebriores ut essent, Illustrissimus ipse Cardinalis Commendonus, Vaticanus tum Nuncius, peractis sacris, ac decantato Ambrosiano hymno Eucharisticum sub umbella Numen deferens, supplicationem per Collegii Societatis ambulacrum duxit, Episcopo Posnaniensi, Legato Veneto, ac Florentino, totáque Urbe Catholica subsequentibus.

An. 1572.

INdulserat nuper Maximilianus, injuriæ temporum nonnihil cedendum ratus, Religionis Augustanæ libertatem quandam, indulto ad Status, minimè verò ad promiscuam hominum conditionem pertinente. Sed plus sibi semper malum licere putat. Restrictam ad paucos concessionem non cives modò complures Viennæ, sed & de Universitate non pauci palàm Lutheranorum ritus profitentes fecêre suam; In sepulturis cumprimis piis Ecclesiæ cæremoniis, superstitiosis veluti, abrogatis. Hæc palàm, ac propudiosè cùm fierent, Cæsarem diu latere non p[?]terant, qui tristi adeò

perculsus famâ, ut audacia ipso in ortu sopiretur, sequens ad Universitatem Decretum expediri fecit:

VOn der Röm. Kays. Mayst. &c. unserem allergnedigsten Herrn, N. N. dem Herrn Rector, und ganzen Consistorio der allhiesigen Vniversität gnädiglich anzuzeigen, Ihr Kays. Mayst. &c, haben ein Zeit her erfahren, dass sich nicht allein etliche Burger allhier, sondern auch ihr der Universität angehörige membra eignes willens, und gefahlens unterstanden, ohne auch Ihro Kays. Mayst. vorwissen, und zuegeben, dem alten Gebrauch zu wider die verstorbenen Leichen, so ihnen mit Freundschafft angehörig, auf eine neue, allhie bey der Statt ungewöhnte, nemblichen mit Aussschliessung der Priesterschafft, Schuelen, Windliechter, Gelеüth, Creuz, und dergleichen eusserlichen geistlichen Ceremonien zu Grab tragen; dessgleichen dieselben Leichen nicht hie in der Statt, sondern ausserhalb derselben in Bauern Dörffern gleichsam der Statt, deren Kirchen, und ihrer Voreltern geistlichen Begrebnussen zu Verachtung, und Schmach begraben zu lassen. Dieweil aber solches an sich selbsten ergerlich, und weder ihnen, denen Vniversitäts Verwandten, noch denen Burgern wider Ihrer Kays. Maystett willen, eignes gewalts zu thuen nicht gebüret, so tragen Ihr Kays. Maystett darab billiges Missfallen, und ist hiemit deroselben gnediger und entlicher Befelch, dass er Rector, Superintendens, und ganze Universität, solches bey allen ihrer zugethanen glidern genzlich abschaffen, und von hin keinen gestatten. Welche sich auch dergleichen über vorgehende vviedersagen understehen, und nicht davon weisen lassen wurden, die sollen sie Ihro Kays. Maystett alsobald namhafft machen.

Decretum per Imperatorem
11. Martij Anno --- 72. &c.

V. Joan. Bapt. Weber &c.

Quod

Quod ut majorem vim, vigorémque obtineret, communicatum cum singulis Facultatum Decanis fuit, qui Membris suis observationem ejusdem quàm exactissimam commendarent.

Confecto tam salubri conservandæ Literatos inter Religionis avitæ negotio, Posonium Cæsar sub Mensem Augustum profectus est, ut Filii ibidem Rudolphi coronationem, in nuperis Hungariæ Comitiis postulante *se Patre*, ab ordinibus in Regem electi, Majestate sua augustiorem redderet; quò Maximilianus ùt appulit, ingenti splendore, bonorum omnium gaudio, Rudolphus 25. Septembris Regiâ coronâ est inauguratus.

Augeri interea cœperat Facultas Theologica Doctorum numero, quare habito anno hoc 11. Aprilis conventu statutum, nè Baccalaurei deinceps, præter Magnificum Dominum Georgium Ederum, seu ad munia, seu ad privata Facultatis consilia adhiberentur.

Romæ anno hoc ad Cœlites 1. Maji abiit Pontifex sanctissimus Pius V. Ei sublectus Gregorius XIII. Hugo antehac Boncompagnus septuagesimum jam ætatis annum emensus, victurus in ætatis omnis memoria ob beneficium, quod structo fundatóque Romæ à se Germanicæ juventutis Seminario toti propemodum *Septentrioni* impendit.

An. 1573. & 1574.

Missum anno 1573. 26. Martii à Regimine ad Universitatem Cæsare Authore Decretum est, quo omnis ei librorum impressio severissima sub pœna vetabatur, nisi quæ prælo subjicienda forent, Regimini priùs pro facultate exhiberentur; censurandi tamen penès Universitatem jure relicto. Occasionem ejus dederat compilatus à Magnifico, ac spectatissimo Viro Georgio Edero Controversisticus, ac Catholicus imprimis liber, Dilingano typo superiore anno procusus.

 Hunc

Hunc cùm ad calculum revocandum Facultati Theologicæ Author obtulisset, receptam quantocyùs censuram Dilingano submisit typographo, qui, nè opus moraretur, expectatâ nequaquam Cæsareâ imprimendi veniâ, has reliquas inter voces adjecit titulo: Mit Römisch-Kayserlicher Mayestät Freyheit, und Geistlicher Obrigkeit Bewilligung. Quem inopinatum ob errorem tum Facultas Theologorum, tum Author ipso accusati, nequidquam labem removere contendebant rationibus, quæ memoratum Decretum impedire valerent. Reddita tamen mox anno sequenti sua Universitati potestas est, vi cujus Philosophicæ, Medicæ, & Juridicæ imprimendi fiebat copia: Theologicis tantummodo rebus reservatis, quæ abs aulica facultate in lucem edi non possent; ùt Decretum hoc in Statutorum libro habet.

Societatis etiam scholæ sub id temporis periculo minimè caruêre; cùm enim, altioribus nuper studiis in iisdem doceri cœptis, florerent in dies, & accrescerent, haud erat, quòd literarium istud incrementum Universitas, ac Artistica potissimùm Facultas, æquo oculo ferret. Habito eapropter frequentiori consilio, deputabatur nonnullis negotium, qui confecto desuper scripto à Cæsare postulabant: bini illi è Societate Theologicis nuper prælectionibus recens admoti, Universitate rursus excluderentur; nè fas sit iisdem suo in Collegio lectiones, néve horis iisdem legere, quæ, & quibus juxta reformationem Ferdinandi I. in Universitate leguntur; nullus ad Universitatis munia reciperetur, quin publico in Gymnasio promotus foret: aliáque id generis plurima. Quæ cùm Collegii Societatis Rector intellexisset, supplex Hispaniæ Legatum adit, qui de eo cum Cæsare, quod è re Societatis potissimùm foret, pertractaret. Quam in causam 22. subinde Julii ea â Cæsare ferebatur Sententia: qua Jesuitis sua studiorum tradendorum ratio confirmata, ne tamen iisdem horis suo in Collegio, quibus

bus Academicis in Scholis, Philoſophiam, Theologiámve prælegerent; Non plures ad Univerſitatem, quam duo ii, qui ex Ferdinandi I. ſtatuto Theologiam in Academia doceant, admitterentur; Theologus Societatis, ad Senatus Academici Conſilia admittendus, idiomatis Germanici gnarus ſit; Societas denique muniis officiisque Academicis ne ſe immiſcat, indictum: ùt Decreta deſuper confecta in Univerſitatis Tabulario fuſiùs edocent.

Feliciores interea in inſtituenda Convictorum juventute conatus habuit Societas, dum creſcente indies pietate, & literis, ſub initium anni 1573. Divæ Barbaræ Cœtum, Romanæ Sodalitatis æmulum, excitavit: Sacellum Juvenum ardori in ambitu tum Collegii ſitum, à Provinciæ Præſide conceſſum eſt. Piam adeò Adoleſcentum conjunctionem operâ R. P. Provincialis Magii, tum Romæ agentis, ſummus Pontifex Gregorius XIII. ùt authoritate ſua confirmatam, ita ſingularibus indultis liberaliter ornatam voluit. Quamquam hìc minimè ſteterit pia in Convictores munificentia Romanæ ſedis; quippe ut Religioni in Germania proſpiceret, anno mox altero, hortatu potiſſimùm Joannis Delphini Epiſcopi Torcellani, ad Aulam Cæſaream Nuncii Apoſtolici, eadem in domo alumnos aliquot, Germanici more Collegii, fundare conſtituit: Decreta eam in rem pro quatuor & viginti, 1200. aureorum coronatorum, annua penſione. Initium Alumnatui datum eſt Menſe Februario; cui verò ædis anguſtia cùm obſtaret, Conſilio ejusdem Legati, factóque Pontificis, Imperatoris, Imperatricis aliorúmque Procerum ſumptu, commodiori coëmpta domo ea Convictorum habitationi acceſſit capacitas, quæ quinquaginta ampliùs incolas facilè caperet.

An. 1575.

UT Rudolphus, quem tribus abhinc annis Hungariæ Regem inauguratum docuimus, in Romanorum

etiam Regem designaretur, jam ab inde procurabat Maximilianus Electorum animos, quorum demum prona in Rudolphum vota ubi intellexisset, anno hoc cum Augusta, omnique Aula Pragam primùm; Inde ad indicta de creando Romanorum Rege Comitia Augustam Vindelicorum cum Rudolpho 22. Septembris in Bohemiæ Regem renunciato concessit. Impetrârunt nullo ferè negotio præclara Maximiliani in Imperium merita, & Rudolphi pares Regno virtutes, ut binâ antea, coronâ jam insignis, 27. Octobris Romanorum quoque à tertia Rex fieret, cùm ætatis quartum supra vigesimum ageret annum. Comunis eáque non vulgaris bonorum omnium de Rudolphi coronatione lætitia erat; cui ut suorum quoque gaudiorum testes jungeret Universitas, binos ad id è Facultatibus, Magistrum Eliam Corvinum Poëseos, Matheseos Professorem alterum Paulum Fabritium delegit, qui quà soluta, quà ligata oratione Rudolphi laudes, ac electionem celebrarent, Regi subinde Viennam reduci offerendam. Reversus igitur 17. Novembris Cæsar cum recèns coronato Filio pro more exceptus est. Ad D. Stephani tamen Universitas in deducendis ad aram sub umbraculo Majestatibus à Capitulo præventa; cui, cùm non modicè Academica privilegia violarentur, apposita ad id dictione Rector Magnificus reclamavit. Die altera facto, ut coràm quoque Literaria Resp. sua probaret studia, Regem Rector Magnificus, Thomas Raidelius, Philosophiæ, ac SS. Theologiæ Doctor, Magnifico Membrorum comitatu, concinnata ad id panegyri salutavit. Quæ dum Universitas; Societatis quoque Scholæ, ne sua in principem officia deessent, aquilam obtulêre auro ac pigmentis coruscam, metrico applausu alis inscripto. Drama etiam exhibuêre, quod si minus ab opere, à Spectatore Cæsare cum fratre Carolo, filióque Rege, Romanæ sedis, Hispaniæque Legatis gratiæ plurimum habuit.

Secundis

Secundis adeò filii eventibus ultimùm jam penè felix Maximilianus; ad inopinatam & ipse Coronam poscebatur. Præfuerat hactenus Poloniæ Regno ex Andegavensi stirpe Princeps Henricus, qui cùm ad capescendum Galliæ sceptrum defuncti in locum fratris evocaretur, nè capite diu orbum maneret regnum, coacti Varsoviæ Ordines, maximam ferè partem Maximiliano 15. Decembris deferebant coronam, in Regem Poloniæ Cæsare per Gnesnensem Archiepiscopum promulgato. Verùm dum cunctaretur electus conditiones cum electione conjunctas confirmare, nováque pro Ernesti filii electione proponeret consilia, non pauci ex nobilitate Polonica creationem Maximiliani tamquam multis non legitimam capitibus irritare, & è patrio prognatum sanguine Regem moliri: Stephanus igitur Bathorius Transylvaniæ Princeps ad capessendum vocatur sceptrum, qui conditionibus omnibus facilè subscribens, relicto Christophoro Fratri Principatu in Poloniam venit, regiam in sponsam Annâ, Sigismundi defuncti Regis sorore, datâ Cracoviæ Calendis Maji An. 1576. Rex Poloniæ initiatus est. Animavit hæc ordinum novata electio, ceu in Maximilianum iniqua, non paucos Hungariæ Proceres ad inferendum Stephano bellum, atque adeò exarsêre studiosæ Cæsari partes, ut raptis potiùs, quàm lectis nonnullis copiis Transylvanum militem adorirentur; sed infelici adeò marte, ut desideratis suorum quàm plurimis, turpi fuga finirent prælium. Infelicem belli eventum id auxerat malum, quòd expeditione in fœderatum sibi Principem facta, violatas arbitratus inducias Turcarum Imperator, hostilibus extemplò incursionibus finitimas Hungariæ, Styriæque ditiones vastare sit aggressus.

Tam repentinas ante Regnorum turbas non pauca in Austria, & apud Universitatem pro pietatis, Catholicæque Religionis emolumento gesta sunt. Amiserant Scholares suo unum è numero Sodalem; hic, ne- quid

quidquam recitata nuper inhibitione Cæsaris heterodoxorum ritu, ducto nempe per aperta urbis compita funere, sine Mysta, sine face, sine cruce, ac æris sono terræ mandatus est; soli Joannes Aicholz Medicinæ Doctor, ac Magnificus eo tempore Rector, Joannes Schwarzentaller J. U. Doctor, M. Paulus Fabritius, complurésque ex Universitate Acatholici omnem funeris pompam claudebant. Gravissimè, ùt debebat, Carolus Archidux, vices tum Imperatoris in Austria gerens, spretam Parentis authoritatem tulit; pœnásque Rectori, cæterísque transgressoribus comminatus, novo Decreto priorem inhibitionem confirmat. Publicus magìs Mense Junio zelus pro re sacra fuit, cùm sociatis sibi Viris ex Universitate nonnullis, ac inter eos cumprimis Theologiæ Decano, ínque electione dein autumnali Magnifico Rectore Thoma Raidelio, Ordinarius ipse Reverendissimus Patavienfis Generalem quamdam Monasteriorum visitationem adornaret, non absque magna pristini vigoris instauratione. Ut hæc Acta Theologica meminerunt.

An. 1576.

UT adversùs Turcam, Regémque Poloniæ, Maximilianus auxilia quæreret, non modò Ratisbonæ hoc anno indixit Comitia, sed per Austriacas quoque Provincias decimus quisque, & trigesimus quintus ad arma delectus est. Ab Universitate, ùt ejus Acta habent, 3000. floreni mutuò postulati; quo tamen onere, cùm, qui, pecuniam conferrent, non essent, se expedivit. Primum, quod icto jam cum Pontifice, & Hispano adversùs Stephanum fœdere, cum Imperatrice Ratisbonam profectus Cæsar, cum ordinibus discutiebat, de asserendo sibi Poloniæ Regno erat, missis eam in rem ad Danum, Suecúmque Legatis, qui socialia in tributarium Thraci Stephanum arma peterent.

Verùm interrupit conatus hosce Mors Maximilia-

ni

ni Cæsaris, quam ipsis in Comitiis, ex calculi, & palpitantis cordis doloribus 12. Octobris Divo Maximiliano dicata die, editis omnibus Catholici Principis indiciis Rudolphi inter ac Augustæ Conjugis adstantis lachrymas obiit anno ætatis 49. Imperii 12. Princeps ab omnibus multùm laudatus; de pacis præcipuè, tranquillitatísque publicæ studio; quo factum, ut turbulentis illis Lutheranæ sectæ temporibus, conservandæ in terris suis quietis causâ, Acatholicis haud pauca indulserit, ipse avitæ religionis retinentissimus. Magnus Literatorum fautor, quorum frequentiâ aulam suam similiorem Academiæ fecerat. Linguis ipse septem, Germanicâ, Latinâ, Italicâ, Hungaricâ, Gallicâ, Hispanâ, & Bohemicâ expeditè utebatur; Amor, & deliciæ humani generis audiit: adeò Clementia, & Majestas in Principis certabant vultu. Parentavit Principi optimo Universitas, & habitu, & sermone ad luctum apto; ad ornatum etiam, quem mœror permittebat, Societatis Scholæ, erecto Augustis manibus in Collegii templo mortuali trophæo. Ad aras denique Viennensi Episcopo perfuncto sacris, funebrem omnem pompam, Michaël Poldt Societatis Jesu Religiosus funebri oratione absolvit.

An. 1577.

SEcundùm obitum Augusti, ubi Imperii sceptra Rudolphus, hoc nomine II, capessiit 16. Julii Viennam phalerato insidens equo, splendidissimâ Procerum, ordinúmque, ac Serenissimorum præcipuè Fratrum Matthiæ, & Maximiliani coronâ cinctus urbem ingressus; Ad Rubram, ùt vocant, Portam ubi perventum, Cæsarem triumphali sub arcu operiens Civicus Senatus, exceptum sub umbella ad cæmeterium usque D. Stephani deducebat. Ipso in limine cùm regalis ingressus nonnihil substitisset, fabricata artifice Joannis Marbii manu aquila, è summo turris apice devolans, in umbella

bella supra Rudolphi Cæsaris caput conquievit; digniore nullibi avi Romanæ throno, ac apud quem imperium erat. Equo inde descendens, ab Universitate in Basilicam ductus, præcedentibus longo ordine Religiosorum familiis, Clero, & Episcopo Viennensi duobus Abbatibus stipato, DEO bonorum omnium Authori grates persolvit.

Patefecit proxima statim ab ingressu die facillimus Cæsar Universitati aditum; quo favore ut uteretur, Rector Magnificus, Magister Benedictus Kleinschnitz Suevus, Ordinarius Artium Professor, ubi ornata dictione Imperatori se insinuâsset, Academiæ præprimis emolumenta, ac Catholicæ Religionis commendavit. Singula multa attentione audierat Princeps, datóque per Cancellarium Vichauserum responso: sibi & Universitatis, & Ecclesiæ commoda apprimè, ùt Defensori eorum, futura cordi, magna benevolentiæ significatione Oratorem dimisit.

Calendis Octobris Conventum Ordinibus Austriæ Rudolphus indixerat, sibi fidei, subjectionísque Sacramentum dicturis; datæ etiam ad Senatum Academicum 24. Augusti Literæ, ut suos ad præstandum homagium Legatos submitteret. Ergo ubi dies aderat, Cæsarem à dextro latere Carolo patruo interioris Archiduce Austriæ, à sinistris Ernesto, atque inde Matthia, & Maximiliano fratribus stipatum, Austriæ Status ad D. Stephani longo ordine, ac singulari cum pompa pro Comitatu deduxerant; factis solemnibus ad aulam reditum, & pro more Archiduci dictum à statibus Sacramentum. Abstinuêre Acatholici Ordines non modò Romanis in Basilica sacris; sed vulgò ore omnium jactabatur: non dicturos se Sacramentum, nisi Princeps libertatem Augustanæ Confessionis ad quoscúmque promiscuè esset extensurus: quos tamen minaces Statuum Spiritus vel solo Majestatis suæ terrore Princeps repressit.

Eodem

Eodem Octobris mense Matthias à fœderatis Belgii Ordinibus ad res suas contra Joannem Austrium tutandas accitus, clam fratre Cæsare in Brabantiam discessit. Anno dein sequenti 17. Januarii Bruxellas ab Aurangio Principe ducto, cùm triumphales undique ei arcus struerentur, certis sub conditionibus in Gubernatorem renunciato juratum est. Quàm malè ferret tam subitam partium mutationem Rex Hispaniarum Philippus, exinde eluxit, quòd non modò Magistratui Matthiæ refragaretur, sed misso etiam in Joannis Austrii locum Alexandro Parmensi, hunc Gubernatorem pariter, & exercitûs sui Ducem adversùs fœderatos Belgas decerneret.

Cæterùm jam ante Cæsaris Rudolphi in urbem adventum Ernestus Archidux, Austriæ interea Gubernator, ad Universitatem 8. Junii dedit Decretorias, ne Academici Lutheranorum Ministros domi suæ foverent; minùs eorum cœnam sumere ipsi, aut administrari eandem in ædibus suis paterentur: denique ne funera hæreticorum ulli comitentur. Tenor Decreti hic erat:

Dem Herrn Rector, und Consistorio der Universität allhier zuzustellen.

VOn der Fürstlichen Durchleücht Erzherzogen Ernst zu Oesterreich unsern gnedigsten Herrn auss sondern ausstrucklichen Befelch der Römischen Kayserl. Mayfiett unsers allergnedigsten Herrn, dem Herrn Rector, und Consistorio der Universität allhie anzuzeigen. Nachdem Ihr Kays May. berüchtet, dass sich ein Zeit hero der zvveyen Stenden Oesterreich under der Ens verordneten allhie, Item der zu Hernals, und villeicht auch andere mehr, unterstanden nicht allein unter, und bey der Burgerschafft, sondern auch der Universität, und deren zugehörigen Glidern, Heüsern, das Exercitium Religionis ihres gefahlens, mit predigen,

gen, tauffen, reichung der hochvvürdigen Sacrament, Copulierung der Ehe-Leüth, Conducierung der Verstorbenen, item Leich-Predigen, und dergleichen, zugebrauchen; vvelches bisshero durch sie der Universität bissher nicht allein ohne Widerred zugelassen, sondern auch umb das etlich ihres mittels denselben Leich-Predigen, und ungevvöhnlichen Conducten beyvvohnen, entgegen sich aber der Thumbkirchen bey sanct Stephan und dess Catholischen Gottes-Dienst an den Sonn- und Feyertägen eüssern, sollen nicht vvenig befunden vverden.

Dievveil dan solches ohn alles mittel ihren selbst Statuten, Ordnungen, auch Jhro Kays. May. und Fürstlich Durchl. geliebsten Herrn Anherrn, und Vattern hochlöblichen Gedächtnuss Reformation, und der Religion halben insonderheit gegebenen unterschidliche Decreten zu vvider, auch Ihr Kays. Maystett alle sachen in alten stand zu behalten genzlich gemeint, und hierneben gemelter Prædicanten halber bereit sonst die Nothurfft fürgenomen, so befelchen Ihr Kayserl. May. angesezten Herrn Rectori, und Consistorio hiemit ernstlich, und vvollen, dass sie sich führohin berürten Statuten, Ordnungen, Reformationen, und Decreten mit besuchen der Thumbkirchen, und Procession am hohen, und gemainen festen, beleichung ihrer Verstorbenen in denen Conducten, und in andere Weg aller ding gemäss verhalten, und zu anderen gebreüchlichen einsehen nicht ursach geben vvollen, dass hierin sich Ihr Kays. May. und Fürstl. Durchl. genzlich zu ihnen also versehen; und sein sonst ihnen sament und sonderlich zu gemainer Universität ehren, nuz, und aufnemen mit allen Genaden vor dess vvollgneiget.

Decretum per Arch.
7. Junij Anno 77.

Cum

Cum fine anni hujus, finem pariter & vitæ fecit Michaël Eccius ad D. Stephanum Præpositus, & Cancellarius Universitatis; cui ut dignè parentaretur, deducto 2. Octob. ad Cathedralem funere, Artium Magister, & Organi Aristotelici Professor Straussius funebri encomio defuncti laudes exornavit.

An. 1578.

QUam anno elapso Cæsar optimus Religioni Catholicæ promiserat tutelam, eam opere hoc anno exhibuit. Cùm enim Authore M. Cornelio Grienvvaldo, Nationis Austriacæ Procuratore homine insigniter Lutherano, bini alterius ex Juridica, & Medica Procuratoris accessu fulto, 14. Aprilis in Magnificum Joannes Schvvarzentaller, Jurisprudentiâ cæterùm celeberrimus, Lutheri tamen dogmate imbutus, deligeretur; creationi illi, utpote Maximiliani pridem, ac recèns Ernesti Decreto adversanti, à Theologo intercessum. Nec irriti ii conatus fuêre; novâ à Rudolpho latâ sententiâ, ne, quis summo eo literatos inter honore ornaretur, qui publicis Catholicorum solennitatibus interesse nollet. Id cùm Schvvarzentallerus per religionis suæ institutum sibi integrum esse negaret, rectè sentientes de irritanda; illi contra clam apud Cæsarem de dissimulanda hac vice electione tractare; donec novo mandato, proposito nihil motus Cæsar pro primis decerneret. Quin ut ab exemplo luculentiorem vim Decretum obtineret, functo jam semestri præterlapso Magistratûs munere, Petro Muschitschio Styro Cileensi, Theologiæ Doctori fasces iidem confirmabantur. Decretum posterius sic sonat.

Dem nechst gewesenen Rectori, Kayserl. Superintendenti und Consistorio der allhiesigen Universität zuzustellen.

DIe Röm. Kays. auch zu Hungern, und Behaim Königl. Mayestett, Erzherzog zu Oesterreich, unser aller

allergnedigster Herr; last den nechst gewesenen Rector, desgleichen ihrer Maystett verordneten Superintendenten, und Consistorio ihrer Maystett allhiesigen Universität gnedig anzeigen. Sie vvüssen sich zu erineren, vvas die Statuta, so von ihrer Kays. Maystett geliebsten Voreltern der hiesigen Universität fürgeschriben, und gegeben, sonderlich aber vveyland Kayser Ferdinanden hochseeliger Gedechtnuss darüber aufgerichte Reformation vermögen.

Also auch, massen sich vveyland Kayser Maximilian der ander ihrer Maj. geliebster Herr, und Vatter hochseeliger Gedechtnuss von Prag auss nicht allein erklert, sondern auch ausstrucklich befelchen, vvie es mit Election aines neüen Rectors gehalten, und vvorzue derselb den Statutis, und Reformationen nach obligiert, und qualificieret sein solle.

Wan aber jüngster election nicht allein denselben, über beschehene gnuegsame erinerung fürsezlich zu vvider gehandlet vvorden, sondern auch der neüe fürgenomene Rector, ungeacht ihrer Kays. May. von Prespurg auss gegebenen gemessenen befelch sich ausstrücklichen erklert, dass er gevvissens halben Ihrer Kays. May. Befelch nicht geleben, noch sich zu vollziehung und gnuegthueung der Universität Statuta, Reformationen, und Ordnungen obligieren vvolle, oder kunte.

So vvollen ihre Röm. Kays. May. hierauf, und hiermit ihne den neüervvelten Rector Doctor Schvvarzentaller dess Rectorats entsezt, und daselb von ihme genzlich aufgehebt haben. Daneben den nechst gevvesenen Rector Doctorem Muschitsch in sein vorgehabt Rectorat auf den nechsten halben Jahr darin zu continuieren bestettigt, und ihme hiemit auferlegt haben dasselb alsbald anzutretten.

Gegen denen aber, so die nechste election dess Rectoris über beschehene erinerung der Statuta, Reformationen und Pragerischen Befelchen gethan, tragen

ihre

ihre Röm. Kayſ. May. miſsfallen, und vvöllen ie gegen denſelben die gebür vorbehalten haben.

Hiemit gnediglich, und entlich befelchend, diſer ihrer Kayſ. May. Reſolution alsbald gehorſamlich zu geleben und nachzukomen; dan es alſo derſelben gnediget und gefelliger Willen.

Decretum per Imperatorem
23. Aprilis An. --- 78.

Literis illis exemplo ſuo robur Cæſar optimus ut adderet; *Poſonio* redux, ſupplicationem Euchariſticam cum fratribus Erneſto, & Maximiliano, Ducéque Bavariæ Ferdinando per Viennenſis urbis fora mira pietate comitatus eſt. Pupugit vehementer auguſtum hoc pietatis exemplum fidei adverſarios; ipſáque ſub Theophorica proceſſioné commotus ab iisdem in Foro herbario tumultus, militum minis, ac viribus compeſci debuit.

Defenſa ſic egregiè apud Univerſitatem Majorum Religione. Urbem quoque ab inviſo eidem malo liberavit Rudolphus, ejecto per Decretum publicum Magiſtro Joſua Opitio, ſectæ Flaccianæ rabula, ac ſtipendiato in Domo Provinciali Verbi Miniſtro: plurimùm in id operam conferente ſtrenuo, ac imprimis Catholico, Joanne Thaw, tertiùm jam Viennæ Conſularibus inſigni faſcibus. 21. Junii ad Mandati tenorem, ante ſolis occaſum, Urbe peſtis illa exceſſit, unà cum ludimagiſtris, & hymniſtis ſuis, ùt Acta Theologica loquuntur, currum ad urbis uſque portam ſectariis magno cum fremitu deducentibus; reverſuro in ditiones *Auſtriacas* pœna mortis ſtatuta.

Inſudabatur hoc ferè tempore à doctiſſimis Romæ viris reſtaurandæ Calendarii Julianæ rationi ad Lilianam regulam; miſſo jam Superiori anno ad principes omnes Lilianæ rationis compendio: quod negotium, cùm ritus maximè Catholicorum ſpectaret, ut nulla

 non

non ex parte in Matrem Ecclesiam pius esset Rudolphus, rationem memoratam ad Universitatem quoque transmisit, mandavítque Rectori Magnifico, Matheseos peritos convocaret, qui modum emendandi Calendarii inirent, ac collatis judiciis, quid Liliano instituto demendum sit, addendúmve, dispicerent. Deputati eam in rem P.P. Petrus Bussæus, & Aschermanus S. J. Theologiæ tum in Universitate Doctores: Martinus Gösl, Stephanus Englmayr Juris Periti: Paulus Fabricius, Andreas Dadius Medicinæ, & Matheseos Professores: Magister item Petrus Pengl. Horum cùm plerique rationem missam comprobarent; *visum tamen est Paulo Fabricio*, ùt Annales Theolog. habent, *reducendum optimè Calendarium, si mensibus decem dies una subtraheretur; quod & de cyclo, ac aureo numero faciendum censebat;* sententiæ illæ ad Cæsarem, indéque Romam transmissæ.

Vexabatur interea frequenrioribus Turcarum incursionibus Hungaria. Tametsi enim cum Maximiliani morte, unà & bellum adversùs Polonum, evanuerat; ruptis tamen induciis Orientis nequaquam arma quievêre: quamquam levioribus à barbaris viribus, bello tum Persico implicatis, res gestæ sint: ad hostiles nihilominus velitationes reprimendas Cæsar Pragam contendit initurus, qua ratione hosti occurri possit, consilia. Habiti ea in urbe delectus militum; & cùm Turca Croatiam potissimùm, finésque Styriæ peteret, adversùs eum à Carolo Archiduce exercitus missus; à quo direptis minoris notæ munimentis, expeditio stetit.

In cunis etiam Orbis & Religio felix erat, cùm nato jam 13. Aprilis Philippo Hispaniarum Regi Philippo, filio, Græcii quoque Styrorum 9. Julii, ex Archiduce Carolo, & Maria Bavari Ducis filia, Ferdinandus hoc anno datus est: Imperator olim post Mathiam sui nominis secundus futurus; par Hercules,

qui

qui labantem propè quondam Ecclesiam unus ferè humeris sustineret.

Defuncto anno superiore Universitatis Cancellario, cùm etiamnum tum Ecclesiastica ejus ad D. Stephanum, tum literaria vacaret dignitas, Facultas Juridica, penes quam proximo mense Decembri promotio erat, Pro-Cancellarium D. Superintendentem Sigismundum ab Oedt designaverat; reclamat Capitulum D. Stephani, Cancellarii Universitatis vices, semper ab Ecclesiastica persona administrari causata; re ad excelsum Regimen delata, ab Universitate, quid ejusmodi in casibus observatum hactenus, atque constitutum sit, postulatum: à qua in hæc verba responsum: *Mortuo Cancellario Universitatis, si promotio alicujus Facultatis instet, in vice Cancellarium ex eadem facultate quispiam designatur, ex qua fit promotio. Ita factum esse in promotione licentiandi Ambrosii Salzerii Anno 1519. juxta quamdam decisionem Maximiliani I. Item Anno 1577. sub Rectoratu D. Petri Muschitsch protocollum Universitatis attestatur.*

An. 1579.

UT non provectæ solùm ætati, sed teneræ etiam in Provinciis suis providum se Monarcham ostenderet Rudolphus, Author hoc anno fuit, ut ab Ernesto Austriæ Administratore instructio quædam ad omnes trivialium Scholarum Magistros mitteretur, ex cujus lege & Magistri deligerentur, & delecti juventutem sibi creditam erudirent. Extat ea integra in Theologicorum Actorum libro: Præcipua ejus capita adferre libuit. *1mò*: ut sexûs utriusque juventam Orthographiâ, ac Arithmeticâ diligenter instituant, nè Minerval non meriti acciperent. *2dò*, pronam in malum indolem cohibeant, nè pravis assuescat moribus, sed pietatis, virtutisque amore capiatur. *3tiò*, ne libelli iis, chartæque minùs castigatæ admitterentur. *4tò*, multò minùs hæresim sapientes libri. *5tò*, formulæ ab

Institutoribus præscriptæ non nisi pia, & Catholica contineant. *6tò*, principio, finéque Scholarum iis utantur cantionibus, quæ hactenus in Ecclesia usitatæ; secus iis, quæ à Luthero concinnatæ essent. *7mò*, in fundamentis vel maximè fidei animos erudiant, ad quæ addiscenda, non alia, quàm P. Petri Canisii methodo utantur. *8vò*, Dominicis, & festis diebus juventutem in Templum seu D. Stephani, seu S. Michaëlis, seu Societatis Jesu deducant, sacro Missæ sacrificio, & Concioni adfuturam. *9nò*, suis temporibus animam SS. Confessione expient, & cœnâ Dominicâ reficiantur. *10mò*, curabunt, ut juxta præceptum Ecclesiæ juventus diebus Veneris, & Sabbathi, ac præscriptis jejunii diebus ab esu carnium se se abstineat. *11mò*, nè Ludimagister ullus, aut Ludimagistra constituatur, nisi Catholica. Ut porrò juxta hanc institutionem singulis accuratè, constantérque mos gereretur, Officialis ad D. Stephanum, & Decanus Theologiæ à Serenissimo Archiduce ad id nominabantur, qui Præceptorum, Instructorúmque fidem, mores, ac capacitatem examinarent, idoneósque Magistratui Viennensi proponerent. Bini prætereà Ludi ad D. Stephanum unus, ad S. Michaëlis alter, Magistri constituti, qui bina vice in annos singulos cæteras lustrarent Scholas, sique instructionis tenor violatus esset, de eo ad altiores referrent.

Neque hìc steterat Religionis in Austria tutandæ Zelus Serenissimi Archiducis Ernesti, eò progressus, ut, cùm Civitates, oppidáque Inferioris Austriæ ferè pleraque ab eodem, Cæsaris nomine, liberum Confessionis Augustanæ exercitium postularent, non tantùm concesserit nihil, sed & objurgatis prolixo ostenderit scripto, quàm iniqua libertatis illius foret deprecatio.

Qua Cæsaris, atque Serenissimi Archiducis pro Religione constantiâ Acatholicorum Civium Viennensium animi commoti sunt ita, ut vel tumultu extorquendam existimarent. Quare 19. Julii manè circa horam

horam octavam ad quinque ferè millia, ùt Acta Theologica referunt, è vili plerísque plebecula in aulæ aream sese infudêre, Serenissimo Archiduci Ernesto præstolaturi. Minis inde cedere compulsi, dum ante Palatii portam consistunt, redeuntem è templo Archiducem factionis primores è Prætorii Civici Assessoribus stipant, flexísque ante currum genibus supplici libello, interventu Archiducis, Decreta in Confessionis Augustanæ asseclas à Rudolpho Cæsare edita, inhiberi, liberúmque Civitatibus, & oppidis Austriæ ejusdem Confessionis exercitium indulgeri expostulant, plebecula circumfusa identidem vociferante: *Evangelium petimus, petimus Evangelium.* Quare ut tumultuanti nonnihil daret vulgò, & se lecturum libellum, & cum Cæsare communicaturum torvo vultu respondit Archidux. Conquievit eo responso turba; Cæsar autem re Pragæ intellecta id unum in mandatis dedit, tumultûs illius Authores requirerentur, ac ne laxari concessionem peterent, quam nec Ferdinandus avus, nec Maximilianus parens indulsissent.

Dum hæc pro Religione geruntur, spurcissimam effutiit doctrinam Benjaminus Löbschüz, homo Lutheranus; qui instituta in Medicorum Collegio Anatomia, cùm partes genitales examinaret, facta repente sermonis digressione palàm Spectatoribus omnibus exclamare: insanos eos esse, & naturæ inexpertes, qui perpetuæ castitatis vota emitterent; continere enim se posse neminem, nisi testiculis exscissis; quando ejusmodi actiones hominibus necessitas imponeret, nullis legibus, aut votis coërcenda. Incussit plerísque ruborem, & indignationem ea sermonis protervia: itaque ne ex hac nubecula spissiores sese tenebræ evolverent, Medici Catholici, & nonnulli, qui aderant, Theologi, præsentibus doctrinæ insaniam ita ob oculos posuêre; ut improbissimus Anatomista prono in terram vultu excedere loco cogeretur; vocatus inde ad

Universitatis Judicium, & reprehensione, & pœnâ pecuniariâ est mulctatus.

Vacante etiamnum ab Anno 1577. Præpositura ad S. Stephanum anno hoc 17. Septembris Decreto Cæsareo Præpositus S. Stephani, & Universitatis Cancellarius renunciatur Melchior Kleselius Philosophiæ Magister, & Theologiæ Baccalaureus; cujus promotionem mirati omnes: inter Alumnos enim in Convictorum Societatis JESU Domo adhuc tunc versabatur, nec Sacerdotio initiatus; ad hæc humili Viennæ, Patre pistore, loco, & heterodoxa in religione natus: Lutheri tamen errores jam puer à Patre Georgio Scherero S. J., Viennensium propè Apostolo, dedoctus ad Catholica sacra transiit, Convictores inter à Rudolpho Cæsare collocatus. Mores illi candidi, ingenium vivax, in agendis rebus dexteritas, pietas, & Religionis Catholicæ propagandæ jam tunc relucens ardor eum ad summas Ecclesiæ dignitates, Principúmque Austriacorum favores extulêre.

Sub idem ferè tempus, nempe decimo quinto Augusti inchoata est Sodalitas Studiorum in Societatis Collegio Beatæ Virginis in Cœlos assumptæ titulo. Celebratum Sacrum solenne, sub quo viginti duo primi Sodales ad sacram Synaxim Cereis candelis instructi accessêre; à vesperis in sacello Italorum præsente Reverendissimo Episcopo Viennensi, & D. Rumpffio, multisque aliis præmissa Fidei professione, & sui Beatæ Virgini oblatione, tertio Scrutinio in Rectorem elegêre Michaëlem Novack: dicta huic gratulatione, ad templum reditum, & Litaniæ Lauretanæ sunt decantatæ.

An. 1580.

COmmoti Superiori anno tumultûs Authoribus non postremis Ordolffio Eysenhamer, Hieronymo Oertel, Casparo Huetaffer, Schaduero, & Janischitz, Lutheri Sectatoribus omnibus, hoc anno sententia capitis denunciata; quam Cæsaris tamen clementia in perpetuum

petuum exilium commutavit. Menſe Majo Oertelus, quòd Sollicitatoris munere fungeretur, Univerſitati ſubjectus, urbe pulſus, miſſo ad Univerſitatem Decreto, ut ejus perpetui exilii pœnam Protocollo inſereret. Cæteri menſe Julio ex ditionibus Auſtriacis abeſſe juſſi, pœnâ mortis, ſi redierint, conſtitutâ. Ad hæc ut ſeditioſa aliàs plebecula in officio contineretur, anno hoc primùm miles præſidiarius urbi Viennenſi, renunciato militis urbici primo Tribuno Joanne Fernbergero, impoſitus eſt.

Id quoque anno hoc præclarè â Sereniſſimo Erneſto proſpectum; ne libris de hæreſi moribúsque malis ſuſpectis ſcelera & ſectæ promoverentur. Ex ſpeciali Cæſaris mandato diſquiſitio illa præprimis Viennenſium Antiſtiti, ab Erneſto comiſſa, adjunctis eidem ab Univerſitate, & Senatu Civico deputandis commiſſariis.

Obſecuta promptè Univerſitas Imperio Cæſaris librorum Inquiſitores Facultatis Theologicæ Decanum, ac ejusdem Profeſſorem Primarium deſignavit. Poſtulatis â Bibliopolis librorum venalium Catalogis, iis, qui Acatholicam continebant doctrinam, malósve tradebant mores, interdictum. Unus ille, qui in Domo Provinciæ Ordinum librariam exercebat, Patrocinio Confeſſionis Auguſtanæ Statuum ferox Decretis Cæſareis refragari auſus, ab Archiduce, ni obtemperâſſet, exilio mulctari juſſus eſt.

Sub his ipſis amplificandæ Religionis ſtudiis mortem 23. Maji oppetiit Bartholomæus Hauſtein J. U. Doctor, homo per vitam omnem Flaccianus non Confeſſionem modò auricularem rejiciebat, ſed neminem Sacramentum Euchariſtiæ, niſi qui Conſecrationis verba audiret, ſuſcipere declarabat; elatum in profanum Campum extra Scotenſem portam ſine lúce, ſine cruce funus, fruſtrà ſepulturam ad D. Stephani Cæmeterium familiaribus Epiſcopum deprecantibus, quòd nec ſub mortem rectè ſenſiſſet. Hunc menſe Decembri ſecutus, ùt Acta Theologica docent, Zoppelius,

 Legum

Legum itidem Doctor, & Excelsi Regiminis Cancellarius; qui tametsi Acatholicis immodicum favere, Lutherique dogma probare, dum viveret, videretur; quòd tamen constaret eum sub postremas vitæ horas hominem Orthodoxum signis sat luculentis retulisse, ab Sacrorum Antistite permissum, ut ad D. Michaëlis ædem funus ejus inferretur. In Cancellarii munere Zoppelio Sigismundus ab Oedt Cæsareus apud Universitatem Superintendens suffectus est.

Habuit & illud Electio Rectoris Magnifici Hyemalis, anno hoc memoriâ dignum: quòd, ut juxta Decreta Cæsarum nuper recitata, Rectoratûs munere fungi posset Martinus Stopius Flander Alostensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, homo antehac professione Lutheranus, partibus Catholicorum accesserit, edito in Magnifici Georgii Ederi Ex-Rectoris manus jurejurando, se rem Catholicam juxta Universitatis instituta, omni operâ promoturum.

An. 1581.

IPso Circumcisionis festo, die prima novi Anni primam ad aram Deo hostiam in Ecclesia Collegii Societatis JESU litavit Neo-Mysta Melchior Kleselius, quem altero abhinc anno Universitatis Cancellarium, & Præpositum D. Stephani renunciatum docuimus; Primis viri hujus spei ingentis sacrorum solemnibus amplissimum ornamentum accessit à duorum Archi-Ducum Fratrum præsentia, & publica pietate Ernesti, ac Maximiliani Austriam tum Vicario jure, cùm Pragæ Cæsar ageret, gubernantium. Inde 24. Septembris in templo S. Dorotheæ ab Episcopo Viennensi in Præpositum consecratus, cùm consecrationis socium haberet, ad eandem Divam Dorotheam Canonicorum Regularium Præpositum, Martinum Radweger, cui subinde in Episcopatu Neostadiensi Kleselius succedet.

Et verò cumulârat sibi pro tam illustri dignitate merita jam anno Superiore Kleselius, quo Religioni con-

consulturus ab Universitate, & Archi-Duce Ernesto contenderat: nulli ut ad literarios honores, Universitatémve pateret aditus, nisi juxta Ferdinandi I. reformationem, atque Pii IV. Bullam fidem Romano-Catholicam professo; quo in religionem studio Acatholicos Universitate exclusum ibat, facilè alioquin irrepturos, quòd præter Facultatem Theologicam jam ab An. 1568. his legibus stantem, ternæ Facultates reliquæ ab An. 1564. scilicet post recitatum Maximiliani II. Decretum, nihil Pontificiæ Bullæ detulerint. Ergò pio conatu suo id effectum Cancellarius dedit, ùt Decretum anno hoc de Candidatis Facultatum ad fidei professionem cogendis Universitas acciperet ab Ernesto, eò certiùs deinceps in refractarios valiturum, quò ferre posthac minùs oportuit licentiam illud impunè violantium, & Religionis Orthodoxæ, Archiducísque authoritatem insuper contemptui habentium.

Primus qui pœnas Decreti non observati dedit, Medicinæ Candidatus, cognomento Eberstorfferus, erat, is, ut professionem fidei declinaret, Facultati tamen adscriberetur, Wittembergæ Doctoratûs insignia suscipit, inde Viennam redux in Medicam Facultatem recipitur. Motus rei indignitate Cancellarius, de re ad Cæsarem Pragæ degentem, & Archi-Ducem Maximilianum retulit, qui Ernesto Pragam Cæsaris fratris conveniendi causâ sub Epiphaniam abeunti in regenda Austria successerat. Admonita itaque violati Decreti Facultas Medica, integritatem suam, quâ in observandis Statutis esset, cùm & consuetudines Universitatis prætendit; at confutatis ab Universitatis Superintendente, causæ hujus arbitro, Medicorum rationibus, id demum effectum, ut Eberstorfferus Facultate Medica ejectus Medici Officium deinceps ne faceret, atque fidei professio novo Decreto caveretur, quod Chronicon Theologicum recitat in hæc verba:

AUf sondere Verordnung Röm. Kays. Maystett unseres allergnedigsten Herrns von der Fürstl. Durchl.

Maximilian Erzherzogen zu Oesterreich, unsers auch gnedigsten Herrns, vvegen den dreyen Facultäten Juridicæ, Medicæ, & Artisticæ der Löblichen Universität allhie in Gnaden anzuzeigen, höchstgedachte Ihr Kayserl. May. haben sich auf ihre Beschvverung, so sie verschinen Iahrs gegen, und vvider den Thumprobst allhie Herrn Melchior Klessel als Cancellarium Universitatis vvegen præstierung dess Juraments, oder professionis fidei bey der Fürstl. Durchl. Ernsten Erzherzogen zu Oesterreich &c. unsern auch gnedigsten Herrn gehorsambist fürgebracht, und vvelche hernacher Ihrer Fürstl. Durchl. an die Kays. May. umb dero gnädigste Resolution gelangen lassen &c. allergnedigst dahin resolviert, dass es nemblich in disen, vvie in andern (ungeacht vveyland Kaysers Maximilian dess andern hochlöblichster Gedechtnuss von dem 5. Sept. dess 64. Iahrs ergangenen Decrets) bey vveyland Kayser Ferdinandi auch lobseeligster Gedechtnuss hievor aussgerichten Reformation (dass nemblich kein Professor bey der Universität allhie auf, und angenommen, oder zuegelassen vverden solle, er schvvere dan zuvor, dass er der Römischen Kirchen zuegethan, und vervvand sey) billig verbleiben solle, und befehlen darauf hochgedachte Ihr Fürstl. Durchl. im nammen der Kays. Maystett gnedigst, und vvöhlen, dass fürhin iederzeit in allen promotionibus ob solicher vveyland Kaysers Ferdinandi Reformation, und diser der Kays. May. gnedigster Resolution, und Confirmation aller Fleiss, und Ernst gehalten, und iemand nichts darvvider zu tentieren, oder fürzunemben nicht gestattet vverde, vvie dan Ihr Fürstl. Durchl. bemelten Herrn Cancellario solches hieneben, und dergleichen dato anzuzeigen, und mit Ernst darob zu halten gnedigst auferlegt, und befolchen haben, darnach sich vvohl ermelte drey Facultäten zu richten; und es beschicht daran höchst gedachter Kayserl. May. vvie auch ihres Fürstl. Durchl. gnedigster entlicher vvill, und Meynung.

Dum

Dum hæc à Cancellario Universitatis; à constitutis superiori anno Inquisitoribus Bibliopolarum officinæ, & suspecta nonnulla hæreticorum librorum latibula excussa sunt. Numerus ingens librorum in latebris repertus operâ potissimùm strenui, ac Catholicissimi viri Osvvaldi Huttendorfferi, Senatoris Viennensis, qui eodem hoc anno nec diu post Judex Civitatis meruit. In aulam Episcopalem hæreseos illa fomenta sunt deportata, frustra Bibliopolis, & Acatholicis spolia repetentibus.

Universis pro re Catholica tam impensè adlaborantibus, eandem quoque strenuè promovit Viennæ R. P. Georgius Scherer Societatis JESU, qui superiore anno in Concionibus aulicis coram Serenissimis fratribus Ernesto, & Maximiliano Confessionem Augustanam Controversisticis quæstionibus diluere, enervare, ejusque Evangelio non conformem doctrinam palàm facere cœperat, atque hoc anno iisdem finem imposuit tanto inde fructu consecuto, ùt è Nobilitate æquè, ac plebe centum aliquot dimidii anni spatio Confessionem eam ejurarent.

Adhuc Cæsar Pragæ erat, cùm sub mensem Augusti die 30. Viennâ in Hispaniam movit Augustissima Imperatrix Maria Maximiliani II. Vidua Conjux, Augustissimi Rudolphi mater, Philippi II. Hispaniarum Regis soror, secum Margaritam filiam deducens, sanctius vivendi institutum in Parthenone cum filia meditata, ubi priùs sponsalia fœdera Rudolphum inter, & Isabellam Hispaniarum Regis Philippi filiam procurâsset. Austriam verò haud longè à Mariæ discessu è Belgio privatus repetiit Archidux Mathias, cui à Belgis fœderatis rejecto, atque ejus in locum Alençonio fratre Galliarum Regis vocato, Maria Mater gratiam, & Belgicæ administrationis susceptæ veniam impetrârat. Lincensem arcem ei Cæsar habitandam dedit, in qua cùm veluti in custodia Mathias teneretur, à fratre Cæsare petiisse fertur, sibi Styrense dominium jure possi-

dendum

dendum si traderet, omni ad Austriacas ditiones jure se abdicaturum; verùm nihil ab offenso Cæsare Matthiæ datum fuit.

Interea sub anni finem Posoniensia obiturus comitia Rudolphus Cæsar Viennam Pragâ advenerat, cujus salutandi Universitas ultimâ Decembris copiam habuit; ubi fausta omnia Cæsari precatus esset Juridicæ Facultatis Decanus (Rector enim p. t. Magnificus Georgius Ederus ex articulari morbo decumbebat) Alexius Strauss natione Garniolus, superiori mutatione Rectoratûs munere è Facultate Artistica functus, atque sub ipso Rectoratu suo in juris Doctorem promotus, pro augustis favoribus annis hisce in Universitatem profectis grates amplissimas dixit. Ad singula Cancellarius aulæ Vichauser Cæsaris nomine respondit primùm, dein Universitatis Doctores omnes ad osculum manûs admissi multa gratiarum adpromissione ex aula Cæsaris discessêre.

In Ecclesia Collegii Societatis JESU anno hoc initium factum Sodalitati Civicæ, Sodalibus primis, in manus Episcopi Viennensis ad eam solemnitatem invitati, professionem fidei emittentibus, posteaquam Reverendissimus Præsul illos instituti præstantiam docuisset. Cœtus verò Marianus Studiosorum cum Sodalitate D. Barbaræ certis de causis unitus est, quæ unio nonnullum tempus tenuit.

An. 1582.

PRæsenti anno authoritate Gregorii XIII. Summi Pontificis famosa illa anni, Calendariique emendatio secundùm Lilianam potissimùm rationem confecta est, editâ desuper VI. Calendas Martii Bullâ, quâ simul Rudolphum præcipuè Cæsarem, cæterósque Principes, atque Respublicas Christianas adhortatur, ut quo studio ab se contenderant, hoc tam præclarum opus perficeret, eodem ipsi ad conservandam in celebrandis festivitatibus concordiam suscipe-

rent,

rent, & à cunctis recipi, & observari curarent. Et aderat tum opportunè Rudolphus indictis ab se Comitiis Augustanis sub finem Junii, ad quæ numerosi Imperii Principes, Electores nempe Moguntinus, Trevirensis, Saxonicus, Dux Bavariæ, Carolus Archidux; Interioris Austriæ Dominus, cæterorúmque Imperii Statuum Principes, Legatíque; Matthias item Archidux Austriæ, Fratrem Cæsarem jam sibi reconciliatum salutaturus, convenerant, de iis, quæ post elapsas cum Turca inducias ad pacem continuandam, bellúmve apparandum; quæque ad tumultum Belgicum componendum, ne Imperium eo involveretur; adhæc de Gebhardi Truchsessii Electoris Coloniensis defectione; de Imperii matricula; de monetarum reductione; atque aliis Imperii negotiis, in medium consulturi. Princeps tamen eo in Conventu Cæsari cura fuit, ut Calendarii reformati usum Imperii Ordines comprobarent. Opposuêre se æquis, honestísque postulatis nonnullæ Civitates Liberæ, plerique Principes Acatholici, ac in primis Saxoniæ Septemvir, non eo quidem capite, quòd errorem in emendatione anni Ecclesiastici animadverterent, aut antiquum correctione non indigere censerent; sed vel invidiâ, quòd abs se id non præstitum; vel ne ejus probatione viderentur aliquid Romani Pontificis authoritati detulisse. Recepta tamen est adhuc anno hoc præter ditiones Italicas, in Hispaniis, & Gallia; in Polonia, & nonnullis Imperii Circulis. In Bavaria, ùt Acta Theologica accuratè annotârunt, observari cœptâ anno insequenti, mense Februario: in Austria, Styria, Carinthia, alisque Austriæ ditionibus anno itidem eodem, mense Octobri. In Bohemia, junctísque Bohemiæ Provinciis, annis posthac duobus, mense Februario Cùm demum nuper 1700 discussâ iterùm in Ratisbonensi Imperii Ordinum consessu Calendarii reformati utilitate, imo necessitate, communi etiam Protestantium consensu, in

toto

toto ferè Imperio est introducta; quibus Dania, Batavia, aliæque ditiones Acatholicæ pleræque accessêre.

Interea Viennæ 13. Martii vivere desiit Benjaminus Löbschütz Medicinæ Doctor, ejusdémque primarius Professor, ac Senior; is ipse nempe, qui subtilem illam, si superis placet, de incontinentiæ necessitate doctrinam nuper in Anatomia ructavit. Is ùtùt ægris corporibus pro artis suæ peritia bene prospiceret, animæ tamen suæ consuluit pessimæ; cùm monitus ab amicis, qui pietatis sensu aliquo in eum tangebantur, se se Ecclesiæ restitueret, ejusdémque Sacramentis ad æternitatem compararet; confusa voce reposuit, nullius se Religionis esse; qua temeritate vitam finiit nullo pœnitudinis signo relicto, hinc & funus ejus, Chronico Theologico teste, sepulturâ asini elatum. Ejus loco Professionem Medicam ab Universitatis Senatu obtinuit Adamus Pretterschnegger, Styrus Weiskirchensis, Physicæ, & Medicinæ Doctor, Pretterschneggeriani stipendii pro Weisskirchensibus munificus subinde Author.

An. 1583.

Contagiosa lues, quæ superiori anno Viennæ grassari cæperat, clausas Societatis scholas ad mensem usque Martium anni præsentis tenuit; non item Universitatis: quando in illis numerosissimæ juventuti ex consortio malum facilè accerseretur, non item in illis; quòd universim in Artibus, & Theologia discipulos Academia vix 30. numeraret. Nec memoratu quidpiam dignum cæterà gestum, nisi, quòd Facultas Theologica viro, cui fasces Academici cum dignitate committerentur, careret. Ergo ejus in locum J. U. Doctor, ac Sacrorum Canonum Professor Carolus Stredele in Rectorem Magnificum festo S. Colomani die renunciatur.

Felicior in hoc orthodoxa religio erat, cui sub regiminis sui tempus Ernestus Archidux curas sanè magnificas impendit; Nam ut contagione subditorum animos

mos immunes servaret, missis iteratò Decretis cùm Civico, tum Academico Senatui cavit, ne quem suorum ad conciones, cænámque Lutheranam extra Viennæ mænia in Inzerstorff, Vesendorff, Hernhals excurrere, néve liberos suos ab ejusdem sectæ ministris sacro fonte ablui sinant, indictâ transgressuris sat ampli æris mulctâ. Hanc haud paulò pòst persolvêre Wolffgangus Schvvanser Procurator; Ambrosius Brassicanus, J. U. Peritus, Magister Joannes Sambucus, & Casparus Pierpachius Medicinæ Doctor, quòd contempta Principis lege proles suas vocatis clàm heterodoxis ministellis baptizandas obtrusissent, intentatâ exilii pœnâ posthac non observaturis.

An. 1584.

Elapsæ cum Turca bellorum induciæ, cùm Rudolphus pacem præhaberet armis, periculosa utpote tempestate, quâ Belgium civilibus armis, Rhenus adversùm Gebhardum Coloniensem Archi-Episcopum intestinis motibus æstuabat, in novennium anno hoc sunt renovatæ, misso ad conditiones pacis perficiendas, ùt Kevenhillerus notat, Paulo L. B. ab Eúzing; quas tamen vix initas hostiles excursiones propè turbâssent, Turcarum 10000. sub ipso induciarum tràctatu in Croatiam, finésque Carnioliæ irruentibus. Horum cæcam ferociam Josephus Comes à Thurn, & Thomas Erdödi, cum confiniario milite ita fregêre, ut opimis spoliis relictis Turcarum facilè 4000. ad Schlurium ceciderint. Clades illa ab Amurathe probata, quòd injussi pacis tempore alienam Regionem essent populati.

Domi nostræ anno hoc terminata feliciter est controversia illa de contentione honoris Universitatem inter, & Senatum civicum, in quam jam binis abhinc annis venerunt. Ubi enim An. 1582. mense Decembri sub matutino sacrificio, quod Rorate, dicimus, ad offertorium, ùt mos tunc erat, ab Academico, Civicó-

que

que Senatu in Sacra D. Stephani æde procedendum fuerat, Consul cum Senatoribus Rectori quidem Magnifico, iisque de Universitate, qui Principi simul à consiliis essent, priorem locum cessêre, haud item reliquo Senatui, Populóque Academico; eisdem vi, multáque contentione accessum præripientibus. Dilapsi inde è templo Academici, certi se nullis stituros hac sacra in æde officiis, ne juri suo præjudicium fieret. Graviùs id jurgium senserat Episcopus Viennensium Casparus Nelibeekius, ea potissimùm ex causa, quòd à contentione illa, absentiáque Universitatis pravum in Acatholicos exemplum manaret, & publica religionis exercitia, quæ paucis abhinc annis nonnihil restituebantur, turbarentur. Pietatis igitur plenas ad Imperatorem dat literas, eundem obtestatus, malo huic prospiceret, ac ab illa simultate animos quantocyus revocaret. Causæ cognitio à Cæsare Excelso Regimini commissa. Universitatis jura strenuè tutatus est ejusdem Superintendens Sigismundus ab Oedt; præcedendi nempe jus è statutis primorum Fundatorum, tum privilegiis Ferdinandi I. Maximiliani II. cùm perpetuo hactenus usu esse ab Academicis. Nec obesse, quòd ab annis aliquot Senatores Rectorem Magnificum, Consiliariósque in processu publico ponè subsecuti essent, inde enim id consuevisse, quòd Universitas tum paucissimis constaret membris, & ex iis non paucis Luthero addictis, qui Catholicorum sacra non frequentabant. Etsi verò pro Universitate causa liqueret, decisio tamen à Senatu Civico producta est in annum usque præsentem, quo sub mensem Octobris Cæsare Pragam profecto Serenissimus Ernestus causam rursus dispiciendam suscepit, ac demum pro Universitate decrevit. Nihilominus cùm Cæsaris desuper desideraretur confirmatio, non nisi anno insequente publicata est resolutio, quæ Codici Austriaco aliunde inserta extat.

Ab An. 1585. usque ad 1587.

ANni hi duo rebus pro Religione gestis item insignes sunt. Interdicta enim Viennensibus ad heterodoxorum conciones excursio, ac negata ministellis Sacramentorum administratio Protestantes Austriæ Status adeò commoverat; ut iteratis supplicibus literis ad Archiducem Ernestum, per Mareschalum Provinciæ Joannem Wilhelmum Rogendorffium oblatis, recurrerent, quibus non concessionis, aut privilegii jure, sed ob conscientiæ libertatem, & rationes, ut ajebant, in Verbo DEI fundatas, liberum Augustanæ Confessionis exercitium etiam illis, qui ex Proceribus Equitibúsque Austriæ non essent, admittendum contendebant. Verùm tametsi id non semel, & apud Archiducem, & Cæsarem Pragæ agerent; nihil tamen iis datum, nisi iterata adhortatio, ut Cæsareas de Religionis libertate Sanctiones omnino implerent: imò novis Decretis sectæ usus, ad quos ille concessione Statibus factâ non pertinebat, est interdictus. Et verò cùm his ipsis sub Religionis turbis Ministelli duo Hauserus, & Philippus Barbatus tum sparsæ typis, tum declamatæ ad populum Flaccianæ doctrinæ rei deferentur, carceribus aliquamdiu in turri, ad Päller Thor nominatâ, mulctati, sub finem Junii An. 1585. in exilium missi sunt. Pulsus etiam ex Hernhals, quem loci Dominus conduxerat, Evangelii Lutherani præco; Inzerstorffensi autem Acatholicorum Ordinum Ministro pœna exilii, si ad promiscuam concionem verba facere continuaret, constituta.

Anno insequenti 1686. Religionis Catholicæ procurandæ cura ad cæteras quoque Austriæ Urbes protensa, nusquam earum publico exercitio Lutheranis permisso. Cui reformationi licèt Crembsenses multùm obluctarentur; Georgii tamen Schereri, & Pauli Christiani S. J. Sacerdotum operâ effectum, ut pulsis rabulis, spes haud parva affulgeret, jam 40. annis heterodoxæ

Doctrinæ innutritos Catholicæ fidei restituendos. Tumultuatum gravius Bavaro Waidhoffii, & jam ad civiles motus spectabant omnia; cùm jussus primùm eò accurrere idem Georgius Schererus, rem Catholicam non sine vitæ periculo propugnabat; demum defervescentibus tumultuantium animis, turbarum authores capitis rei ab iis, qui componendi motûs causa Waidhoffium ab Archiduce missi sunt (Albertus scilicet ab Singerstorff, Udalricus Kren à Krenburg, Michaël Ehaim Rector tum Magnificus, omnes J. U. Doctores, & Excelso Regimini à consiliis) pronunciati fuêre.

Meliùs quoque apud Universitatem res Catholica, ùt Acta Theologica notârunt, haubit ex obitu Michaëlis Lingelii, Caspari Pierpachii, & Michaëlis Spitaler Medicinæ Doctorum, qui Luthero penitùs imbuti authoritate nominis haud paucos in pravam traxêre doctrinam. Hos meliori fato insecuti sunt Paulus Widner Medicinæ Doctor, tertiùm Rector Magnificus; Matthæus Stuff J. U. D. M. Stephanus Grisauer, ac M. Bengelius; ille ludi ad D. Stephanum, hic ad S. Michaëlem Rector, viri Catholici, & de Universitate haud parùm meriti.

Interea anno 1585. impetrata demum Statutorum, Privilegiorúmque Academicorum à Rudolpho Cæsare confirmatio fuit: operam in id plurimùm Magnifico Superintendente Sigismundo ab Oëdt conferente. Dein quòd autumnali superiore anno Academici Principis creationi pauci adeò ex Facultatibus singulis adfuissent, ut ad complendum Procuratorum numerum Ex Rector Adamus Preterschnegger requiri debuerit; Professores stipendio conducti habendis lectionibus maximam partem deessent; Bursarum superintendentes aut heterodoxi nominarentur, aut ejus sectæ novitii in Bursas reciperentur, & quæ sunt hujus generis querelæ; ùt ad Archiducem relatæ sunt; exaggeratis literis eos commonefecit, ut in emendationem earum rerum omnino incumberent; quæ integra

græ in actis Theologicis recitantur. Ejusdem denique Serenissimi Ernesti mandato in mutatione autumnali An. 1585. fasces Academici penes prioris semestris Rectorem Magistrum Hubertum Luetanum, Logicæ Professorem, & Scholæ Provincialis moderatorem mansêre. Consenserat haud gravatè Facultas Theologica, seu quòd careret viro, qui dignitati huic sustinendæ par fuisset; seu quod cœptam nuper per Luetanum ex Archiducis commissione Universitatis restitutionem impeditam nollet.

Dum hæc Viennæ geruntur; Romæ An. 1585. 8. Aprilis vitâ sanctissimè cessit Pontifex O. M. Gregorius XIII. ætatis 84. de Ecclesia licèt tota & præclarè gestis, & correctione Calendarii optimè meritus, de scientiarum tamen, & Religionis augmento præprimis; ad utrumque enim promovendum non modò alumnos in Viennensi Convictorum Collegio fundavit; sed præter Germanicum, Græcum, Anglicum, Neophytorum Armenorum sub Societatis Jesu curâ Collegia, universim duo omnino, & viginti erudiendæ literis, & Religione juventuti Seminaria, aut erexit, aut dotavit. Post Novendialia Purpurati Patres ad supremam Ecclesiæ dignitatem communibus suffragiis evexêre Cardinalem Monaltum ex Ordine D. Francisci Conventualium, sub nomine Sixti V. qui mox ab electione, quanti viros doctrinâ præstantes faceret, specimen luculentum dedit, dum editâ Bullâ sancivit, ut ex septuagenario Cardinalium numero 14. essent Diaconi, Presbyteri 50.; sex Episcopi; atque ut hos septuaginta inter præter egregios Juris Consultos, quatuor saltem in Theologia Magistri deligerentur.

Eorum in numerum ad postulationem Rudolphi Cæsaris Anno 1585. relatus est Reverendissimus Archi-Episcopus Collocensis, & Hungariæ Palatinus, Georgius Draschkovitius, clarissimum Universitatis nostræ, in qua olim Artium Magister creatus, & Theologicis literis excultus est, nomen. Misso

Româ galero usitatos inter ritus 13. Feb. 1586. Viennæ in Ecclesia aulica inspectantibus Serenissimis Archiducibus Ernesto, Matthia, & Maximiliano, totiúsque Urbis accursu, cui solennitas ea ab annis quàmplurimis non visa, ornatus est. Ad augendum tantæ solennitatis splendorem de dignitate Cardinalitia, de meritis Illustrissimi Archi-Episcopi, â P. Leonardo Glassovitio S.J. è suggestu facundè est peroratum; oblatáque subinde ligato, solutóque stylo à Societatis scholis in idem argumentum conscripta literaria munera novo Ecclesiæ Principi haud parum satisfecêre. Quibus ille officiis ut gratiam haberet, rémque Catholicam in Hungaria procuraret, quòd multis retrò annis vehementer optabat, nunc tandem assecutus est. Vacabat sub id temporis Præpositura Turociensis, à Candidatis compluribus ambita; Cardinalis Cæsarem alloquitur: Quoniam summus Pontifex se honore tanto decorâsset, hanc se primam à sua Majestate gratiam rogare, ut Turociensia vectigalia Societati transcriberentur; inductam in Hungariam Societatem unam sibi juvandæ Patriæ viam videri. Assensus est lubens æquis postulatis Imperator ea lege; ut iis ex proventibus Collegium in Hungaria aleretur: parte bonorum fundando juventuti Hungaricæ Seminario collatâ. Iniit Societas possessionem, & locus Collegio Varaliæ sub Arce Zino designatus est; quod tamen subinde Tyrnaviam est translatum.

Eodem anno hoc 1586. Neostadiensis Episcopus, cujus sedes jam à morte Lamberti Grutteri, Rudolpho Cæsari à sacris concionibus, in comitiis Augustanis anno 1582. die 3. Aug. defuncti vacabat, Martinus Radwegerus, Canonicorum Regularium Viennæ ad D. Dorotheam Præpositus, renunciatus est; Vir à consiliis, Zelo Religionis, prudentiâ, scientiáque clarissimus, Artium Magister, & Baccalaureus Theologiæ olim creatus; cujus electioni Catholici, bonísque

omnes,

omnes, ac præcipuè Jesu Societas, cujus studiosissimus erat, applausêre.

At immodicùm enata anno 1582. atque inde per vices interrupta, pestifera lues Viennam afflixit; quâ, ut in Actis Theologicis est, ingens Viennensium numerus est extinctus. Presserat id malum præprimis Sanctimoniales ad Portam Cœli, quo correptæ, unam si demas, omnes interiêre. Suppetiæ eò ex Parthenone S. Jacobi consensu Ernesti Archiducis, ab Episcopo Viennensi Sabbatho Palmarum anni 1586. inductæ sunt, & religiosam disciplinam, & novas Tyrones curaturæ.

Ab An. 1587. usque ad 1590.

UT Sixtus V. Pontifex præclara Ernesti Archi-Ducis, pro fratre Rudolpho, qui potissimum tempus Pragæ agebat, Austriam gubernantis, pro re Catholica studia remuneraretur, per Lælium Ursinum ex Gravinæ Ducibus, Sedis Apostolicæ Camerarium, & ad aulam Cæsaream Legatum, ensem vaginâ aureâ reconditum, cum pileo gemmis, margaritis, auróque nitente, transmisit. Singularia ea, & non nisi Heroibus eximiè de Religione meritis, ornamenta ut majori cum pompa Ernestus susciperet, indicta solennitati dies 15. Julii anno 1587. quâ ab finitis Divinis officiis litante ad aras Viennensium Antistite, Assistentibus B. V. ad Scotos & S. Crucis Abbatibus, inter festos Ordinum applausus à Romanæ Sedis Nuncio, ritu Ecclesiæ, pileô ornatus, & ense incinctus est.

Secundus quoque Maximiliano Archiduci, Ernesti fratri, annus 1587. electionis in Poloniæ Regem videri poterat, nisi fortunam sinister belli eventus anno insequenti corrupisset. Defuncto superiore anno Stephano Bathorio plures Regni Candidati numerabantur: præcipui Ernestus, & Maximilianus Austriæ Archiduces, atque Sigismundus ex Joanne III. Sueciæ Rege, & Catharina Jagellonica Sigismundi II.

 Polo-

Poloni sorore filius. Austriacis Coronam assertam ibant Nuncius Apostolicus à Pontifice Sixto submissus, Cæsaris, & Hispaniæ Legati: Sigismundum Matertera Anna, defuncti Regis vidua, & antiqua Familiæ Jagellonicæ merita, ac præprimis Joannes Zamoscius Magnus Regni Cancellarius, summúsque Bellidux ab Ordinibus regem petebant. Scissis in partes Proceribus, ab ea, cui Zamoscius favebat, Sigismundus; ab altera, quam Kioviensis Antistes cum Sboroviis, & Radzeviliis faciebat, Maximilianus, Reges pronunciantur. Et aderat jam cum extemporaneo milite ad Gracoviam Austriacus; non urbis tamen modò, sed & Regni potiundi spe à Zamoscio, qui 27. Dec. anno 1584 Sigismundum Regem inungi à Gnesnensi procuraverat, dejectus, dum subsidia ad Bitsinum Silesiæ ex Austria præstolatur, 22. Junii prælio victus, ac post triduum dedito Bitsino, cui se Maximilianus à prælio incluserat, captus. Id Polonico Duci laudi datum, etiam in devicto Archiducem agnovisse, quando in curru suo assidentem Grasnitovam primùm, tum Rodlonam honestam in custodiam deduxit. Actum quantocyus in aula Cæsaris de liberando Archiduce, aliis bello repetendum; mitioribus aliis utendum consiliis censentibus. Custodia interim Principis in alterum usque annum protracta, quòd Maximilianus juri ad Regnum Poloniæ renunciare vel captivus detrectaret. Cùm demum anno 1589. operâ potissimùm Cardinalis Hippolyti Aldobrandini, cum in finem à Sixto V. in Poloniam missi, Maximilianus libertati iis conditionibus est restitutus: *Archidux sine litro dimittatur: qui econtra omni vindicta abstineat; quod solemni juramento, ubi Silesiæ fines attigerit, confirmet. Fœdus Poloniam inter, & Domum Austriacam renovetur. Sigismundus Rex honoris causâ per Joannem Ostrogium Legatum à Cæsare veniam postulet: atque à Cæsare paci servandæ in præsentia Legatorum Poloniæ, & ab his vicissim subscribatur.*

Exce-

Excepit reducem Maximilianum Vienna ingenti lætitiâ; ac majori animi significatione eum ipsum, cui sinistra belli sors Regnum Poloniæ inviderat, 3. Maji supremum Equitum Theutonicorum Magistrum aulico in templo solennes inter ritus inauguratum spectavit.

Dum hæc in Polonia: Viennæ anno 1587. 19. Maji extinctum est magnum Universitatis lumen Georgius Ederus Bavarus Frisingensis, ab humili fortuna literarum studio ad summa quæque evectus. Philosophiæ, & J. U. Doctor. atque Theologiæ Baccalaureus: undecies omnino Rector Magnificus; vir, & à consiliis Cæsari; literato orbi à rara sapientia; à gestis toties Rectoris insignibus Archigymnasio; ab aucta Religione, & pietate Ecclesiæ; & à meritis in Societatem Jesu, quam Viennæ adolescentem auxilio omni, commendationéque promovit; ab humanitate denique, senio, ac virtute bonis omnibus probatissimus. Reliquit post se edita in lucem haud pauca ingenii monumenta, quorum Elenchum Possevinus in Sacro suo Apparatu recenset.

Ederum vir haud minùs de Religione Catholica, & bonis omnibus meritus anno altero, nempe 1588. 15. Aprilis, consecutus est, Reverendissimus Martinus Radweger binis ferè abhinc annis ad Neostadienses infulas ex Præposito S. Dorotheæ vocatus. Ut Religionem Catholicam sua in Diœcesi restitueret, Collegium Societati Jesu Neostadii meditabatur; at interruptis morte consiliis, hæreditatem ferè omnem Collegio Viennensi transcripsit.

Martino in Episcopatu Neostadiensi Administratoris nomine, anno eodem à Rudolpho suffectus est insigni Universitatis cum gloria ejusdem Cancellarius, ac ad D. Stephanum Præpositus, Melchior Klefelius. Debebatur sanè viro istic dignitatis gradus ob præclara in Religionem Catholicam studia; nam anno hoc utroque, cùm Pataviensis simul in Austria inferiore

Diecœsis Officialis esset, non semel per oppida, pagósque profectus, pulsis undique Lutherani Evangelii præconibus rem Catholicam non parum restituit. Flexerunt facilè Facultatem Theolgicam tanta viri merita; ut eundem, tametsi Baccalaureatûs Theologici duntaxat gradu insignem, suos inter Doctores An. 1589, menseNovembri adlegeret; quibus haud paulò ante quoque adscribi Gasparus Neubeckius Viennensium Episcopus voluit; ut ejusdem etiam nomine, qui antehac Friburgi Brisgoiæ purpuram Theologicam assecutus fasces Academicos gesserat, Universitati Viennensi liceret gloriari.

Illud ridiculum omnino annus 1588. tulit: Erat Lutherana è secta Minister Maximilianus Biber, Halæ Suevorum natus, AA. LL. Magister, quatuor, & viginti abhinc annis per Paulum Eberum creatus, qui, ut è Confessione Augustana quæstum sibi faceret, desertâ Sueviâ, Styriam, Austriámque percursabat, ex jocularis cujusdam masculi caligulis cœnam Lutheranam non tam dispensans, quàm velut Agyrta divenditans. Tegebat masculum illum galerus Saxonibus tum usitatus; nasus è cera fictus reliqua facie prominebat; dextram concionantis instar in altum levabat, sinistrâ lateri applicatâ. Braccæ peramplæ binis marsupiis inflatis, aut si mavis, Helveticis caligis haud absimiles, & multicolores, quibus pixidulam putatitiis hostiis, ùt colore, ita magnitudine distinctis, refertum occuluit. Nundinariam eam cœnam dum haud satis clam Viennæ quoque in suburbio, cui hodie ab Auxiliatrice Virgine nomen, exercet, à Magistratu civico, cum conjuge sua Gertrude comprehensus in custodiam traditus est. Extorsit lepidissimum illud Ciborii genus spectantibus omnibus, ac ipsi quoque Ernesto Archiduci, ad quem perlatum est, non tam risum, quàm admirationem, adeò ad tantas imposturas Luthericolas cœcutire. Vocatus impostor in quæstionem, à Kleselio, adjunctis sibi binis è Facultate

tate

tate Theologica Doctoribus; errore, imposturisque desertis, ubi religionem Catholicam amplexus est, longiores post carceres, posthac librario commercio vitam toleravit.

An. 1590.

Clausêre vitam anno hoc Sixtus V. Pontifex; & Serenissimus Carolus Archidux, interioris Austriæ Princeps, hic Græcii 10. Julii; ille Romæ 27. Augusti; uterque & de Universitate Viennensi, & literatis omnibus, ac præcipuè de restituenda Austriacis in provinciis avita Religione optimè meritus. Sixto orbis literatus typographiam, Bibliothecámque Vaticanam, quam 2000. potissimùm MS. refertam, ædificio, inter miracula mundi recensendo, restituit, in acceptis debet; Carolo verò, præter institutam Græcii Styrorum Academiam, Viennensis Universitas persolutos Prælatorum census, & conservata non semel jura. Religionis Catholicæ per Provincias suas restitutio adeò Principi optimo cordi erat, ut quamquam bello Turcico, ad quod subsidium omne Acatholici Ordines pertinaciter denegabant, compulsus, Muræpontanis in Comitiis libertatem Augustanæ Confessionis certa lege fecerit; nihil ei tamen antiquiùs, quàm reformationem suarum Provinciarum meditari. Et præstitisset id reipsa, ni præmatura mors consilia optima interturbâsset. Laxenburgum enim cum Serenissima Conjuge & ob Reipub. negotia, & balneo Manerstorffensi valetudinis causâ, ut annuè ferè consueverat, usurus, profectus, ubi de commoto Acatholicis â Civibus Græcii tumultu commonitus, velocibus equis adproperat, seu Religionis afflictus injuriis, seu itineris molestiis ita per iter fractus Græcium appulit, ut tertio ab adventu die sanctissimè, ùt vixit, expirârit. Sixto in Pontificatu à purpuratis Patribus 14. Septembris Successor datus Cardinalis Petrus Castaneus, Urbanus VII. dictus. At electus potiùs, quàm specta-

tus Romana in Tiara fuit; tertio quippe ab electione die morbo ſuccumbens, poſt tredecim dierum regimen vitâ, ſummisque Eccleſiæ honoribus defunctus, eosdem Gregorio XIV. ceſſit.

Eodem ferè tempore interioris Auſtriæ Provinciæ ad Ferdinandum Caroli filium, Imperatorem dein hujus nominis II. futurum, jure hæreditario devolutæ; qui cùm pubertatis annos necdum attigiſſet, & ſub ipſam Patris mortem Ingolſtadienſi in Univerſitate ſtudiorum causâ abeſſet, à Cæſare earundem Provinciarum Gubernator, dum Ferdinandus adoleſceret, Erneſtus Archidux, Auſtriæ adminiſtratione in Matthiam Fratrem translatâ, nominatus eſt. Juverit hic Studioſi Lectoris in gratiam, ut vel inde non adoleſcentis cujuſcunque illuſtrioris (quibus nunc Scholaſtica facilè penſa vileſcunt) ſed Auſtriacorum etiam Principum in Scholarum leges obſervantiam intelligat, teſtes literas, quibus Ferdinandum Academia Græcenſis Ingolſtadium decimâ tertiâ Januarii anno præſenti moventem comitáta eſt referre.

Paulus Neukirchius è S. J. SS. Theologiæ Doctor, & almæ Academiæ Græcenſis Rector, Cancellarius, Senatúsque Academicus Lectori ſalutem.

EA eſt Sapientiæ dignitas, & amplitudo, ut neminem vel potentiſſimum Principem, in illius ſe tradere diſciplinam, tutelámque non deceat; quin id eò magis viris Principibus convenit, quò ad plures calamitas ſpectabit, ſi, qui cæteris præeſt, quàm, ſi qui ſubſunt, inſipiens ipſe ſit, ac rerum agendarum ignarus. Quam rem perſpectam habens Sereniſſimus Archidux Auſtriæ Ferdinandus, Caroli Principis noſtri Clementiſſimi Filius natu maximus, per omnia ſeſe ſtudio Sapientiæ conſecravit; adeóque in Academia noſtra ritu ſolenni depoſitus, & Studioſus renunciatus eſt, & in Academicum Album de more relatus. Cùm

autem

autem illi esset Parentum Sapientissimorum voluntate aliò studii causâ proficiscendum (non quòd domi Præceptorum copia deesset, sed quòd peregrinatio multùm solet ad sapientiam, usúmque rerum conferre) ne, quòd sibi veri studiosi insigne indiciúmque deesset (quamvis ejus verba apud omnes pro testimonio sufficerent) voluit nos hoc ipsum publicis litteris, Academiæque sigillo munitis contestari; quod animo fecimus libentissimo, eique præterea ab immortali Deo peregrinationem hanc faustam, felicémque precamur; ut, quod speramus, magnis sapientiæ opibus auctus domum aliquando revertens, quantùm modò sui desiderium Serenissimis Parentibus relinquit, tantùm deinde, atque etiam plus referat voluptatis; suóque tempore Paterni Principatûs gubernacula capiens, sic illa tractet, ut neque Parentis illius optimi quidquam in eo solertia, prudentiáque requiratur, & ex omni ejus vita, ac imprimis Catholicæ fidei, vel tuendæ, vel amplificandæ studio, satìs appareat, diligenter ipsum operam dedisse Sapientiæ. Dat. Græcii in Universitate nostra die 11. Jan. Anno Salutis 1590.

Interea, ùt Tabularium Universitatis habet, cùm rursum facultas Medica nonnullos alibi promotos absque Professione fidei ad manus Cancellarii emissæ recepisset; ne violatam Ferdinandi I. Pii IV. Pontificis & nuper editam à Rudolpho constitutionem impunè ferret, ab Universitatis Senatu severè reprehensa; recepti aut ad fidei jurare formulam, aut Facultatis juribus abstinere, jussi sunt. Theologi verò quem superiori anno in Facultatem admisêre Melchiorem Kleselium, in autumnali Magistratûs renovatione Decanum eodem anno hoc designarunt. Orta exinde quæstio est, num qui Cancellarii munere fungeretur, in Decanum eligi possit? Idcirco Magnificus D. Superintendens Sigismundus ab Oedt negotium hoc tribus cæteris Facultatibus decernendum commisit: Quæ,

ma-

matura deliberatione præmiſſa, non modò ſine incommodo, & detrimento Archigymnaſii, ſed & ad Statuta conformiter, ſi rei neceſſitas, ſingularíſque ratio id exigat, utrumque officium conjungi poſſe cenſuerunt.

Nec prætermittendæ ſunt, quas anno hoc Viennenſis Urbs tum incendio, tum inſolita per æſtatem ſiccitate, conſecutóque inde terræ motu accepit clades. Ipſo ſancti Georgii feſto inopinata flamma Stubenſem propè Portam erupit, magnámque Urbis partem depaſcens, vix tandem ſopita eſt. Scholarium debebatur ſolertiæ, quòd Academia illæſa, Burſæque perſtiterint. At majus longè damnum à terræmotu, quo utì Auſtria ferè omnis, ita Vienna 15. Septembris ſub horam quintam veſpertinam modicè primùm, ferociùs dein horâ alterâ, vehementiſſimè demum ſub noctis medium contremuit. Diffiſſa paſſim hiabat terra; cauponæ ad Aureum ſolem dictæ ruinâ undecim homines oppreſſi: domus aliæ quaſſatæ pleræque; diffracti templorum fornices; collapſa Collegii Societatis turris; Divi Stephani immenſa moles multis labefactata locis; quod hodie adhuc curvatum nonnihil turris faſtigium oſtentat. Rediit, mitiùs licèt, eadem terræ concuſſio 17. ejusdem menſis horâ ſeptimâ. Sed indictis tandem, quas pluvio quamvis cœlo Sereniſſimus Archidux, & Vidua Galliæ Regina Eliſabetha ſingulari comitati ſunt pietate, ſupplicationibus, tremor omnis placato Numine conquievit.

An. 1591.

SUb anni hujus principium; decimâ ſcilicet Februarii elatum eſt Sigismundi ab Oedt, J. U. Doctoris, Excelſi Regiminis Cancellarii, ac Cæſarei in Academico Senatu per annos 26. Superintendentis, funus. Ei ob præclara in Univerſitatem merita, ùt juſto dolore, ita habitis ad D. Stephanum exequiis parentatum. Nam præterquam, quod conſervandis juribus, reſtau-

randæ

randæque Catholicis membris Universitati vigil semper excubaret; mox ab adito Superintendentis munere Academicum ærarium annuo 100. florenorum censu auxit, Scholarum, Bursarum, Professorúmque domibus reparatis; cubiculum habendis Academicis comitiis propè ruinam minitans ex integro restituit, frontispicio sequentes versus referente:

Hæc est Palladii curâ reparata Senatus
Atque nova cœpit luce nitere domus.
Quando Sigismundus Superintendentis honores
Gessit, ab Oedt clarum stemate nomen habens.
Quem DEUS, & patriam, cum Patre, & Cæsare magno,
Cunctáque Cæsareæ protege membra Scholæ.

Ad interiorem portæ faciem hæc pia vota legebantur:

Vivat, & Imperii Sacras moderetur habenas,
Vivat amor legum Maximus Æmilius!
Vivat, & incolumnis populos in pace gubernet,
Vivat, & hostiles conterat usque dolos.
Vivat; & Aonias foveat pietate Camœnas:
Hujus & auspiciis floreat ista domus.

Ab ejus morte more solito Candidati Excelso Regimini nominati sunt, ex Facultate Theologica Reverendissimus D. Melchior Kleselius Universitatis Cancellarius, Præpositus S. Stephani, Administrator Episcopatus Neostadiensis, S. C. M. à Consiliis, & concionibus Aulicis. Ex Juridica Michaël Eham, & Carolus Stredele, uterque Excelsi Regiminis Consiliarius. Ex Medica Benedictus Perger. Ex Artistica M. Hubertus Luetanus Professor Dialectices Ordinarius, & Scholæ Cæsareo-Provincialis Rector. Delectus ex iis haud multò post tempore Carolus à Stredele, vir jam antehac gestis Academicis fascibus spectatus.

Dato Universitati novo Superintendente, in mutatione autumnali novus quoque Rector eidem obvenit exemplo hactenus nondum viso; is ipse, qui ei-

dem à Cancellis, Reverendiſſimus Melchior Kleſelius, è Facultate Theologica communi Procuratorum ſuffragio renunciatus. Factum id eo potiſſimùm ex capite, quod calamitoſa ea tempeſtate magnopere Univerſitatis res viri tanti, gratiâ Erneſti Archiducis, Rudolphiſque Cæſaris ſuffulti, authoritate promotum iri crederentur; cui ſcilicet nuper ea honoris ſignificatio obveniſſet, ut hoſpitali menſæ, quam Urbano Pataviensium Epiſcopo, ad Synodum Diœceſanam Viennæ condictam profecto, inſtruxerat, Sereniſſimus quoque Erneſtus aſſideret.

Sævientibus Romæ & in Italia fame, atque peſte, obiit Gregorius XIV. 17. Kal. Octobris. Hic primus aſſumptis ex Ordine Regulari Cardinalibus pileum rubrum indulſit. Ei ſuffectus Antonius Fachinetus ſub Innocentii IX. nomine; at poſt duos ferè menſes vitâ decedens, Sedem Pontificiam ſub Anni ſequentis initia Clementi VIII. Cardinali antehac Hippolyto Aldobrandino, conſcendendam reliquit.

Ab An. 1592. uſque ad 1594.

TAmetſi ab initis nuper induciis pax cum Turca Cæſari eſſet; non ſemel tamen ad Croatiæ fines à Boſniæ Præfecto Haſane hoſtiliter excurſum, magna plerumque ſuorum clade. Violatas exinde Magnus Turciæ Vezirius inducias cauſatus, bellum perſuadet Amurathi, idque eò faciliùs, quòd ſuperiori anno pax cum Perſis ſancita foret. Sub Annum igitur 1592. terrâ, mariſque apparatum à Turcis bellum; ductus exercitus in Croatiam: vaſtata omnia; erepto Wichazio, & Chriſtiano exercitu, cui ex interioris Auſtriæ Provinciis conſcripto Erneſtus Archidux, atque Carolus Marchio Burgovienſis, Ferdinandi Tyrolenſis Archiducis ex Welſeriana filius, ſuprema præerat poteſtate, diſſipato. Rudolphus interea & ipſe componere ea, quæ bello ſuſtinendo neceſſaria: atque imprimis cum Bohemiæ, & Hungariæ Statibus de belli

ſub-

ſubſidiis agitare ; quod ipſum Cæſaris nomine à Matthia Viennæ, & per Auſtriam; per interiores autem Auſtriæ Provincias ab Erneſto Adminiſtratore factum. Et verò dum hæc maximè fervent, Turcæ cum 20. millibus Siſekum Sclavoniæ ad Styriæ, & Garnioliæ fines ſitum An. 1593. obſidione cingunt: accurrêre mox confiniarii milites fere ſex millia, qui inito 22. Junii cum hoſte prælio 18000. partim cæſis partim colapi flumine hauſtis, caſtris potiti ſunt. Reduce tamen haud paulò pòſt cum majori exercitu Sinane Vezirio, Siſekum ſuccubuit. Traducto inde in Hungariam bello Pallota & Veſprinium interceptum. Amurathes Imperator tanta ſuorum ad Siſekum clade perturbatus primùm; at recèns iterum relatis victoriis ferox, palàm Rudolpho Cæſari bellum, de reparandis induciis non ſegniter laboranti, magno faſtu denunciat; ob peſtiferam tamen luem, quæ Militem Turcicum invaſerat, Budam legiones reduci jubet. Ea occaſione Chriſtianorum per Hungariam copiæ uſæ, 3. Novembris Albam Regalem aggrediuntur, hoſtémque, qui in ſubſidium accurrerat, magna clade repellunt, ea virtute, & vi, ut è 32. quæ ſecum advexerant, tormentis, ne duo quidem in noſtros explodendi tempus ſuppeteret. 10000. propè, ùt Acta Nationis Hungaricæ annotant, Turcarum cæſa; Chriſtianis vix 40. deſideratis. Eodem tempore in Pannonia quoque Superiori à Chriſtianis variæ Turcis illatæ ſunt clades, & præter multa alia minoris nominis loca, Fileckum eisdem à Chriſtophoro Teuffenbachio ereptum eſt.

Dum omnia apparando ita bello fervetent, ut Univerſitati proſpiceretur. Maximiliani Archiducis nomine bina ad Rectorem Magnificum, & Univerſitatis Conſilium emanârunt Decreta: quorum priori 23. Maji edito, Academici frequentiores publicis adeſſe actibus, neglectúmque Academici veſtitûs uſum pro ſtatûs cujusque conditione reſumere jubebantur. Altero, quod 10. Octobris exiit, cavebatur: ne ſeu Theo-

logica

logica, seu quæcunque alia Facultas in Rectorem, Decanum, aliúmque Facultatis Officialem eligeret, nisi qui potiori saltem anni parte officii sui, & præsertim Consistorii functionibus præsens ipse adesse non posset; utriusque Decreti tabulæ in Actis Theologicis extant.

Aliud mense Junii à Consistorio ad Matheseos Professores datum Decretum, quo eos antecessorum vestigiis insistere jubet; prætermissam nempe hactenus, ut Decretum sonabat, Matheseos praxim in edendis annuis Prognosticis, & Calendariis Theoriæ conjungerent. Animavit ea adhortatio Mathematicos Viennenses adeò, ut vix annus unus posthac efflueret, quin non â variis sua ederentur Prognostica; à plerísque tamen ita licentiosè, ut non modò bellorum eventus, pacis fœdera, sed & futura libera passim definirent; ut haud immeritò à Facultate Theologica, cujus ad censuram illa semper à Consistorio submittebantur, Astrologia ea judiciaria ut interdiceretur, sit adlaboratum.

Cœpta est anno hoc, ùt superiori anno communibus Theologorum suffragiis constitutum, Solennitas D. Joannis Evang. Theologicæ Facultatis Tutelaris, 6. Maji in æde D. Stephani celebrari; die scilicet illo, quo ejusdem Divi sub Trajano in fervens oleum immissi memoria recolitur: cùm antehac in Prædicatorum Ecclesia ipsis sub Natalitiis Festis non levi incommodo, occurrentium sub eas ferias sermonum, ageretur.

Procurato à Facultate Theologica commodiori persolvendis D. Tutelaris Joannis honoribus die, à Viennensi quoque Episcopo Casparo Neübeckio impigrè procuratum, ut D. Leopoldo Austriæ Marchioni sacra dies publico ritu Austriacis solemnis esset. Ea res, ut communi ageretur consilio, cum Universitate; atque ab hac cum Facultate Theologica communicata; à qua pium illud studium sententiâ, rationibúsque luculenter deductis, quæ in ejusdem Facul-

tatis

tatis Actorum libro asservantur, est comprobatum. Animatus eâ Theologorum sententiâ studiosissimus D. Leopoldo Præsul egerat omnino, ut eidem per suas in inferiori Austria parochias Pataviensis Antistes honorem parem decerneret; Injectam, nescio quas ob causas moram, demum annus 1662. sustulit, quo operâ Leopoldi Guilielmi Pontificia authoritate Festa choro, foróque D. Leopoldi dies inferiori Austriæ dicta est.

Discessit denique anno hoc 1593, Belgium post obitum Alexandri Parmensis gubernaturus, ad postulationem Philippi II. Hispaniarum Regis Archidux Ernestus, qui à morte Caroli Austriam interiorem pro Ferdinando administrabat. Styriam interim regendam Maximilianus, dum Ferdinandus Ingolstadio rediret, susceperat. Abiturus in Belgium ultimùm 22. Octob. ab Universitate est salutatus, gratiis ei amplissimis ab ejus temporis Rectore Magnifico M. Joanne Leandro ob favores plurimos persolutis.

An. 1594.

Ut suscepto superiori anno bello Turcico par esset Rudolphus, delectus undique Austriacas per ditiones habiti; Ratisbonæ etiam ea ex causa mense Martio Comitia Imperii Ordinum celebrata; sancitum item cum Sigismundo Bathorio Transylvaniæ Principe, antehac Turcarum Fiduciario, fœdus, conjugio cum Christierna Archiducis Ferdinandi sorore anno sequenti stabilitum. Belli hujus apparatibus & Universitas haud modicè involvebatur. Præterquam enim, quòd contributionibus gravarentur universim omnes, è privatis quoque ii, qui domus, prædia, hortos intra, extráque urbis pomæria haberent, operas propriis sumptibus conductas, alendásque dies aliquot, Archducis mandato submittere jubebantur, muniendis, reparandísque Viennensis urbis, ad portas præcipuè, mœnibus. Ad hæc. *Quandoquidem*, Decreti Archiducis verba sunt, *Nobilitatis Privile-*

giis , nominéque gauderet Universitas , Academicis , ut dicimus, sæcularibus , demandatum : Equites 30. conscriberent , qui honorariam Archiducis è Nobilibus lectam cohortem augerent. Decem , nec plures, æris gravata penuriâ , submisit Universitas, quos armis, & commeatu in menses duos instructos ad Castra adduxêre Joannes Zehetner , & Georgius Reffingerus.

Ne verò in bellum propitius quoque Superûm deesset favor, cœptæ in Societatis JESU Collegio 40. horarum preces ; quam precandi rationem annis abhinc duobus Romæ à summo Pontifice Clemente pro communis Christianæ Reipub. necessitatibus primùm institutam Societatis Patres Viennam invexêre. Pietatis hoc studium adeò Matthiæ Archiduci probatum est , & Viennensibus orthodoxis,ut ejusdem Archiducis,Viennensiúmque Antistitis mandato in reliquis quoque per ordinem templis instituereretur , totóque durante bello per vices continuaretur. Renovatum iterum Maximiliani II. mandatum de admonendo ad pias preces per datum hora septima matutina ære comparo signum.

Interea jam duo sub veris initio exercitus adversùs hostium incursus constiterant ; collectus ex interiori Austria miles in Croatia ; Cæsareus in Hungaria ad Jaurinum ; illi Maximilianus : huic Matthias Archiduces Fratres , Duces. Feliciùs in Croatia , minùs prosperè in Hungaria res gerebatur ; nam à fœderatarum interioris Austriæ Provinciarum exercitu anni hujus decursu Petrinia, Castanewiza, Babotscha, aliáque minoris nominis erepta ; in Hungaria ab adventu Matthiæ Noviogradum 9. Martii ad deditionem coactum ; Strigonium etiam obsessum : sed adventante cum ingentibus Turcarum , Tartarorúmque copiis Sinane Vezirio soluta obsessio est. Lætus eo successu Vezirius , cùm Christianos prælium detrectantes frustrà insequeretur , converso ad Jaurinum bello Urbem , Austriæ propugnaculum , diu fortiter defensam deditione cœpit. Datus hac de causa custodiæ , Matthiæ jussu , Hardeckius ,

deckius, Jaurini Præfectus, factáque disquisitione anno sequenti seu culpæ convictus, seu sedandæ furentis, trepidantísque Jaurini ob deditionem populi ferociæ, publico in foro unà cum Nicolao Perlino, facinoris, ùt ferebatur, authore, Viennæ 16. Junii securi percussus est. Vezirius Comaromium inde tentavit, sed anni in hyemem declinantis tempestate prohibitus, expugnati Jaurini gloriâ satur Constantinopolim reversus est.

Publicas inter belli calamitates, & jacturas, id tamen emolumenti Universitati, Facultati præprimis Juridicæ accrevit, quòd edito Cæsaris, & Matthiæ Archiducis nomine Decreto exactè cautum sit: ne cui Jurisconsulto posthac liceat causas ullum ad Tribunal Viennense agere, qui præmissa de more repetitione, Facultati eidem adscriptus non sit.

Theologi porrò 13. Junii Viro insigni orbati sunt, P. Maximo de Ferrariis, Brixinensi Ord. Prædicatorum, qui à 23. annis in Universitate Scripturam sacram veteris Testamenti est professus; cui cùm ex Consistorii suffragiis suffectus esset Conradus Hollanderus ex eadem Religiosa familia Academicus Theologiæ Doctor, lectionem eam veteris Testamenti sibi in Theologiam Scholasticam commutari à Consistorio postulavit, eò potissimùm, ùt Annales Theologici referunt; *quòd Lectio veteris Testamenti parum utilis esse videretur, eáque sine doctrina methodo adeò sparsa, & varia sit, ut in schola à nullo sit absolvenda, sed in omnem vitam sit extendenda; in Theologia verò scholastica juxta Magistri sententiarum methodum tota sacra doctrina certa ratione tradatur, ejúsque in omni quæstione vera fundamenta explicentur; ut proinde par sit, ne illa ab uno tantùm Professore quinquennio, quod Ferdinandi I. Reformatio ad complendum studium Theologicum requirit, absolvatur.* Æqua Hollanderi postulatio Senatui Academico visa est; attamen cùm Reformationis Cæsareæ formula expressis verbis exigeret, ut præter Theologiæ Scholasticæ Lectionem, novíque Testa-

menti explanationem (quarum utraque Societatis Religiosis in perpetuum collata est) veteris quoque Testamenti libri in Universitate prælegerentur, benignè quidem annuit petito Universitas eo usque, dum sibi aliud visum fuerit.

Haud paulò post ingenti Viennensium luctu vivere desiit Reverendissimus eorundem Antistes Joannes Gasparus Neübeck, Friburgi Brisgojæ è sacro simul patria in urbe, ac Scholastico pulpito antea Doctor: ac à gestis ibidem Rectoris insignibus, titulísque clarus. Anno 1574. à Maximiliano II. Cæsare Episcopus Viennensis nominatus, anno insequenti à Gregorio III. confirmatus, atque à Stephano Felerkuvio Vesprimiensi Episcopo consecratus. Viginti omnino annos inter labores plurimos pro Religione Catholica, Viennâ mediam partem Lutheri dogmate corruptâ, tutandísque Ecclesiæ Romanæ sacris indefesè desudavit, cùm 28. Augusti anno hoc piè, ùt vixit, in Domino obdormivit. Parentavit eidem Universitas Viennensis, cui binos ante annos nomen dederat, sermonem ad Academicos in D. Stephani æde Stephano Bertholdo J. U. Doctore magnificè perorante.

Ab An. 1595. usque ad 1598.

ET vario in Turcas Marte, & domesticis Rusticorum tumultibus Universitas cum Austria annis hisce involvebatur. Ut itaque paribus armis viribúsque adversùs Mahometem ingenti conatu bellum post Amurathis fata apparantem iretur, Posonii ab Archiduce Matthia, Pragæ ab Rudolpho Cæsare comitia sub anni initium celebrata. Scriptus undique miles, subsidiáque postulata. Nec deerant periclitanti, capto superiore anno Jaurino, Austriæ Imperii Ordines, Italiæ Reguli, Pontifex inprimis, qui sub æstatem 1000. equites, & 12000. peditum Duce Francisco Aldobrandino nepote suo, submittebat. Additi Pontificiis Legionibus Castrenses è Societate JESU Patres Seni, è Divi Fran-

cisci Capucinorum familia itidem alii, qui omnes, ubi Viennam transiissent, dierum aliquot hospitio in Societatis Collegio excepti sunt. Collectus Christianorum exercitus tredecim equitum, unius, & quinquaginta peditum millibus, præter eas copias, quæ ex interioris Austriæ, Croatiæque populis coactæ ad Croatiæ confinia stabant, definiebatur, duas divisus in partes: illi, quæ in inferiori Hungaria in hostem ageret, Supremus belli Imperator Matthias Archidux adjuncto Carolo Mansfeldii Comite, quem Rudolphus nuper Belgicis victoriis clarissimum Imperii inter Principes Pragæ retulerat; Alteri quæ superiori in Hungaria hostes observaret, Maximilianus frater addito Christophoro Teuffenbachio, præfectus. Bello initium à Strigoniensi urbe per Mansfeldium 1. Junii obsidione cincta datum, dum 8. Augusti Matthias castris adesset. Cæsis non semel Turcarum subsidiis eo denique res spectabat, ut 1. Septembris Strigonium pactis conditionibus dederetur, relictâ à Mansfeldio captæ Urbis Archiduci gloriâ, ut qui sub mensem Augustum morbi vi correptus decimâ quartâ ejusdem mensis die militarem, & virtutibus clarissimam animam Comaromii expiravit. Post hæc Vicegradum Joannis Francisci Aldobrandini potissimùm præclara virtute Turcis ereptum. Gesti feliciter adeò in Hungaria belli laus ad Sigismundum Transylvaniæ Principem magna ex parte redundavit, qui, ut ductâ mense Julio in Conjugem Maria Christierna Caroli Archiducis Styriæ filiâ, Austriæ fidelem jungeret operam, ademptâ Turcis Valachiâ, & Moldavia, & vel solâ nominis famâ Sinane Vezirio cum ingenti exercitu in fugam versô, hostium vires ab Hungaria avertit; ulteriùs progressurus, nisi Polonicæ turbæ Sigismundi victorias stitissent.

Reddidit anno sequente 1596. Mahometes Christianis vices; ut enim ademptum vindicaret Strigonium, & nuper à Maximiliano Archiduce Vacium, ac Hatvanium, ingenti exercitu in Superiorem Hungariam

irruens mense Septembri Agriam obsidione cinxit, 12. Octob. deditione, quamquam non servata præsidiariis fide, quos urbe egressos ad unum cecîdit, acceptam. Expugnationem eam illustriorem reddidit insignis de Maximiliano victoria, quem ab captâ Agriâ decretoriam pugnam audentem ad Kerestum 26. Octobris non sine suorum clade profligavit. Annus demum 1597. varios inter belli apparatus, velitationes mutuas, & recepta utrimque minoris nominis oppida absumptus est: cùm Austriam, Germaniámque interea pestifera lues haud parum popularetur.

At majori longè terrore Viennam impleverat rusticorum utriusque Austriæ tumultus, his ipsis bellis Turcicis maximè gliscentibus An. 1595. exortus. Superioris præ cæteris Austriæ Mülleneses ruricolæ, Luthero addicti omnes, turbarum incentores extitêre. Negatam identidem Confessionis Augustanæ libertatem, pulsos Evangelicos pastores, perpetuis se, & inauditis opprimi exactionibus, in bellum Turcicum invitos adigi à Dominis, contra jus, fásque, & vetera privilegia novis se vectigalibus onerari clamitantes. Hinc in turmas colligi rustici, Dominorum sese jussis opponere: ejicere è Paræciis Parochos, Traunenses, Hausruckenses, Swarzenses, in societatem invitare colonos, icere fœdera, spoliare arces munimentis, oppida armis tentare, urbes, & pagos à suis alienos partibus cogere, quiescere nonnunquam, rursus, dum eis pro libitu non concederentur à Dominis omnia, arma resumere, & tumultuari. Ut mitioribus primùm Cæsar mediis contra tumultuantes ageret, publicis hortatus literis: arma seponerent; si jure læsi, querelas scripto adferrent, facturum se, quod fas esset, & æquum. Quem in finem anno dein 1596. Judices Lincium submisit, ad quos, & Provinciales Superioris Austriæ Status & rustici ipsi per Deputatos suos jus læsum deferrent Sed sub ipsa causarum disquisitione tumultibus à rusticis non temperatum. Invitati insuper

ad

ad turbas inferioris Austriæ ruricolæ, qui vicinas superiori Austriæ, nempe Superiorem Manhardspergensem, & supra sylvanam, plagas incolunt. Avidiùs isti arma arripuêre, & haud dissimiles rationes causati, vim, furorémque per vicinas regiones circumtulêre; adeò quidem, ut & Viennæ mense Martio, Aprilíque An. 1597. haud semel trepidaretur. Sopiendo tumultui â Matthia Archiduce Viennenses copiæ & Academicus manipulus collectus, qui à vicinis Viennæ oppidis rusticos propulsarent. Moratskius & Collonitschius Chiliarchæ ad S. Hypolyti missi; obsidentes urbem rusticos dispulêre, deinde in campis Wilhelmspurgensibus collectos magna clade affecêre. Dilapsi exinde in domos suas plerique; tumultûs Authores cum Wilhelmspurgum sub festa Paschatis intrâssent, à Civibus partim necati, partim capti Viennam ad pœnas rebellibus debitas missi sunt. Quatuor ex illis 21. Octobr. Viennæ in foro aulico supplicio affecti. Primus eorum, ùt Acta Academica habent, vivus crurifragio interiit: alter capite plexus, ac in partes dissectus: bini alii truncati capite; quibus postremis tribus, quod Catholicè in assistentia P. Hieronymi Brassicani, & P. Ferarii è S. J. Sacerdotibus morerentur, mitior pœna inflicta. Cæteri abscissis auriculis, ubi fidelitatem quietémque jurarunt, ad tuguria sua remissi sunt. Compositâ jam inferiori Austriâ, ubi ultima in Transanisianos seditiosos arma Gotthardus Starenbergius convertit, oratione Ducis, ut sese demum componerent, ni extrema experiri vellent, flexi, abjectis armis imperata se facturos traditis tumultûs authoribus spoponderunt; sicque tumultus omnis conquievit.

Dum hæc justo bello, seditionéque aguntur; uti per Austriam omnem, ita Viennæ Acatholici res sectæ suæ strenuè promovebant. Domo Provinciali ad concionem à Verbi Ministro palàm iterum declamatum, atque à confluo passim Lutherano populo inibi preces ad DEUM pro avertendo bello Turcico fusæ; ab

 Ordini-

Ordinibus Superioris Austriæ liberum Religionis exercitium popularibus concessum; quibus tamen severis mandatis à Matthia Archiduce obviam itum, ne bellorum occasione res Catholica detrimentum pateretur. Præterea cum intellexisset Archidux, veterem trivialibus in scholis disciplinam, institutionémque dilapsam, obiri iterum eas, disquiríque ab Officiali ad D. Stephani, Theologicæque Facultatis Decano mandavit. Anno 1596. bini scholarum Rectores, qui Luthero addicti erant, excesse jussi: hæreticis pueris libelli erepti: quotidiana Catholicæ fidei è Petri Canisii Catechismo prælectio instituta.

Ab An. 1598 usque ad 1600.

Restituit nonnihil Viennensium, & Christiani orbis animos Jaurinum felici astu ab Adolpho Comite de Schwarzenberg Turcis 29. Martii ereptum: eo ipso tempore, quo Cæsaris nomine Matthias Archidux in Imperii Comitiis Ratisbonæ subsidia procurat. Negligentioris enim Jaurini custodiæ Schwarzenbergius Comaromii Præfectus commonitus, inopinum hostem obruere decernit: machinam bellicam, quam Petardam vocant, ad perfringendas urbis portas expedit. Re cum fidentioribus communicata, confiniariorum militem clam contrahi jubet, adjuncto ei Hungarorum equitum comitatu, Danubium ad Comaromium transmissurum; inde quid cuique agendum edocet: præsertim quinque Hussaris linguæ Turcicæ peritis in mandatis dat: nocte proxima, dum reliquus miles subsequeretur, stationarium Jaurini militem fallerent nuncio, adfuturum Budâ in horas commeatum; crates refigerent ad Albæ Regalis portam, ne subsequenti hosti in prædam cederet. Ex voto cessêre omnia; ergo ubi miles Cæsareus urbi noctis beneficio appropinquat, applicata primùm portæ per Vaubecurtium Gallum ingenio, manúque promptum Petarda, eóque successa effectu, ut diruptâ portâ Chri-

stiano

ſtiano militi aditus ad urbem ſterneretur. Stupentibus inopinum facinus hoſtibus, diu, multúmque intra urbem certatum, cæſis demum 1300. hoſtium, captíſque 300. cum filio Baſſæ Urbis Præfecto, qui ad extremum acerrimè dimicans, ne caperetur, periit, Jaurinum ad Chriſtianos rediit tanta omnium admiratione, ut diu prædicata magìs, quàm credita res eſſet. Eodem ſubinde victoriæ curſu hoſtis ad Albam-Regalem cæſus, compluráque Hungariæ oppida recepta; Buda *ipſa* Regni caput menſe Octobri obſidione tentata; frigore tamen autumnali, pluvíſque continuis exercitus fatigatus ſolutis caſtris in hyberna reductus eſt: nec altero abinde anno ſingulare quid geſtum, dum de pace Turcam inter, & Cæſarem, etſi nullo fructu, ageretur.

Effuſis in lætitiæ ſigna ob receptum Jaurinum à Chriſtianis; Viennæ compertus eſt Flaccianæ ſectæ aſſecla, cui Oswaldi Koffler nomen, eò dogmatis ſui principiis abreptus, uti Acta Univerſitatis notârunt, ut tum privatis in Concionibus, cùm editis in lucem pagellis ſupplicationes, precéſque publicas pro ſecundo armorum adversùm Turcas ſucceſſu non improbaret modò, ſed & damnaret. Is Scribæ, Sollicitatoríſque titulo Univerſitati cùm ſubeſſet, juſſu Sanctioris Conſilii in quæſtionem vocatus, vitæ, Religionis, doctrinæque rationem juſſus eſt reddere, Flaccianæ hæreſis damnatus, & diſtributæ per nobilium æquè, ac Civium domos cœnæ convictus, carceribus, & pecuniaria caſtigatus mulcta, demum in exilium actus eſt.

Proximus annus, qui 1598. erat, Univerſitati funeſtus *fuit* Caroli Stredele J. U. Doctoris, Excelſi Regiminis Conſil. & Cæſarei apud Univerſitatem Superintendentis morte, quæ in 25. Sept. incidit. Nominati de more ſunt à Facultatibus eo pro munere Candidati, ex Juridica Chriſtophorus Pirchamer Regiminis Cancellarius; Elias Corvinus, Udalricus Kren à Krenberg. Matthias Püchlmayr, Joannes Schwarzentaller: Ex Medica-

dica, Benedictus Perger, Diomedes Cornarius, & Joannes Leander: Ex Artistica M.M. Nicolaus Renner, Hubertus Luctanus, Andreas Prudentius, & Andreas Gäsl. His tamen omnibus præteritis Superintendens renunciatus est Paulus Seauer, J. U. Doctor, & Regiminis Consiliarius; qui cum officium illud gravioribus negotiis occupatus detrectâsset, nonnisi biennio post, anno nempe 1600. die 19. Dec. consultissio viro Matthiæ Püchlmayr, Phil. & J. U. Doctori, & G. M. in Excelso Inferioris Austriæ Regimine Consiliario collatum est.

Quo ipso año 1598. vacanti jam inde ab año 1594. Viennensi Episcopatui à Rudolpho Cæsare Antistes datus is ipse, qui & Præpositi ad S. Stephanum, & Cancellarii apud Universitatem, & Officialis in Curia Passaviensi, Administratoris Neostadiensis Episcopatûs, Consiliarii denique, sacríque apud Cæsarem Oratoris munere fungebatur, Reverendissimus Melchior Kleselius. Quem Universitas, accepto hac super re 20. Feb. Cæsaris nomine Decreto Cancellarium simul suum, & Viennensem Episcopum venerata est: Quamquam à Sede Apostolica nonnisi anno 1602. infula ei esset confirmata.

Sub anni 1599. principium repetita iterum ea quæstio, cuinam Academici fasces Vicario nomine deferendi, dum Rectorem longiori tempore Viennâ abesse contigisset. Occasionem rei dederat, ùt Tabularium Universitatis recitat, Joannes Büttner, Phil. & Medic. Doctor, eo tempore Archigymnasii Præses, qui cùm Superioris Austriæ Physicus esset renunciatus, Viennâ discedens Vice-Rectorem Diomedem Leandrum Medicum nominavit. Protestata adversùs substitutionem Facultas Medica, eò, quòd ex Universitatis legibus ejus Facultatis Decanum, è qua absens Rector Magnificus esset, succedere oporteret; quam in sententiam potiora Senatorum vota conspiraverant. At posteaquam Joannes Schwarzentallerus J. U. Doctor, rerum Universitatis peritissimus Consistorium

edo-

edocuisset, usum quidem Universitatis obtinuisse, ut si quæ substitutio facienda, Decanus succedat; id de jure tamen haud esse, idque non semel editis ejusmodi exemplis confirmâsset, laudatus Diomedes Leander in Vice-Rectoris Officio sententiâ Consistorii confirmatus est.

Ab An. 1600. usque ad 1606.

Quod superiori sæculo cœperat, etiamnum ad 1606. usque annum continuatum est bellum Turcicum, Transylvaniæque turbæ, vario quidem rerum gestarum eventu. Initium anno hoc sæculari Gallorum, & Wallonum, qui sub Cæsare in Hungaria stipendia merebant, perfidia factum. Ubi enim re nuper præclarè in Jaurini invasione gesta Pappiensi propugnaculo præsidiarii dati essent, quòd stipendia tempore statuto non solverentur, tumultuari primùm, tum Pappam Turcis prodere certis pactis moliebantur, urbis Præfecto in vincula conjecto, & quidquid imbellis turbæ, incolarúmque esset, urbe pulsis. Adversùm perduelles, Schwarzenbergius cum copiis advolans Pappam cum perfidis obsidione cingit eousque adactis, ut urbs jam vi capienda videretur; at dum rem strenuè gerit, propugnaculum obequitans 29. Julii glande plumbea à perfidis trajectus meliori fato dignus occubuit. A Melchiore tamen Redero armata manu Pappa 9. Augusti expugnata, retractísque è fuga perduellibus, Jaurinum deductis, inauditæ perfidiæ pœnæ dictatæ sunt.

Ea ratione in Hungaria servatâ Pappâ; à Turcis ad Sclavoniæ fines Canischa, quæ Interioris Austriæ Provinciarum muniebat aditum, capta est. Eam 8. Septembris obsidione cinxit Vezirius; nec minùs strenuè 45. diebus resistebat Georgius Comes à Paradeyser; verùm ubi subsidia, quæ Dux Mercurius, nuper ex Galliis Cæsareis militaturus stipendiis, adduxerat, commeatûs inopiâ Jaurinum recessisse intellexisset, initis

pactis

pactis 22. Octob. hosti tradidit. Accusatus Paradeysserus præproperæ traditionis; & tametsi se non impigrè purgâsset, anno insequenti 19. Octobris Judicii bellici sententiâ, unà cum Colonello Georgio Kugler, præcisa priùs manu, publico in foro Viennæ capite truncatus est. Eodem adhuc anno tentata Ganischæ recuperatio, à Ferdinando Archiduce cum exercitu 27500. ex subsidiario Italorum, hæreditariarum, Cæsareóque milite collecto; at post molestias, mortem plurimorum, & asperrimæ hyemis rigorem re infecta mense Decembri est discessum.

Feliciores in Hungaria res eodem hoc anno fuêre; obsessa enim captáque armata manu 20. Sept. Alba-Regalis à Cæsareo exercitu, Duce expeditionis Philippo Emanuele de Mercurio Lotharingiæ Duce; quam ut Turcæ recuperarent decretoriâ mense Octobri pugnâ victoriam, cæsósque suorum 5000. Cæsareis reliquerunt, magnâ Archiducis Matthiæ gloriâ, quòd supremus copiarum Bellidux adversùm 50000. hostium nobilem adeò retulisset laurum. Nihil præterea anno hoc tentatum. At sequenti 1602. Alba-Regalis rursum ad finem Augusti à Turcis recepta, cùm haud paulò ante Norimbergæ Dux Mercurius, quem copiis Cæsar iteratò præfecerat, decessisset. Christiani hosti vices reddituri Budam obsidione cingunt; sed Pestum duntaxat adversum Budæ oppidum mense Octobri ingenti cum præda ad deditionem coactum. Anno 1603. posteaquam de bello Turcico Ratisbonæ habita comitia, quibus Cæsaris nomine Matthias Archidux præerat, præter inflictas non semel hosti clades, Hatvanum iisdem ereptum. Majoribus subinde viribus ab Achmete, qui demortuo nuper 21. Dec. Machometi Parenti successerat, bellum anno 1604. apparari cæptum; præter ereptum tamen Hatvanum, & ignaviâ urbis Præfecti Jagenmülleri (sunt enim, qui boatu tormentorum, quo novum Bassam Budenses salutârunt, territum ajunt) desertum Pestinum, magnopere

pere effectum nihil; Strigonium posteriore anno 1605. turpi germanorum præsidiariorum defectione 3. Octob. magno Hungariæ damno à Turcis recuperatum: pro qua, insigni scilicet, in Barbaros fide, deditionis authores exquitissimis subinde suppliciis castigati sunt.

Eo bellorum statu calamitosæ sanè res Austriæ; non Turcis modò Styriæ, Austriæque fines vastantibus, sed & flammis, cædibus, in eam sævientibus, Hungaris, Bocskajanis partibus addictis. Ut enim Stephanus Bocskajus Transylvaniæ Principatu, quem post Sigismundi Bathorii in Bohemiam discessum, Basta pro Cæsare administrabat], potiretur; anno priori Gabrielis Bethlenii subsidiis Bastam bello aggressus, magnam Transylvaniæ partem tyrannidi suæ subjecit; inde ad commune perfidis asylum, Turcarum potentiam, confugiens, ab Ordinibus rejecto Rudolpho Cæsare, pro Principe habitus, Regióque ab Achmete honore insignitus, nihil cum adhærentibus sibi Hungaris omisit, quo Austriam, Moraviámque affligeret. Accessit turbis exteris domesticum malum, tumultuantes Cæsareæ copiæ, quæ cùm meritum stipendium opinone diutiùs non acciperent, non inferiora hostilibus damna intulerunt. Ut vagorum igitur contumaces conatus reprimerentur, & unà militi solutionem postulanti satis fieret. pecuniarium cum milite subsidium, etiam à nostra Universitate, postulatum est.

Tempore hoc, & occasione peropportuna egregiè usi sunt Acatholici, nullum non moventes obicem, ut sectam suam undequaque diffunderent. Bellorum confisi turbis liberum omnibus Austriæ locis Augustanæ Confessionis exercitium repetitis vicibus urgent. At præclaro Matthiæ Austriam pro Cæsare administrantis *Zelo* factum, ut non modò impetrarent nihil, sed sub ipsis bellorum fluctibus, Religio per utramque Austriam, & Viennæ potissimùm, se magis magisque firmaret. Jam inde à pacato rusticorum

rum tumultu Catholici Paræciis restituti pastores, erepta Luthericolis fana, pulsi Ducalibus Urbibus sectarum Ministri: Viennæ quoque inhibitum, ne Academicorum, aut civium quisquam, ùt antehac, in Inzerstorff excurreret; denique ut futuris quoque prospiceretur commodis, Lincium à Matthia anno 1600. introducta Jesu Societas; ab Universitate Romanæ fidei Jurisperiti, Ludorúmque Rectores, pulsis heterodoxis, eandem inUrbem submissi. Passaviensis non minùs strenuum se Præsulem exhibuit Episcopus, sua in Diecœsi Sacri Calicis usum è Pontificis mente abrogando. Quæ res, ne novas turbas cieret, ad Serenissimi Matthiæ aures delata: à quo negotium omne Reverendissimo Viennensium Antistiti Kleselio, cum Facultate Theologica discutiendum, datum est. Magna in utramque partem contentione disceptatum à Theologis, & convocato in id Ecclesiastico concilio: eâ tandem sententiâ plurium suffragio prævalente, quæ tollendum omnino calicis usum censebat. Plura de his, qui volet, Annal. Ferdinandi Kevenhilleri ad annum 1600. consulat.

Denique cùm ingenti Zelo, & constantiâ incredibili Ferdinandus Interioris Austriæ Archidux Provinciarum suarum Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ annis hisce reformationem perfecisset; ne ab Acatholicis scholaribus ex Provinciis illis pulsis Viennensis Universitas detrimentum in Religione caperet, ex mandato Serenissimi Matthiæ Professoribus, Bursarúmque Superintendentibus severissimè injunctum, ne quem in scholas, Bursarúmque contubernium reciperent, nisi quem præmisso examine sanæ Religionis esse constiterit.

Haud quidquam interea aliud apud Universitatem gestum; quòd belli tempora, & Religionis turbæ, aliunde malè cohærentem, vix servarent. Anno 1602. die 10 Octobris mulctarum distributio in sequentem formam ex voluntate Cæsaris & Excelsi Re-

giminis

giminis est constituta : *Dividatur in tres aquales partes ; una cedat Rectori Magnifico, per quem reus mulctatus fuerit ; altera tunc existentibus Dominis Consistorialibus sive prasentibus, sive absentibus tradatur ; tertia denique relinquatur publica Venerabilis Consistorii utilitati.* Eodem item anno Kleselius Universitatis Cancellarius, cùm Reipublicæ causâ Pragam abiisset, in Pro-Cancellarium Petrum Hüttnerum ex Ordine Prædicatorum Theologiæ Doctorem, & Professorem Primarium renunciavit. In exequiis denique Augustissimæ Imperatricis Mariæ, Maximiliani II. conjugis, quæ anno 1603. Madriti in Hispaniis 26. Februarii mortem obierat, oratione funebri, quam Joannes Walterus Eloquentiæ Professor declamabat, est parentatum.

Romæ anno 1605. quarto nonas Martias Clemens VIII. Pontifex cum 13. annis & diebus 30. Ecclesiam gubernâsset, pientissimè obiit. Refert ei Austria & submissa ad bellum Turcicum subsidia, & inflamatum reducendæ Religionis studium. Suffectus ei 1. Aprilis Alexander Mediceus, dictus Leo XI. diebus tamen tantum duobus & viginti ostensus : Ejus in locum decimo septimo Kalendas Junii electus Camillus Burgesius, vir egregiis moribus, & quo meliorem optare tunc Roma non potuit, qui Pauli V. sibi nomen accepit.

Lincii quoque superioris Austriæ Metropoli è vita anno illo 1605. cessit Pater Georgius Scherer è S. J. ; cujus sanè viri præclara pro re litteraria non minùs, quàm Catholica Viennæ merita etiam Academica inter gesta memoriam merentur : nam 45. ferè annis Austriam sacris concionibus seu in Aula, seu ad D. Stephanum, seu aliis Cathedris, editis præterea in lucem adversùm Acatholicorum dogmata scriptis ita excoluit, ut magnam partem Austria se Catholicam esse Scherero debeat. Societatis Viennensis Collegio ab anno 1590. ad annum 1594. Rector, scholas bonis artibus auxit

auxit, ampliavítque, Lincensi Societatis Jesu coloniæ, quam eò Matthiæ Archiducis beneficio deduxerat, Superior quinquenio ad concionem ingenti fructu peroravit. Ultimo jam vitæ anno, ubi Dominicâ VI. post Pentecosten repente inter concionandum oculis viribúsque esset destitutus, Acatholici triumphum ante victoriam acturi, latè per omnem Germaniam vulgant: Schererum pro concione dixisse; si fides Catholica vera non est, illico me Deus vobis coram plagâ feriat cæcitatis, móxque cum dicto excæcatum, imó & mortuum, & clam fuisse sepultum. Sed reddidit Deus paulò post Athletæ suo visum, & vires, quibus alacris in concionem regressus splendidum mendacium splendidissima veritate confutavit, Sectariis ipsis, qui ex omnibus Regionibus tum ad Lincenses nundinas convenerant, disseminata Ministellorum suorum mendacia detestantibus. Superfuit usque ad extremum Novembrem ejusdem anni 1605. quo appoplexiâ ictus tam acri, ut horis septenis tantum supervixerit, ætatis anno 65. extinctus. Lusit ipse in morbum suum, quo viribus in cathedra concidit, postquam inde convaluisset, sequenti Epigrammate:

Cùm mors non posset vitales lædere partes,
Nec mihi præfixos abbreviare dies,
Dentibus infrendens, indignabunda recessit;
Siccine deludor? siccine decipior?
Differs, non auffers mortem longæve Georgi,
Incides in casses præda petita meos.
Ibo, senex, ibo, post tempora pauca redibo;
Hoc telo occumbes, hâc moriere manu.
Non semper parcam, vivendi terminus instat,
Si te non hodie, cras jugulare queo.

Inde quasi instantis mortis præscius sequens sibi condidit cænotaphium.

Lustra novem varias cathedras obeundo, peregi,
Mors me complectens non sinit ulterius.

Dum mihi condo novam cathedram, mihi condo sepulchrum,
Sic fortuna suam vertit in axe rotam.
Hic cursus mundi, sic rerum volvitur ordo,
Et sic nobiscum ludit in orbe Deus.
Huic necis & vitæ Domino sua plasmata parent,
Omnia ad arbitrium stántque, cadúntque suum,
Ergo novo sub suggesto, quòd in æde Mariæ est,
Ossa Patris Scherer ritè sepulta jacent.
Quæ supra Cathedram Cœlestia verba tonabat,
Jam subter Cathedram mortua lingua silet,
Lector amice vale multos per Nestoris annos,
Inque tuis precibus, sis memor, oro, mei.

An. 1600. & 1607.

ANnum hunc 1606. pax Austriæ, Hungariæque reddita auspicatum fecit. Cum Stephano enim Botskajo primùm 23. Junii conventum; cum Turcis 9. Novembris in annos 20. quies ab armis sancita. Sparsa nihilominus hoc eodem anno sunt gravioris discordiæ semina Rudolphum Cæsarem inter, & Matthiam Archiducem; partium suspiciones, & diversa præcipuè animorum studia dissensioni ansam dedêre. Varia erant, quæ Rudolphum, jam compluribus annis Pragæ cælibem desidentem, chymicis Mathematicisque artibus immersum, percellebant; â suis in Matthiæ avocata partes Moraviæ, Hungariæque Procerum studia; initæ cum Ottomano, se inscio, & invito induciæ; Kleselius clam Pragâ excitus; aliáque, in eam cognitionem adduxêre, ut Matthiam sceptro, & coronæ suæ insidiari crederet Rudolphus. Matthiam contra Archiducem à fratre Cæsare animus inprimis regnandi cupidus; tum Ferdinandus Styriæ Dux ad comitia Ratisbonensia â Cæsare nuper ablegatus, abalienavit, quem sibi non vana conjectura in Imperii successione prælatum iri â Rudolpho suspicabatur.

Hac præclarè usi occasione Augustanæ confessionis Status, & Religionis suæ exercitium apud Cæsarem æquè, atque Archiducem urgere, & sua in Catholicos Ordines gravamina adferre; ut vel â dissidentium alterutro Principum illud extorquerent, quod tantâ hactenus constantiâ denegatum. Pro re contra Catholica Ordines rectè sentientes Archiduci libellum adversùs Heterodoxos porrexêre. Is, cùm Religionis Catholicæ ea tempestate statum, ortum, progressúmque per Austriam Lutheranæ sectæ dilucidè contineat, ex Annalibus Ferdinandæis Kevenhilleri ad annum 1607. recitare visum, nisi prolixius scriptum operis nostri molem excederet.

Sensêre & Universitatis res, cæterà quietæ, Reipublicæ, Religionisque dissensionum detrimenta, quæ sensim his turbis diffluebant. Scholæ autem, ac Collegium Societatis Jesu ingens anno 1607. accepit detrimentum, dum 22. Aprilis, ipsâ Dominicâ in Albis circa horam duodecimam pomeridianam inopinis flammis conflagravit: periêre eo incendio Collegii, Scholarúmque tecta, cubiculorum supellex, pars bibliothecæ maxima, turris, tectúmque Ecclesiæ cum adsita convictorum domo, ut præter malè laceratos muros de toto Collegio superfuerit omnino nihil. Id inter felicitatis partes relatum, â voracissima flamma vicinas domos stetisse indemnes. Incendii causa nemini perspecta; haud enim è culina, cùm ad templi gradus prima flamma prorupit. Acatholicorum, & malevolorum Viennensium is erat rumor; Jesuitas de Industria ignem ædibus suis subjecisse, ut civitatem, quam hæterodoxi multi incolerent, una concremarent; qui tamen rumor improbabilitate vel authoribus ipsis displicebat. Ea calamitate minimè fracta Societas, sed vel ipsos inter bustorum fœtores, & rudera magnâ alacritate Juventutem magno numero affluentem instituebat. Templum præprimis piorum liberalitate consuetis sacris, & cæremoniis aperiri rursum

rursum festo Pentecostes cæpit: nec ita multò post domûs fundamenta reparata; ac futuris annis munificentiâ Archiducum, Viennensiúmque Mæcenatum Collegium, scholæque sunt restitutæ.

Romæ anno hoc 1606. finis â Paulo Pontifice impositus celeberrimæ illi de efficacis gratiæ Auxiliis controversiæ, Prædeterminantes Thomistas inter, & Jesuitas jam abinde exortæ, quo Ludovicus Molina Salmanticensis S. J. Theologus, traditam à Petro Fonseca ejusdem Societatis Magistro suo de Gratia ab extrinseco solùm efficaci doctrinam lucubrationibus illustravit, ac in sua Concordia anno 1589. typis vulgavit. Exagitata illa primùm in Lusitania à Dominico Banez Dominicano, ejúsque Collegis, inde in Hispania; utrobique ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal tanquam semi-Pelagiana ab adversariis accusata; at utrobique à Sacra Inquisitione absoluta, & perhonorifica approbatione ornata. Pertracta subinde ab adversariis Romam, sub annum 1599. jussu Pontificis Clementis VIII. privatis nonnullis in conventibus est examinata. Nihil in in iis confici ubi Pontifex intellexit, rem omnem ad se, designatósque Cardinales ac Judices deferri, haberique se coram de articulis jam diu agitatis, disputationes voluit, quibus cum selectis Ordinis sui Doctoribus de re tota disputaturis interessent PP. Generales Dominicanorum, & Jesuitarum. Inchoatæ igitur bonis auspiciis 28. Martii anno 1602. tantis partium studiis, tanta animorum contentione, ut tametsi septem, & triginta ad annnum usque 1605. fuissent habitæ, indecisam tamen adhuc Clemens, morte præventus, causam successori traderet. Resumptæ Disputationes sub Paulo V. sub mensem Septembrem ejusdem 1605. anni, eo eventu, ut post decem iteratò ad Februarium usque anni 1606. celebratas, Pontifex demum ejusdem anni mensis Augusti die 28. eam tulerit sententiam: omnem Molinæ Doctrinam indemnem consistere; & utriusque familiæ sententiam in Scholis Catho-

licis tutò, & impunè doceri posse, donec aliud à S. Sede decernatur, ea tamen lege: ut neutra pars alteram censuris carpat, injuriisve lacessat.

Ab An. 1608. usque ad An. 1610.

ERrupit demum in publicum anno 1608. Rudolphum Cæsarem inter, & Archiducem Matthiam Fratres gliscens hactenus simultatis flamma. Nam certus Matthias Archidux, ne desidiore ad Reipublicæ negotia Rudolpho, ad hæc cœlibe, & ætate confecto, omnia pressum irent, Austriam, Hungariámque in se transferre, Posonii primùm Regni comitia sub anni 1608. initium celebravit; procurati in iis iteratò Primorum animi, & fædus Austriacos, Hungarósque inter adversùm Turcam, si induciis non staret, sancitum. Viennam inde redux delectus militum undique habere; quibus ea apud Rudolpho devotos afficta species; tumultuari etiamnum in Hungaria Haidonum Legiones, nec tutam ab Oriente Austriam, induciis nuper ab se initis à Rudolpho nondum confirmatis. Haud tamen clam adeò ea gerebantur, quin, quò ejus apparatûs consilia spectarent, à Cardinale Francisco Dietrichsteinio Olomucensi Episcopo, quem ad Matthiam ablegârat, Cæsar commonefieret. Igitur & ipse Bohemiæ, Silesiæque Ordines convocare, subsidia adversùs fratris conatus postulare. At prævenerat Matthias, exercitu 20000. ex Austriacis, Hungaris, Moravísque Pragam adducto; jámque res ad vim, cædésque spectabat, nisi Cardinalis Dietrichsteinii, Bohemiæque Magnatum, qui à Matthia erant, operâ res eò esset deducta: ut Cæsar Hungariam, Moraviam, ac utramque Austriam Fratri Matthiæ cederet, successione in Bohemiæ quoque Regnum, si absque mascula prole se contingeret moriturum, jurejurando firmatâ. Rebus ita confectis Matthias insalutato Cæsare cum Regiis Hungariæ insignibus, exercitúque in Austriam ùt rediit, Viennam fratre Maximiliano Archi-

duce

duce ſtipatus 14. Julii incredibiles inter lætitiæ ſignificationes, & triumphales arcus ingreſſus eſt; ad D. Stephani templum more ſolito ab Univerſitate, & Proceribus ſub umbella, ipſo ſuper pinnaculo turris Stephaneæ quodam vexillum in auras agitante, deductus. Nec deerat partibus ſuis literaria ſcholarum Societatis Jesu Juventus: non modò enim impenſis ſuis eductam ad cœmeterium D Stephani Triumphalem Portam variis carminum, orationúmque generibus exornârunt, ſed ipſa ſacra in Cathedrali æde poſt decantatum Ambroſianum Hymnum brevi, & tempori accomodato dramatio, cujus argumentum erat: *Matthias Corvinus Divo Hungaricæ gentis Tutelari S. Stephano comitatus Matthiæ Archiduci Sacram coronam deferens*, Sereniſſimum Matthiam ſalutavit. Vigeſima inde Octobris Matthias in Hungariam profectus, ſacrâ Regni coronâ 19 Novembris eſt incinctus.

Fracta tandem iis ſub motibus Principis utriuſque in denegandis Acatholicorum poſtulatis conſtantia eſt, ut eorum ſubſidio ſibi ſceptra, regnáque ſtabilirent. Et à Rudolpho quidem anno 1608. adpromiſſum, anno dein altero 1609. *Majeſtatis* illud, *Diploma* 11. Julii eſt ſubſcriptum. Matthias verò, quòd Acatholici Auſtriæ Ordines non modò fidei juramentum, niſi confirmatâ, extenſâque ad quartum, ùt vocant, Statum, Civicum nempe, Auguſtanæ Confeſſionis conceſſione, recuſarent; ſed eam omnino ad Hornam collecti armis urgerent, tumultuantium importunitate victus libertatem eam certis conditionibus 21. Martii anno 1609. permiſit, Sereniſſimo Leopoldo Paſſavienſi Epiſcopo, ac Ferdinandi Styriæ Archiducis Fratre, Nuncio Apoſtolico, & Epiſcopo Vienenſi Kleſelio reclamante. Pervolvi ſcriptum fundatiſſimum Sereniſſimi Leopoldi in manuſcriptis tabulis Bibliothecæ Archiepiſcopalis Viennenſis, quo conceſſionem eam & fieri à Matthia Archiduce non potuiſſe, & irritam eſſe oſtendit.

Ab indulto Religionis exercitio ùt miles undique per Austriam colligi à statibus cæpit, ita reducti pariter in Hernals, Inzerstorffium, aliáque oppida Lutherani dogmatis Ministri, tanto Nobilium æquè, ac promiscuæ plebis per eam æstatem affluxu, ut non raró decem millia auditorum numerarentur. Penetravit ea sentiendi, vivendíque licentia & in Senatum, Populúmque Academicum adeò, ut haud pauciores heterodoxi ortodoxis, binis præcipuè in Facultatibus, censerentur. Adversùm hæc zelare Catholici, è cathedris Lutheranos edocere errores, ne quidquam ultra concessionis limites attentarent, invigilare; quo factum, favente Catholicis Matthia Rege, ne avita Sacra Viennæ ex integro pessumirent. Haud multò post dato à Matthia Decreto acatholici libri Viennæ interdicti, & per omnes officinas visitatio ab Officiali S. Stephani, Decano Facultatis Theologicæ, ac Pro-Consule est instituta.

Ut Convictores, quorum domus anno superiori cum Societatis Collegio in flammas abiit, commodiùs habitarent, Beckianæ ædes, quas nostra ætate Sedis Apostolicæ Nuncius incolit, coëmptæ sunt persoluto Georgii Bastæ exercitûs Cæsarei in Hungaria Generalis Locumtenentis hæredibus sex millium & sexcentorum florenorum pretio, in quas anno 1608. sub Aprilem sunt inducti. Anno dein altero in Societatis Jesu Ecclesia 40. horarum preces Bacchanaliorum triduo primùm haberi cæptæ; devotio illa, & novitate sua, & plenariis Indulgentiis, & singulari aræ majoris apparatu eam utriusque Religionis accivit Viennensium multitudinem, quam templum vix capiebat. Ipse Matthias cum Maximiliano Fratre prima comprecationis die à septima matutina hora ad undecimam usque latentem sub speciebus panis Deum non adoravit modò, sed ejus quoque voluntate die ultima in supplicatione, cui præsens aderat, per templum est circumductus.

Eodem

Eodem 1609. anno Academicus Senatus funus Nobilis ac Magnifici Matthiæ Pichlmayr IGti, & in Excelso Regimine Consiliarii, Cæsarisque apud Universitatem Superintendentis extulit; in cujus locum anno altero sublectus est, & præsentatus 30. Januarii Christianus Schäffler U. J. Doctor, & ejusdem Regiminis Consiliarius.

Sub ipsis Fratrum Rudolphi & Matthiæ dissidiis anno 1608. 7. Julii Carolo posthumo, Ferdinandi Archiducis Fratri, Wratislaviensis Episcopatus, quem nuper 25. Aprilis Joannes Sittichius viduum reliquerat, collatus est. Erat Sittichius in Universitate Viennensi literis bonis excultus, & Artium Magister, ac subinde communibus Canonicorum suffragiis anno 1602. ad Wratislavienses infulas evectus. Quas ubi Universitas officiosis literis ei gratulata est, humanissimus Præsul in sequentem formam Academico Senatui respondit:

Joannes DEI Gratiâ Episcopus Wratislaviensis Supremus Superioris, & Inferioris Silesiæ Capitaneus.

SAlutem in Domino Magnifici, Reverendi, Nobiles & Clarissimi, Amici sincerè nobis Dilecti. Si cujusquam gratulatio nobis accepta fuit, ea certè magnâ nos affecit delectatione, quam à tam illustri doctissimorum virorum consessu profectam vidimus. Revocârunt certè nobis Mag. DD. VV. in memoriam tempus id, quo in Celeberrimo Archigymnasio Viennensi studiorum causâ viximus, & mediocrem quidem, eum tamen fecimus progressum, ut meritò temporibus perpetuis grati cum animi significatione id commemorare æquissimum censeamus. Nunquam excident nobis beneficia Academiæ perillustris, nunquam clarissimorum virorum merita ulla delebit oblivio, sed grata semper mente nobiscum circumfe-

remus; quinimò si Ecclesia nostra, & Provincia hæc aliquid ex nobis senserit commodi, & utilitatis, potiorem ejus partem Archigymnasio referet acceptam, ubi bene vivendi & ingenii excolendi rationem alibi cæptam ad maturiorem deduximus progressum. Munus, aut onus Episcopale, quod attinet, id certè conscientia, & Deo teste nobis imponi gravissimè tulimus, sæpiúsque Dominos Confratres in ipso electionis actu rogavimus, alium potiùs eligerent; cùm verò precibus hisce nullum relinquerent locum, sed constanti, & unanimi planè consensu in sententia persisterent sua, ne labores Ecclesiæ nomine subterfugere velle videremur, tandem assentiendum fuit, eámque electionem liberam, Canonicam, legitimam, & ad admirationem usque plane unanimem S. D. N. clementissimè confirmare, & ut Consecrationis munus nobis impenderetur, Apostolica authoritate, Diplomatis huc missis, concedere dignatus est. Non nescii sumus hanc functionem difficillimam esse, in qua multorum consistit salus, difficiliorem etiam nunc eandem facere Sectariorum malitiam, & hæresis impunè grassantis pestilentissimum virus, quod totam fermè Provinciam infecit, ut Catholicæ Religionis vix quædam vestigia supersint; nihilominus Domini Dei confisi benignitati, & clementiæ omnem ingenii, laboris & industriæ vigilantiam, studiúmque eo conferemus, ut paulatim oves, quæ à vero aberrarunt ovili, ad idem oportunis mediis reduci, & ad Catholicæ fidei unitatem redire possint. Indulgentissimus misericordiæ Pater benedictiois suæ rorem asperget, ut multorum saluti consulatur; Patriæ quoque in Civili gubernatione commodum; & emolumentum accedat, quod ut una mecum exorare dignentur Mag. DD. VV. id verò officiosissimè rogamus, nósque illorum favori, & amori commendatos cupimus. De cætero toti Amplissimæ Universitati, singulisque membris vicissim

studia

ſtudia offerimus, & incolumi valetudine frui precamur. Datæ Niſſæ 6. Febr. anno M. DC. II.

Joannes Epiſcopus Wratislavienſis.

An. 1610.

UT diſſidia Sereniſſimos inter Fratres, aliæque Imperii, ac Religionis præcipuè, cauſæ componerentur, Electores Imperii, Principéſque Pragam convenêre. Aderant ex condicto Ferdinandus Interioris Auſtriæ Archidux, & Maximilianus Cæſaris, Matthiæ'que frater, extorta nuper armis ſceptra pro Matthia Cæſarem deprecaturi. Et curvabant jam, ùt convenerat, genua, cùm, condonatâ Matthiæ injuriâ, deprecatores aſſidere juſſi, multa de ſucceſſione, conſervationéque Domûs Auſtriacæ pertractârunt.

Tantas inter Provinciarum, Regnorúmque turbas non deerat Matthias, quin, ùt primùm Archiducatum Auſtriæ adibat, curas ſuas, cogitationéſque & ad Univerſitatis propè dilabentis conſervationem, reformationémque adverteret. Nihil enim Provinciis, Religioníque Catholicæ profuturum magìs perſpiciebat, quàm, ſi literaria illa Palæſtra, ex qua ii prodeunt, qui Rempublicam utramque & illuſtrent, & tueantur, rectè ſit conſtituta. Edoctus igitur à Kleſelio, à quo rerum tunc in aula potente ea profecta erant conſilia, Univerſitatis ſtatum Matthias, intellexit jacere omnino rem Artiſticam, Auditoribus propè vacuam; Magiſtrorum laborare penuriâ, conſuetáſque ea in Facultate negligi prælectiones; atque neglectis iis ſtudiis, quæ cæterarum ſunt fundamenta, cæteras etiam artes, & Facultates labaſcere; unum ſupereſſe, inferebat Kleſelius, quo incommodis hiſce obviaretur, ſi Societatis Patres, quorum in ſcholis Philoſophica, Humanioráque ſtudia erant florentiſſima, apud Univerſita-

tem Philoſophicum curſum prælegerent ; è quibus fore ſperabat, ut Juventus inter literas Romanis quoque Sacris, & pietate adoleſceret. Id ſeu commodo, ſeu incommodo Societatis loqueretur Kleſelius, in ſuam facilè ſententiam Principem pertraxit ; dati proinde rei quantocyus conficiendæ Commiſſarii : Reverendiſſimus ipſe Kleſelius, Thomas Rueff Præpoſitus Clauſtroneoburgenſis, Georgius L. B. à Teuffl, Chriſtophorus Pirchamer, Vitus Süeſs, ad quos ſimul reformationis ratio ex Kleſelii conſilio concepta eſt perſcripta, quæ Actis Theologicis inſerta habetur.

Earum literarum reſcriptum & Societatis Jesu Collegii Rectori, & Univerſitati, ubi transmiſſum, perculit vehementiſſimè Patres, qui multis de cauſis id Collegio graviſſimum, Rei verò literariæ & Juventutis commodo pernicioſum judicabant. Sed liberavit eos tum quidem eo metu Univerſitas ipſa, quæ eam reformationis rationem graviſſimè ferens, ex mente quatuor Facultatum in hanc ferè ſententiam Commiſſariis reſpondit:

* Se quidem cum omni reverentia Literas Regiæ Majeſtatis accepiſſe, perlegiſſéque, tantùm tamen abeſſe, ut propoſitus reformationis modus acceptandus videatur, ut ei potiùs omni conatu contraveniendum. Eam ſolùm ſibi probari Univerſitatis emendationem, quæ fieret ſalvis inſtitutis primis Academiæ, atque reformatione illa, quam Ferdinandus I. anno 1554 inſtituiſſet. Inductionem curſûs Philoſophici, à Patribus Societatis tradendi, eſſe adversùm Univerſitatis Fundationem ; contra Bullam Pontificis, indulta, & Privilegia Archiducum Auſtriæ, hactenus inviolabiliter obſervata. Obſtare & Decretum Maximiliani II. anno 1573. editum, quo præcavetur, ne Societatis hominibus præter Lectiones duas Theologicas, ulla alia apud Univerſitatem profeſſura concedatur, minùs ad alia Academica Officia adhibeantur. Quòd hactenus

Audi-

auditorum Artiſtarum numerus apud Univerſitatis ſcholas defuiſſet, id non tam Profeſſorum negligentiæ, inſcitiæque, quàm bellorum motibus, & Patribus Societatis ad ſcribendum, qui modis omnibus Auditores in ſuas ſcholas allicerent. Triennio quidem Societatis Patres abſolvere Philoſophiam, Univerſitatis verò Profeſſores quinquennio, ſexennióque; at id reformationi Ferdinandi I. eſſe conforme; & non tam præſtare quàm citò, ſed quàm bene ſtudia abſolvantur. Illud autem, quòd ex inductione illa Profeſſores Collegiales, eorúmque diſcipuli ſint ſtimulandi, cæteris Facultatibus ſubjecta benè diſpoſita ſubmittenda, literæ denique in Univerſitate reſtituendæ; habere quidem prima facie ſpeciem quamdam, & apparentiam; at in contrarium potiùs omnia ex inductione illa curſûs Philoſophici per Societatis Patres tradendi eventura. Nam variorum Profeſſorum inter diſcipulos rixas potiùs, & turbas orituras; ſubtractis ſtipendiis Profeſſores Collegiales ſcholas neglecturos, ſubjecta capaciora à Jeſuitis ad Statum Religioſum ſubtrahenda; unde haud exiguum profana Reſpublica patietur detrimentum. Has igitur, aliáſque ob cauſas præſtare, ut Societas ſuo in Collegio, quemadmodùm alias Lectiones, ita Philoſophiam intactâ Univerſitate profiteatur; quorum tamen diſcipuli, ſi & Profeſſores Univerſitatis requiſito tempore audierint, Facultas Artiſtica in Baccalaureos, Magiſtróſque ſit promotura. *

Ea, ùt ad Sereniſſimum Regem Matthiam ſunt relata, tempori cedendum ratus, introductionem illam Patrum Societatis interea urgere deſtitit. Ut tamen Artium ſtudia apud Univerſitatem nonnihil reſtitueret; quoniam neglectus earum exinde profluxiſſe advertebatur, quòd Profeſſores Collegium Ducale juxta primævam inſtitutionem haud incolerent, variíſque aliis officiis diſtinerentur, die 6. Novembris ad Rectorem, Senatúmque Academicum Decretum expedivit, quo eos, qui Artes profitebantur, aut Colle-

gium

gium incolere, suæque quemvis uni lectioni vacare; aut Professorum renunciare munus, mandat. Pauci gessêre morem; cæteri, scilicet Martinus Khöck Juris Doctor Rhetoricæ; Logicæ M. Andreas Lechler; Poëseos M. Petrus Hoffmannus Universitatis Notarius; Matheseos secundariæ M. Khuen, Scholæ civilis Rector; M. Thomas Arnoldt Grammaticæ professurâ, stipendióque sese abdicarunt.

Abrogatus item anno hoc est usus ille, qui antehac in Universitatem irrepserat, quo die Corporis Christi Universitatis Rector cum Decanis, membrísque Academicis ante supplicationis initium jentaculo sese in Aula Episcopali reficiebant. Cùm enim non sinè scandalo Acatholicorum Senatus, Populúsque Academicus post elevationem Pontificantis ex æde sacra turmatim sese proriperet, refectionem adproperatura; res indignissima Serenissimo Regi Matthiæ visa, datóque Decreto ad Universitatem abusum antiquari cupiebat: cui ut obsequeretur Universitas, ad majorem populi ædificationem jentandi illum morem plenè abrogavit.

Memoriâ demum anno hoc dignum accidit, quòd tum primùm ultimâ Julii non à Scholaribus modò, sed Catholico Viennæ populo in Societatis Collegio celebrata sit solennis, & festiva B.P. Ignatii memoria, quem Beatos inter superiori anno 2. Decembris Paulus V. retulerat. Reddidit eam festivitatem sanè illustrem præsentia Matthiæ Regis, Ernesti Coloniensis Septemviri, atque Ferdinandi Styrorum Archiducis, qui omnes, ùt Viri non modò de Germania, sed de Ecclesia tota meritissimi honorem augerent, haud ita multò post ad Summum Pontificem Literas commendatitias dedêre, quibus eidem Sancti honorem decerni instantissimè postulârunt.

Ab An.

Ab An. 1611. usque ad An. 1613.

UT funestus iterum fraternis turbis annus 1611, ita annus 1612. demum pacatior illuxit à morte Rudolphi Cæsaris, dedítque annus uterque Matthiæ binas Coronas; Bohemicam undecimus, Romani Imperii duodecimus. Nupernum enim à Matthia vulnus nondum ita cicatricem in animo Rudolphi obduxerat, quin, ut Matthiæ ægrè faceret, meditaretur; Bohemiæ igitur Sceptrum, neglecto etiam Ferdinando Patruele, quem ob reformatas nuper Interioris Austriæ Provincias Bohemis minus gratiosum crediderat, & ob majora in Matthiam studia minùs amabat, in ejus fratrem Leopoldum, Antistitem tum Argentinensem, Pataviensémque transferre, ùt Kevenhillerus refert, constituit. Nec ejus rei deerant indicia, advocato non modò Pragam Leopoldo, sed vastatâ quoque ea Pragensis Urbis, quam Minorem vocant, parte Leopoldino ab exercitu, quem Juliaco reducem Romæus ad asserendam Leopoldo Pragam Bohemiæ infuderat. Violata per illam Bohemiæ, urbísque Pragensis invasionem pacta Matthias Rex interpretatus, mox collecto ex Austriacis, Moravis, Hungarísque 18000. exercitu Pragam advolat, eámque reducto jam Leopoldino milite, 24. Martii solenni pompa est ingressus. Res iterum cum Rudolpho, Statibúsque Bohemiæ, quos tum pro Matthia plurimùm Henricus Matthias Comes à Thurn homo Lutheranus, & turbarum dein sub Ferdinando II. Bohemicarum fax præcipua, procurabat, eò provecta, ut abdicato ab Rudolpho Bohemiæ Sceptro, Matthias Bohemiæ quoque Rex à Cardinali Dietrichsteinio 23. Maji, ipsa feria II. Pentecostes, fit inauguratus. Effusam esse in populum monetam Acta Universitatis annotârunt, cum hac in parte aversa inscriptione: *Matthias II. Hungariæ Rex coronatus in Regem Bohemiæ Anno 1611. die 23. Maji.* In reversa verò, quæ

quæ Ciconiam in roſtro anguem tenentem referebat: *Salutem ex inimicis noſtris.*

Binis jam Coronis felix Matthias, ut & ſucceſſionem regnorum ſibi procuraret, ſponſa eidem Anna Auſtriæ Archidux, Patrui Ferdinandi Tyrolis Principis, & Catharinæ Mantuanæ Ducis filia, delecta, quam 1. Decembris Viennæ magnifico plauſu exceptam, tertio abinde die conjugali fœdere Cardinalis Dietrichſteinius, ad eum actum Legatus Pontificius, paranymphis Maximiliano, & Ferdinando Styrorum Principe, Matthiæ junxit. Rem omnem Acta Prioratûs Ducalis Collegii ita enarrant: *Die 1. Decembris anno 1611. ingenti pompa, ſummo apparatu ingreſſa fuit Viennæ Auſtriæ Sereniſſima Archiduciſſa Anna, Sereniſſimi Domini ac Archiducis piæ memoriæ Ferdinandi Comitis Tyrolis filia, & Sereniſſimi, ac potentiſſimi Archiducis Matthiæ, Hungariæ, Bohemiæq́ Regis, Marchionis Moraviæ &c. Sponſa, applaudente toto Clero, Archigymnaſio Viennenſi, & univerſo populo. A prima porta Cœmeterii S. Stephani deducebatur ſub umbraculo portantibus quatuor inclytarum Facultatum Decanis, Domino Jacobo Scholz, J. U. Doctore, Regiæ Majeſtatis in Excelſo Inferioris Auſtriæ regimine Conſiliario, Vice-Decano Theologiæ; Domino Caſparo Schwab, Philoſophiæ, & J.U. Doctore, Conſiliario regiminis, Facultatis Juridicæ Decano: Domino Tobia Pürbach, Philoſophiæ, & Medicinæ Doctore, ejusdémque Profeſſore publico, & Decano: Domino Andrea Lechler AA. LL. & Philoſophiæ Doctore, Scholæ Provincialis Inferioris Auſtriæ Rectore, & Facultatis Artium Decano, in ipſum templum D. Stephani, ubi ſolemniter cantato hymno: Te DEUM laudamus &c. & benedictione per Epiſcopum Viennenſem Reverendiſſimum Kleſelium facta, portantibus iisdem Dominis quatuor Facultatum Decanis idem umbraculum, deducebatur ad alteram portam Cœmeterii D. Stephani, nec amplius. Die autem quarta Decembris, quæ tunc erat prima Dominica Adventûs, in Aula Regia celebratæ*

ſunt

sunt nuptiæ; Die verò 5. Januarii 1612. in publica audientia gratulabatur felicissimis nuptiis, & adepto Regno Bohemiæ Magnificus Dominus Rector, totúmque Archigymnasium Viennense, oblatis insuper carminibus, & orationibus, quæ à M. Georgio Stekl, M. Henrico Abermano, & M. Daniele Höller Philosophiæ, & Artium Magistris, erant composita; gratulationem illam benignissimè audivit, admisitq́ potentissimus, & gloriosissimus Rex Matthias, non tantùm se privilegia, immunitates, fundationes piissimorum suorum Antecessorum integrè conservaturum, & protecturum, sed & aucturum, liberalissimè promisit.

Nuptialia gaudia, & festivitates inopino funestavit luctu nuncius, qui 20. Januarii Rudolphum Cæsarem supremùm vixisse nunciavit. Pragam igitur primùm Matthias, indeq sub finem Aprilis Francofurtum ad indicta Electionis Comitia unà cum Regina profectus est. Nec deerant à belli pacísque artibus Regio Candidato merita, quibus Septemvirorum suffragia ferret. Ergo Romanorum Imperator renunciatus, 24. Julii, ac triduo inde Augusta Conjux, Imperialibus insignibus exornatur. Sparsi in populum numi, quorum facies una Matthiæ effigiem ea cum epigraphe: *Matthias II. D. G. H. B. Rex. Coron: in in Regem Roman. 24. Julii 1612.* altera verò Coronam Cæsaream, quam Sol, & Luna affulsêre, iis verbis: *concordi lumine major*, referebat.

Recepit reducem Vienna Imperatorem suum 25. Novembris, eò quidem majori gaudio, quòd Augustam Aulam, quam Rudolphus ferè toto Imperii tempore Pragæ habuerat, avitæ Austriacorum Sedi restitueret: solemnem in Urbem ingressum, habitámque ab Universitate admissionem laudata Prioratûs Acta sequentibus Verbis descripsêre: *Die 29. Novembris Anni 1612. Invictissimus, ac Potentissimus Matthias S. R. Imperii Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, ac Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ &c. Viennam*

nam magnâ pompâ Procerum Aulicorum, Provincialium; ac Civium comitatu stipatus, eques ingressus est; strictum ensem prætulit Illustris, ac Generosus Dominus Wolffgangus L. B. à Losenstein, Austriæ Mareschallus. Emissa sunt majora ex cunctis promontoriis tormenta bellica in signum gratulationis. Invictissimus Imperator per medium agmen militum Germanorum, & Hungarorum à Provincialibus, & Civibus conductorum transiit, cúmque portam attingeret Urbis, quam rubram vocant, à Senatu Viennensi per eorum Protogrammateum, nobilem, ac Clarissimum D. Joannem Weidner J. U. Doctorem exceptus honorificè, & per eos sub peculiari umbella usque ad Cœmeterii D. Stephani prope Curiam Episcopalem situm deductus; hinc equo descendens à Reverendissimis, ac Magnificis, Domino Episcopo Jaurinensi, Prælatis Austriacis, & succedentibus unà cum Rectore Magnifico hujus antiquissimi Archigymnasii Domino Guilielmo Rechberger Philosophiæ, & Medicinæ Doctore, Mathematum Professore primario, Magnifico Domino Superintendente Cæsareo Christiano Schäffler, Philosophiæ, & J. U. Doctore, Sac. Cæs. Maj. in Excelso Inferioris Austriæ Regimine Consiliario, omnibus Facultatibus, ac Ordinibus Universitatis Viennensis sub alia umbella in templum deductus est. Umbellam hanc ex Ordine Universitatis gestarunt Nobiles, Strenui, Clarissimi, Magnifici, atque excellentes Viri, D. Jacobus Scholz, J. U. Doctor, Consiliarius Regiminis; loco Decani Theologiæ; D. Martinus Ericius J. U. Doctor, Facultatis Juridicæ Decanus; D. Lucas Gollerey, Medicinæ Doctor, & Decanus; D. M. Henricus Abermannus, Græcæ linguæ Professor publicus, & Artium Decanus. Dum hæc fierent, tormenta in promontoriis ingentia explodebantur, omnêsque urbis majores, & minores campanæ tinnitu aëra implebant. In Templo precibus, ac cantu gratulatorio Te Deum laudamus, finitis, inde usque ad Cœmeterii ostium, è regione vici Serrariorum situm, sub umbella eadem Cæsaream Majestatem Universitas

sitas, ac totus Clerus comitabatur, qui equum rursus conscendens sub umbella Viennensium ad Regiam usque contendit. Vigesima dein Decembris coram Invictissimo Imperatore Rector Magnificus D. Guilielmus Rechperger Philosophiæ ac Medicinæ Doctor (qui vel ea de causa, ut singulari sua eloquentia ac dexteritate adventurum Cæsarem Universitatis nomine salutaret, eámque malè constitutam sub protectionem Principis commendaret, nupera in electione in Archigymnasii caput designatus fuit) ac tota Universitas comparuit, eique oratione latinâ à Rectore Magnifico recitatâ, est congratulata. Cæsar per Nobilem, Strenuum, ac Magnificum Virum Dominum Ludovicum de Ulm S. C. Maj. Consiliarium intimum, & S. R. Imperii Vice Cancellarium, benignum, ac clementem Principem & Protectorem erga Archigymnasium Viennense se futurum declaravit, ac non tantùm Serenissimorum suorum majorum in defendendo hoc Archigymnasio, sed etiam in augendis privilegiis, immunitatibus conservandis clementissimè insistere promisit; in cujus rei firmissimam, & Augustissimam gratiam singulis de Universitate præsentibus Dominis Doctoribus, & Magistris manum benignissimè porrexit.

Priusquam Matthias Francofurtum abiisset, funus Rudolphi Cæsaris Pragæ sepulchro Avi sui Ferdinandi I. Cæsaris compositum est. Obiit Rudolphus anno ætatis 59. Imperii verò 36. cui anno 1575. admotus erat, dum fremeret Belgium aperta perduellione, Germania, & ipsa Austria, ac Bohemia Sectis concuteretur. Nec pacatiùs tenuit, quàm susceperat Imperium, quindecim annorum bello Turcico involutus, hæreticorum identidem machinationibus tentatus, turbis etiam fraternis oppressus. Ut Statibus Austriæ concessionem Confessionis Augustanæ, à Maximiliano Parente factam, confirmaret, extenderétque ad Ordinem Civicum, adduci nunquam potuit; Catholicam Religionem, quantum turbata tempora admittebant, pro virili tuitus,

 insti-

institutâ ejus jussu tam in Superiori, quàm Inferiori Austria Religionis reformatione; *Majestatis illa Litera* Bohemis non tam datæ, quàm extortæ temporum illorum difficultate, & fraterno dissidio. Universitatem in meliorem sæpè redigere statum meditatus, ejus tamen rei susceptas cogitationes bellorum motus, & hæresum turbæ suppressêre: debet tamen id ei Viennense Archigymnasium, quòd exemplo Principis studia Mathematica præclarè in Universitate sint culta: nam tametsi scientiarum omnium esset amans, Mathematicis tamen disciplinis, præprimis sub postremos vitæ annos, erat deditissimus, quibus sua in Aula Pragensi quasi Musæum aperuit, advocatis Astronomiæ, Geometriæ, aliisque Matheseos Professoribus primariis, quos inter præcipui celeberrimus ille Tycho Brache, & Joannes Keppelerus à Rudolphinis Tabulis celebratus. Illo studiorum genere adeò absorbebatur, ut neglecta ferè ab se Reipublicæ negotia Ministrorum operæ committeret. Decessit celebs, posteaquam undecim annos connubialia quidem fœdera cum Clara Isabella Eugenia Philippi II. Hispaniarum Regis primogenita essent tractata, at moroso semper in Conjugales amores Rudolpho, illa demum Alberto Fratri cum Belgio cessit.

Ab An. 1613. usque ad An. 1616.

Silent ferè per omnes hosce annos Universitatis tabulæ; sive quòd parum memoriâ dignum gestum; sive, quòd meditata per Matthiam Cæsarem labentis Universitatis restitutio publicis iterum bellorum motibus, Regnorúmque negotiis impediretur. Nam haud leve Religioni Catholicæ per Germaniam iterum imminebat discrimen à Fœdere illo, quod non pauci Protestantes Imperii Status Halæ Suevorum (posteaquam Rudolphus Cæsar Donawerdam Imperialem, & Lutheranam urbem ob Abbatem S. Crucis in supplicatione publica S. Marci malè acceptum banno Imperiali

li mulctatam, Maximiliani Bavariæ Ducis juribus subjecisset) jam anno 1609, factionis Duce Friderico Palatino Electore, inivêre. Turca verò ut Gaborem Bethlenium, qui perfidè illatis armis, & nece, Gabrielem Bathorium, Sigismundi Ragozii in Transylvania successorem, Principatu anno hoc eodem dejecerat, adversùs Matthiæ Cæsaris conatus tueretur, atrox Cæsari bellum ruptis induciis minitabatur. Utrique malo, ut mederetur Cæsar, ad comitia Ratisbonam sub mensem Augustum indicta profectus est. At quòd multa iniquè & quererentur, & postularent Correspondentes (sic factionis Hallensis Principes appellabantur) pro Religionis negotio confectum est nihil, querimoniis in aliud tempus dilatis. Quæ res effecerat, ut quamvis Catholici Imperii Status subsidium adversùs Turcarum motus annuerent, Protestantes tamen haud parum sese exhiberent difficiles. Prospexit facilè Cæsar, quàm arduum diffidentibus Imperii Ordinibus bellum Turcicum esset evasurum; cùm commodùm acciderat, quòd Achmetes sub id tempus ab Hispanis, Persis, Cosacis, & Magno Hetruriæ Duce bellicis invasionibus malè acceptus, misso Viennam Legato pacem ultrò â Matthia postularet. Ergo induciæ vicennales Anno 1615. à Kleselio, penes quem tum summa Reipublicæ administratio erat, Cæsaris nomine pactæ sunt.

Abiturus ad constituta Ratisbonæ Comitia Cæsar Austriam, Hungariámque gubernandam reliquit suo Styriaca è linea Patrueli Ferdinando. Atque cùm eundem Ferdinandum sibi in Regna, Provinciásque Austriacas successorem non modò non invitis, sed Authoribus etiam Fratribus Ernesto, Maximiliano, & Alberto jam dudum destinâsset, Conventum eo super negotio An. 1614. Lincii habuit redux è Ratisbonensibus Comitiis Matthias; neque tamen ante 1617 Annum confici poterat quidquam, tergiversante nimirum, teste Kevenhillero, & alias ex aliis Successioni Ferdinandeæ remo-

remoras injiciente Kleſelio. Bellum quoque interea Ferdinandum inter & Venetam Rempubl. enatum in Foro Julio, quod Venetis illatæ à Segnien'bus(Uſcochos dixerunt) injuriæ accenderant. Vocatis à Repub. Veneta in armorum ſubſidium Batavis ad An. 1617. uſque protractum eſt; quo demum anno obſeſſâ irrito conatu Gradiſcâ pax iterum cum Venetis ſanè lubentibus coaluit.

Dum ea extra Auſtriam agerentur; Viennæ Anno 1615 inter utriuſque religionis Inferioris Auſtriæ Ordines orta eſt controverſia; eam Acta Theologica, ad quam à Kleſelio ſanctioris Conſilii Directore diſcutienda transmiſſa eſt, ſequenti forma expreſsêre.

** Ante aliquot annos nempe 1608. Imperator Rudolphus ceſſit fratri ſuo Matthiæ Provinciam Auſtriæ, tamquam legitimo Hæredi, & Succeſſori; itaque idem Sereniſſimus Matthias, utpote naturalis, & legitimus Princeps petivit Homagium ſibi præſtari â Statibus, & Ordinibus Provinciæ Auſtriæ, quæ petitio juſta fuit, & Ordines tenebantur illam præſtare abſque omni conditione; Catholici Status, & Ordines id promptè præſtiterunt: Hæretici Status, & Ordines id facere recuſarunt, niſi confirmata conceſſione Confeſſionis Auguſtanæ; & quia timebant, ne id præſtare compellerentur, quia videbant Principem habere 500. equites, è civitate Viennenſi diſcedunt, in Horn conveniunt, militem armant contra Principem. Hinc factum eſt, ut Catholici etiam militem conſcripſerint ad ferendas ſuæ Majeſtati ſuppetias. Nec tamen deſtiterunt Hæretici ſuis, & aliorum ſubſidiis extorquere illam conceſſionem Religionis Evangelicæ, quam urgebant. Multa eo tempore ad intertenendum ſuum militem Status Acatholici contraxêre debita, quæ cùm jam in neceſſitate conſtituti expungere nequeant, rogarunt, ut in ſolvendo debito tunc contracto â Catholicis juventur, aliàs ſe caſſam, ſeu ærarium ſeparaturos; & quia plerique Catholici hac in re dubitant,

quid

quid facere debeant, committunt Principi, ut ipse statuat. ** Quæ ea super re sententia â Theologis lata, fusiùs, quàm hic adferri commodè possit, ejusdem Acta enarrant.

Nec deerant alia, quæ pro Religione pietatéque præclarè sub eos annos gesta sunt: nam Anno 1613. P. Joannis Hylin Societatis JESU ad D. Stephani Ecclesiastis operâ non modò Sodalitium Corporis Christi in eadem cathedrali Ecclesia, quod turbatis hisce Religionis temporibus penè desierat, pristino flori, statutisque pietatis exercitiis est restitutum; sed illud quoque effectum, ut qui hactenus nullâ reverentiâ, sed cum squallore pœnè incomitatus ad ægros latens sub pane Christus deferebatur, jam multâ reverentiâ â Sodalibus numerosâ Catholicorum catervâ comitatus tecta subeat infirmorum, quibus pietatis exercitiis initium datum 3. Januarii. Pulsus item jussu Cæsaris Evangelii Lutherani Præco An. 1614. ex S. Udalrici in suburbio Ecclesia, quem eo conduxerat Austriæ inferioris Equitum ex Statu Dominus â Pachaleb, nequidquam Acatholico Statu obstrepente. A Commissariis, Officiali nempe Viennensi, Facultatis Theologiæ Decano, Capitulari S. Stephani uno, & uno de Facultate Theologica cum duobus Senatoribus librariæ lustratæ officinæ, & reperta haud exigua hæreticorum librorum supellex ablata. Sub annum denique, quo nuper ex Hispaniis advenerant, 1615. fratribus Misericordiæ, operâ Societatis Patrum, extra Danubii pontem lubricium, Xenodochium â Matthia Rege stabilitum, ita ut dum illi ægris corporibus mederentur, Societatis Patres eodem in Xenodochio animarum gererent curam.

An. 1616.

URgere anno hoc vehementiùs intermissum Superioribus annis transferendæ in Academiam Societatis Patrum Philosophiæ negotium Kleselius instititit, misso

missso ad Collegii Rectorem, quod à Cæsare impetrârat, in hæc verba Decreto: *Cùm Philosophicæ in Academia Juventutis infrequentia inde videatur accidere, quòd Cursus Philosophicus prælegatur in Societatis Collegio, & bis inibi absolvatur, antequam semel in Universitate; quo nimirum fiat, ut non immeritò studiosa Juventus Academiâ relictâ Professores Collegii accedat. Huic rei adferri posse remedium, si Societatis Patres Philosophiam in Academia prælegant, cùm videatur; hinc Cæsarem omnino decrevisse, ut ea Philosophiæ introductio quamprimùm fiat, his tamen legibus: imprimis ut Philosophiæ cursus in posterum non doceatur in Collegio: deinde ut Logicam, & Physicam iis horis legant in Universitate Patres duo, quibus aliorum Universitatis Professorum Lectiones Philosophicæ non impediantur: denique ut quamvis integrum sit Facultatis Artisticæ Professoribus stipendiatos, quos vocant, Universitatis ad suas cogere Lectiones, liberum tamen iisdem stipendiatis sit, multò verò magis iis, qui tales non sunt, ad lectiones Patrum horis ab Universitate iisdem designandis accedere.*

Nullum non movit Societas lapidem, ut eam, iis præsertim sub conditionibus, docendæ in Academia Philosophiæ ab se removeret provinciam. Rationes gravissimæ, quæ eam inductionem dissuadebant, Kleselio exhibitæ; à Maximiliano Archiduce, cui ejus Decreti executio demandata, impetratæ in Societatis favorem ad Cæsarem, Imperatricémque commendatitiæ: denique ab ipso Societatis Austriacæ tum Provinciali P. Ferdinando Albero porrectus Cæsari libellus supplex.

** Aliam vellet pro sua in Societatem clementia inire juvandæ Universitatis rationem, quæ & eidem magis honorifica, & studiosæ Juventuti commodior, & Collegii Privilegiis congruentior haud dubiè esset futura. Eam verò esse, ut salvo etiam imposterum Collegii Philosophiæ, ùt hactenùs, docendæ jure

Colle-

Collegium ipsum quoad Lectiones suas omnes, uniretur, atque ùt dici solet, incorperetur penitùs Universitati; ita ut Lectiones illæ reipsa sint, & dicantur Academicæ, etsi in Collegio tradantur. Neque verò id aut novum, aut effectu difficile videri posse ei, qui nôrit ejusmodi unionem in plures alias Celeberrimas Universitates, ac nominatim Coloniensem, Lovaniensémque felici successu inductam: ut potiùs inde proclive sit sperare, id idem Viennensem quoque non minori suo commodo, ac solatio experturam. Consequetur enim illa ex ratione proposita, ut studiosi Collegii in Universitatis Album, Matriculam vocant, referantur; ut Philosophicarum Disputationum publicarum pro gradibus literariis actus; ut promotiones omnes ex more, & nomine, inque ipso Universitatis domicilio celebrentur; ut multò, quàm hactenus, plures, iique ab ingenio, & industria præstantes, gradus in artibus, cum multa Archigymnasii existimatione, atque etiam emolumento, accipiant; ut plures etiam ad studia altiora Theologiæ, Legum, ac Medicinæ animum appellant. Quid, quòd & ea, quæ ardua sæpè, ac difficilia experiuntur Academiarum Directores, in se suscipiet Societas; ut nimirùm publicis ejusmodi lectionibus à doctis, probísque Professoribus ex instituti ratione prospiciatur; ut discipuli eâ disciplinâ, legibus, correctionéque scholarum Societatis contineatur in officio; habeatur morum, ac probitatis uniuscujusque ratio perdiligens, profectus in studiis urgeatur. Ex hoc autem potissimùm capite, quis dubitet proventuram Academiæ & celebritatem nominis, quod longè, latéque bonorum omnium commendatione divulgabitur, & insignem honestissimorum juvenum frequentiam, quos certatim submittent parentes, non minùs de liberorum in moribus, quàm in literis profectu soliciti; & denique eam, quæ ad prædicta omnia necessariò consequitur, quam Majestas Cæsarea tantopere desiderat,

felicissimam, simúlque Societatis Jesu, ac Viennensis Collegii Privilegiis innoxiam restaurationem. **

At frustrà ea fuêre omnia, Kleselio, cujus consiliis plurimùm tribuebat Cæsar, veteri in sententia, incertum, an ut bene faceret Universitati, an ut ægrè Societatis Collegio? adeo tenaciter persistente, ut id præcisè P. Provincialis tulerit responsi: Curaret quamprimùm mandata perficere; non enim recessurum Cæsarem ab eo consilio, de quo sibi cum ipso summo Pontifice, atque etiam cum ipsius Societatis Præposito Generali matura deliberatione convenisset. Et certè cum Kleselius sagacitate sua, quâ plurimùm pollebat, facilè prospiceret, Viennense Collegium eo in negotio authoritatem Pontificis imploraturum, præveniendum ratus, à Paulo V. vix non invito, ut comprobaret Cæsaris de transferendo cursu consilium, mandarétque Societatis Præposito Generali, ut satisfaceret voluntati Cæsaris, impetrârat.

Omni igitur declinandis Kleselii consiliis spe præcisa in translationis substantiam Societas consentit, postulatis tamen à Cæsare Commissariis, quibuscum de modo, rationéque, quibus ea commodissimè fieret, transigeretur. Nominati eam in rem ferè iidem, quos sub An. 1610. recensuimus; defuncto interea Præposito Claustroneoburgensi, nonnullis aliis è Consilio Cæsaris adjunctis. Illi convocatis ad se partibus in eas conditiones cum Societate convenêre, quæ iis non planè intolerabiles videbantur; résque omnis, prout pertractata, ad Cæsarem, Kleseliúmque Pragam, ut sequenti anno ampliùs dicetur, est remissa.

Literaria ea restauratio dum maximè fervet, Universitas Gancellarium suum, prælaudatum Melchiorem Kleselium, quem hactenus Episcopalibus honoribus auctum est reverita, anno hoc nacta est purpuratum. Cardinales inter Patres ad postulationem Cæsaris, præclaráque Religionis, & Reipublicæ merita à Paulo V. 11. Aprilis jam adlectus; è manibus Cardinalis

nalis Francisci Dietrichsteinii Purpuram, Galerúmque Cæsare coràm Pragæ 29. Junii accepit. Gratulata est, ùt Acta Universitatis notant, Eminentissimo Cancellario honorem eum 29. Maji, antequam Pragam discederet Cardinalitia insignia capessiturus, Universitas, Oratore ipso Rectore Magnifico Jacobo Scholz J. U. Doctore, & Regimini à consiliis: nec minori humanitate, promptique in Universitatis emolumenta animi significatione est excepta.

An. 1617.

Successionis demum in Austriam, Austriacáque Regna jus (cùm non Matthias modò, atque ii, qui è domo Germano-Austriaca ex Maximiliano II. superabant Archiduces, Maximilianus Supremus Equitum Theutonicorum Magister, & Albertus Belgii Princeps, liberis carerent, sed & gravior ætas spem omnem hæredis præcideret) industriâ potissimùm Maximiliani Archiducis Pragæ confectum. Advocatum itaque eam ob causam mense Februario Pragam Ferdinandum, filium sibi Augustissimus adoptat, cæteris Archiducibus sponte sua, atque ipso Philippo III. Hispaniarum Rege jus omne, quod in hæreditarias ditiones habebant, cedentibus. Convocati inde ad Comitia Bohemici Ordines, ad quos Matthias Cæsar multa de suo in Regnum studio, déque valetudine, senióque præfatus, illud se postulare ajebat: ut Ferdinandum Styriæ Ducem, filium Caroli Archiducis, Ferdinandi I. & Annæ Bohemiæ Reginæ nepotem, patruelem suum, jam à se in filium arrogatum, quem præter rarissimas virtutes etiam fœcunditas ornaret, ex consensu eorum Archiducum, quorum intereat, Regni hæredem, successorémque, cui Austriacas Provincias jam transscripsisset, esse vellent, eâ tamen lege; ne se superstite partem Reipublicæ ullam attingeret, Regis solùm nomen usurparet. Flexit ea Matthiæ oratio, Ferdinandíque, tametsi in eo singulare Religionis Catholicæ tutandæ,

 pro

propagandæque studium notâssent, agendi comitas Ordinum animos, ut 7. Junii communi suffragio Regnum Ferdinando decernerent; diéque subinde 29. ejusdem mensis, Divis Apostolorum Principibus sacrâ, Regiâ Coronâ in Basilica D. Viti festivissimè insignirent. Reddidit de ea Provinciarum cessione, & translatâ in Ferdinandum Bohemiæ coronâ certiorem, Matthiæ Imperatoris nomine, Excelsum Austriæ Regimen Universitatem Viennensem, datis desuper 22. Junii ad Rectorem Magnificum, Senatúmque Academicum literis, qui diem illum coronationis, auspicatum sibi, totique Reipublicæ esse precabatur.

Nondum ea Reipublicæ negotia in Bohemia ad finem deducta erant, cùm demum emanatum à Cæsare 25. Februarii anno hoc 1617. traducendæ in Academiam Societatis Philosophiæ Diploma Viennam ad Sixtum Comitem Trautsonium Cæsaris in Excelso Regimine Locumtenentem appulit, sequenti tenore expressum:

MATTHIAS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Moraviæ, &c. Dux Luxenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtenbergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kiburgi & Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Schlavonicæ, Portus Naonis & Salinarum, &c.

AGgnoscimus, notúmque facimus, tenore præsentium universis. Posteaquàm superiorum temporum successus, atque id cum primis altiori memoria

ria revolvimus, quantopere majoribus nostris accurata liberalium Artium, aliárumque honestarum Scientiarum, & Disciplinarum cultura curæ fuerit, quippe quod illarum beneficio subditorum suorum animos non modò in Religione conservari, & confirmari, verùm etiam ad Rempublicam probè administrandam, atque alia civilia officia rectè obeunda erudiri & stabiliri haud obscurè intelligerent. Inter cætera illorum monumenta fundatam ab iis antiquissimam Universitatem Viennensem, & non minùs gravissimo sumptu, quàm celeberrimis Privilegiis Pontificiis, Imperialibus, & Archiducalibus dotatam, & decoratam comperimus, quæ ab istis initiis Principum suorum liberalitate suffulta, & in omni literaturæ genere exercitatissimorum virorum eruditione, atque indefesso studio amplificata, in eam facilem magnitudinem excrevit, ut reliquarum in Germania Academiarum, quæ huic originem, & institutionem suam acceptam ferant, Princeps atque Mater nominari & æstimari meruerit.

Porrò quod Hæreseon proprium est, ut sicuti spiritu illæ vertiginis aguntur, ita, quæ ritè atque optima intentione sunt instituta, ordine turbato pessundent, atque in transversum agant, hisce nostris quoque Provinciis hæreditariis, proh dolor, accidit, ut postquam in iisdem sectæ, schismata, & dissensiones in Religione pullulascere, atque diffundi cœperunt, almæ quoque Universitatis hujus flos, vigor, atque viror sensim, temporisque successu non leviter deperierit.

Quæ res potissimùm Augustæ memoriæ Imperatorem Ferdinandum, Dominum Avum & Prædecessorem nostrum colendissimum movit, ut Societatis JESU Patres jamjam collabascenti Academiæ opem velut subsidiariam laturos, Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo primo Viennam accersierit, ipsisque (quod utì Supremus Princeps Privilegia concessa in melius, atque Reipublicæ utiliùs pro re nata reformando & potuit, & debuit) duas Lectiones sive Pro

fessio

fessiones in Theologica Facultate in perpetuum assignârit, magno, quod eventus docuit, Religionis & Studiorum Theologicorum incremento. Unde supradicti Domini Avi nostri præclarissimæ memoriæ nova Reformatio Universitati non solùm publicata, sed & hactenus ab omnibus inviolabiliter observata fuit.

Nos verò posteaquam animadvertimus â compluribus jam annis, tum ob continuata bella, inter quorum strepitus, literæ ùt plurimùm silent, tum ob alia gravamina & defectus Cursum Philosophiæ, & Humaniorum literarum Professiones, magnopere refrixisse, unde metuendum sanè sit, ne Studio Philosophico, tanquam fonte & origine reliquarum scientiarum exhausto, vel neglecto, insignis vetustissimæ hujus Universitatis memoria, consequenter obliteretur, quod utì nostris, nostrorúmque Majorum fundationibus laudatissimis è diametro contrarium, Nobis quidem indecorum, Universæ verò Provinciæ in maximum sit præjudicium cessurum.

Hinc est, quod animo benè deliberato, sano, ac maturo, diversorum præcipui nominis Consiliariorum & Ministrorum nostrorum adhibito consilio restaurandæ supradictæ Universitati commodissimam hanc rationem arbitrati simus, si vestigiis suprememorati Domini Avi nostri inclytæ recordationis firmiter hac in parte insisteremus, & quâ viâ ille Theologicam, eâdem & nos Philosophicam Facultatem restauraremus, & conservaremus.

Quod ipsum, etsi Nos tanquam Dominus absolutus, & Princeps Supremus Fundator, & Romanorum Imperator, propria potestate & authoritate nostra, exemplo sæpè dicti Imperatoris Ferdinandi effectui mandare potuissemus, pro majore tamen, & conscientiæ & intentionis nostræ securitate consilii hujus nostri rationes, cum Sanctissimo Domino nostro Paulo V. prius conferendas, ejúsque ope, & consilio executioni mandandas duximus, qui non modo in laudabi-

li

li isto instituto Nos magnopere confirmavit, verùm etiam omnem opem & operam re ipsa jam nunc præstitam, ulterius quoque, sicuti necessitas requireret, præstiturum, se liberaliter promisit.

Ac proinde licèt Collegio Societatis Viennensis privilegiis per Augustæ memoriæ Imperatores Divos Maximilianum Secundum, & Rudolphum itidem Secundum, Dominos Parentem, Fratrem, & Prædecessores nostros colendissimos, ac successivè Nos ipsos clementer concessis & confirmatis, lectio sive Professio Cursûs Philosophici certis conditionibus sit indulta, quibus privilegiis se nequaquam indignum hactenus reddiderit, certis tamen iisque arduis, & gravissimis rationibus permoti ex potestate Supremi Principis, & pro conservatione longè antiquorum, & illustrium privilegiorum dictæ Universitatis, Cursûs Philosophici lectionem non quidem Patribus Societatis adimi, sed in perfectiorem statum reduci, & quo intentio nostra à sua Sanctitate approbata debitum effectum sortiatur, ritu & modo hactenus in Collegio usitato, in Universitatem transferri, ibidémque perpetuis in posterum temporibus, per tres Professores Societatis tantùm publicè legi, cæteroquin in Civitate Viennensi omnino aboleri, *neque ullibi extra Universitatem sive clam sive palam permitti, volumus.* Quo verò modo atque ordine, quibúsque conditionibus eæ lectiones deinceps haberi atque continuari debeant, sequitur in hæc verba:

I. Quapropter assignat sua Majestas Cæsarea, Reverendis Patribus tres Professuras in Philosophia, nempe Logicam, seu Organum Aristotelis, Physicam primariam, & Methaphysicam, & hoc quidem perpetuis temporibus, ita ut Logicus absolutâ Logicâ ad Physicam, & Methaphysicam transeat, & singulis annis alius, qui Logicam incipiet, succedat, ut sic semper tres Professores Philosophiæ ex Patribus, & tres cursus simul in Universitate ab ipsis doceantur, eodem modo, quo hactenus in ipsorum Collegio docere consueve-

ſueverunt, & docebunt omnes tres ſimul mane ab octava ad nonam, à meridie verò à ſecunda ad tertiam.

II. Ut autem hæc ſucceſſio ita commodè continuari poſſit, clementiſſimè ſtatuit Sacra Cæſarea Majeſtas, ut quilibet ex his tribus Profeſſoribus Logicam, & quatuor libros primos Phyſicorum, intra annum & medium pro Baccalaureandis, & reliquos quatuor libros Phyſicorum, libros de generatione & corruptione, de Cœlo, Meteora, libros de Anima, & Metaphyſicam, intra idem tempus pro Magiſtrandis abſolvat.

III. Licèt Imperator Maximilianus ſecundus feliciſſimæ recordationis vigore Decreti de dato vigeſimo octavo Aprilis Anno 1574. ſtatuerit, ne plures ex Societate, quàm duo Profeſſores Theologi ad Facultates Univerſitatis, admitterentur; Sua tamen Majeſtas Decretum illud ampliandum clementiſſimè cenſuit, ut præter duos Patres Theologiæ Profeſſores, etiam adhuc alii tres, qui Philoſophiam docturi ſunt, ad Facultatem Philoſophicam, quàm diu lecturi ſunt, & non ampliùs admittantur, ita ut ſemper quinque de Societate, & non plures nec pauciores Univerſitatis membra cenſeantur.

IV. Statuit etiam Sacra Cæſarea Majeſtas, ut illi, qui de Societate Philoſophiam in Univerſitate profitebuntur ſe eo modo, quo à Patribus Theologiæ Profeſſoribus fit, Statutis Univerſitatis & Facultatis conformes reddant, ſintque promoti Magiſtri, & actum repetitionis, per quem, & non secùs, ad Facultatem admittantur, infalibilliter obſervent, à literis tamen Natalitiis, ex ſpeciali Noſtra Cæſarea Gratia liberi cenſeantur.

V. Quià verò Patres in Univerſitate Philoſophiam docturi, ab officiis Facultatis eſſe recusârunt; ut tamen in publicis promotionibus & actibus condignum locum in Facultate habeant, aſſignat ſua Majeſtas illis locum

locum à Decano, quintum, sextum, septimum, & sic in perpetuum.

VI. Quamvis alii Magistri ad Consilia Facultatis petentes Facultati duos florenos & quatuor solidos numerare debeant, & promoti Magistri non admittantur, nisi biennio post promotionem expleto, utrumque tamen Sua Majestas Cæsarea Patribus remittit, & vult, ut statim post actum Repetitionis Facultatis membra censeantur, ita tamen, ut nullis oneribus & officiis Facultatis & Consistorii graventur, sed solùm adstricti sint, ad Facultatis suæ, & omnes publicos Universitatis actus, & ad examina graduandorum.

VII. Cum Facultatis Philosophicæ antiquissima Statuta velint, ut baccalaureandi & magistrandi, antequam ad examen admittantur, coram Facultate testimonia inscriptionis, item auditarum lectionum à Professoribus Ordinariis, & vitæ honestæ transactæ producant, aliam tamen rationem cum Alumnis & Convictoribus apud Patres habendam esse censet, Sua Majestas clementissimè vult, ut Reverendorum Patrum testimonia pro promottione obtinenda sufficiant.

VIII. Quapropter Alumni & Convictores, si ad Baccalaureatûs seu Magisterii gradum aspiraverint, tantùm Patrum Philosophicas profitentium lectiones audire tenebuntur, cæteri autem Patrum discipuli & & pœdagogi extra Convictum, & Alumnatum manentes, prædictos gradus assequi in Universitate nequaquam poterunt, nisi binis quoque aliorum Professorum lectionibus à Decano præscriptis jugem suam operam navarint.

IX. Cùm Divus Ferdinandus olim in sua Reformatione Cæsarea bene statuerit, ut Baccalaurei singulis septimanis, Magistri verò singulis Mensibus publicam Disputationem ex ordine haberent: quæ exercitia etiam deinceps meritò servanda censuit Cæsarea Majestas, verùm ita ut Baccalaureorum Disputationes, quæ hactenus diebus Dominicis à prandio habitæ sunt,

ac Patres, eorum Alumni & Convictores in vespertinis officiis, impediantur, in diem Sabbati transferri debeant, in qua duas Disputationes, unam ante prandium ab hora septima usque ad nonam, alteram post prandium à prima ad tertiam instituent, verùm Disputationes Magistrorum observentur, ùt olim in Reformatione Divi Ferdinandi, & aliis Statutis Universitatis sancitum est.

X. Pro examine baccalaureandorum Facultas Artistica hactenus vigore suorum Statutorum quatuor Magistros de gremio suo eligere consuevit, quod etiam posthac, sed ita observari jubet Sua Majestas, ut semper unus, vel duo ex Patribus, qui publicè profitentur, eligantur, quod idem apud Dominum Cancellarium Universitatis (qui examinatores ex Facultatis suppositis pro magistrandis seligere consuevit) observandum censet.

XI. Ad gradum Magisterii hactenus Facultas unum & viginti annos requisivit, prout juramentum licentiandorum habet, hoc, ne juvenes in aliarum Facultatum studiis impediantur, Sacra Cæsarea Majestas, ad octodecim annos clementissimè restringit, Taxam etiam in Reformatione Facultati & Examinatoribus ratione graduum & examinis permissam, Alumnis & aliis pauperibus omnino remittit.

XII. Ut autem Studiosi & præsertim, qui ad gradus adspirant, ad exactiorem solertiam in frequentandis & audiendis lectionibus stimulentur, clementissimè mandat Cæsarea Majestas, ut quamprimum quis Studiosorum vel Baccalaureorum, lectiones pro gradu aliquo consequendo audire cupit, nomen suum Professoribus Ordinariis det, & singulis angariis testimonia diligentiæ suæ ab iisdem petat, eadem postea suo tempore coram Inclyta Facultate producturus.

XIII. Omnes Auditores Patrum, qui id petierint, ad depositionem & inscriptionem admitti debent, prout & hactenus admissi sunt, verùm Clericali habitu inceden-

ceden-

cedentes, sine depositione, Universitatis Albo sunt inserendi.

XIV. Collegium Societatis Viennæ, in quo Patres in posterum solùm liberaliores Artes usque ad Rhetoricam inclusivè legent, Sua Majestas clementissimè Universitati eatenus tamen incorporatum ac unitum censeri & haberi, ejusdémque Privilegiis frui vult, ut omnes Studiosi, qui in eodem humaniora studia audiverunt, & absolverunt, si auditarum lectionum à Patribus in Collegio Societatis sufficientia testimonia Facultati exhibuerint, habeantur tanquam si eadem in ipsa Universitate audivissent, nec propterea à gradibus excludi debent, si triennium in Cursu Pphilosophico compleverunt.

XV. Circa subjectionem verò Scholasticorum Societatis Jesu Sacra Cæsarea Majestas idem servari jubet, quod Ingolstadii servatur, ita ut Rectori Universitatis subjectio in iisdem casibus & eadem ratione remaneat.

XVI. Denique Sacra Cæsarea Majestas statuit, ut postquam Societas unum ex suis Religiosis ad docendum in Universitate applicuerit, removere illum non debeat nisi prius monitis Rectore & Superintendente Universitatis.

Nos igitur hanc novam constitutionem nostram novámque fundationem & Reformationem ratam, firmam ac validam perdurare atque observari, & ad eandem successores quoque nostros, & tam inferioris quàm superioris Austriæ Dominos Archiduces pro tempore futuros, obligatos esse volumus, ut hanc piam ac Paternam Intentionem ac Reformationem nostram firmiter, & inviolabiliter, futuris perpetuò temporibus, manuteneant, atque defendant, ipsámque Universitatem non minùs, quàm supra dictos Patres ejusdem vigore tueantur, neque quemquam cujuscunque etiam statûs, Ordinis vel conditionis is sit, eandem impunè transgredi, vel violare permittant. Quòd si verò in posterum inter sæpe dictam Universi-

 tatem

tatem & Patres Difficultatis & Controversiæ quidpiam in hoc nostro Reformationis & intentionis negotio, quod ipsimet inter se componere nequeant, oriri contigerit, id nostræ, nostrorúmque Successorum cognitioni & discretioni relinqui, & ne vel una aut altera pars contra sanctionem & dispositionem hanc Nostram Cæsaream, quicquam de facto attentare, vel ipsi jus dicere audeat vel præsumat, volumus idque sub pœnæ Nostræ, Successorúmque Nostrorum indignationis gravissimæ. Harum testimonio literaum Manu Nostra Subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Arce Nostra Regia Pragæ die 25. mensis Februarii, anno Domini M. DCC. XVII. Regnorum Nostrorum Romani V. Hungarici IX. Bohemici verò VI.

MATTHIAS.
V. I. V. Ulm.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

JO. BRAVITIUS.
Collat. Questenberg.

Ab utraque, quarum intererat, parte haud æquo Codicillus is animo acceptus; Academicos quippe exaggeratior, utì credebant, Societatis hominum Cæsareis in literis laus, & commendatio, ac potissimùm, quòd advocatos, submissósque in labantis, ac corruentis propè Universitatis Viennensis subsidium, Imperator palàm assereret, suboffendebat; Societatem verò; quòd non pauca ab iis, in quibus cum Commissariis anno superiori Conventum, eo in Diplomate essent immutata: Præcisam nempe revocandæ, si res ita postularet, ad Societatis Collegium Philosophiæ spem; rejectos Societatis Professores post Artistas in quintum, sextum, septimum, hoc est, ultimum locum; & quæ plura

plura ejus generis erant. Mos tamen quoniam gerendus erat, extemplò à Provinciæ Præposito terni Societatis Professores, Georgius Nagy, Logicam; Martinus Melzigh, Physicam; Maximilianus Marsilius, Metaphysicam in Universitate prælecturi, tum ad Rectorem Magnificum, cùm Artistarum Decanum submissi sunt, in Album Academicum, juráque ex tenore Diplomatis enata, admittendi.

Cum ecce novæ ab Artistis tricæ; pertinacibus ea in sententia: non admissuros se suam in facultatem ternos Societatis Philosophiæ Professores, nisi ipsi juxta, ac cæteri Facultatem ingressuri, literas natalitias coràm exhibeant; Actum deinde repetitionis non è Philosophicis solùm, sed & Grammaticæ materiis Decano Præside subeant; ac denique ni veterem Universitatis tradendæ Philosophiæ rationem sequantur, *fiántque*, ùt Academicum Chronicon loquitur, *ex Cursistis textuales*. Indignæ conditiones illæ & Rectori Magnifico ipsi, quocum de onere illo Societatis Provincialis expostulaverat, visæ; adstringi nempe Religiosos homines variis, longinquísque è Regionibus sæpè oriundos ad testes legitimorum natalium literas; eos, qui Doctores nuper præsedissent, nunc è grammaticalibus quoque quæstionibus alieno sub arbitratu esse discipulos, eámque sequendam doctrinæ methodum, quæ, quòd Principi displiceret, Societatis hanc unionem fecisset; adversari adhæc eas Societatis instituto, & rescripto ipsi Cæsareo, quo ea ferè ratione Philosophi Societatis Facultati Artisticæ uniuntur, qua Theologi bini ex eadem Societate olim à Ferdinando I. Theologiæ essent adscripti; denique Societati de oneribus illis expresè à Commissariis superiori anno cautum esse. At cùm impetrari interea aliud ab Artistis posset nihil, nisi quòd paratos se dicerent; præsentes tres Societatis Professores ab illis oneribus absolvere, ita tamen, ut personalis ista sit dispensatio, non verò ad Successores jure devolvenda; tradendæ Philosophiæ in

in Academicis scholis, ne moram in Societatem Cardinalis Kleselius ultra conjiceret, initium à prælaudatis Societatis Professoribus factum, jure interim suo tum Artistis, cùm Societati integro; olim meliori, qua quisque poterit, ratione prosequendo.

Cœpta est dari executioni anno hoc Fundatio, quam Illustrissimus Wolffgangus Rumpff in Wuelros, Liber Baro in Weitra, Eques S. Jacobi, & Commendator Major in Paracuellos An. 1605, quo obierat, testamento legavit. Erat is avita quidem nobilitate, literarum tamen præsidio eò evectus, ut per omnes dignitatis Gradus in Aula Rudolphi Cæsaris, cui & in pretio & amoribus usque ferè ad ultimos vitæ annos erat, ascenderet, ejusdem Supremus Aulæ Præfectus. Ut literis igitur ac Dynastiæ suæ Weitraviensi benefaceret, ex ultima voluntate in subsidium decem egenorum Scholarium, præcipuè è Weitraviensi Dominio oriundorum constituit ita, ut quotannis 50. fl. in studendi commodum numerarentur.

An. 1618.

REducem è Hungaria anno hoc, alterius jam Regni Diademate auctiorem, venerabunda salutavit Universitas Ferdinandum. Sed non tam in Regna, quàm bellorum successit turbas. Inde enim Germanici belli flamma, nec nisi triginta post annis consopienda, initium duxit; è parvis, ùt ferè bella nasci solent, succensum principiis. Pragæ primùm in publicum erupit, dein latissimè sese diffudit bellum. Publicè quidem interdictam jussu Cæsaris Lutheranæ Ecclesiæ Brunovii fabricam, quam contra repetitas ejus loci Abbatis querelas, ipsarúmque literarum Majestatis concessionem moliebantur, belli causam venditabant Acatholici; reipsa tamen & occulta Bohemiæ Procerum cum correspondentibus Imperii Principibus conjuratio, & avitæ religionis per Ferdinandum reducendæ metus motibus, turbísque ansam dederunt, Bohemia igitur

igitur Proceres Acatholici, Authore Henrico Matthia Comite à Thurn, homine per Bohemiam præpotente, & insigniter heterodoxo, dum Matthias Cæsar Ferdinando Hungariæ Coronam Posonii procurat, missos in carcerem Brunovienses, neglectásque Majestatis literas causati, imperia primùm Cæsaris, authoritatémque contemptui habere; tum factiones Ordinum, privatáque conventicula cogere. Intercesserant his jussu Cæsaris fidi adhuc Bohemiæ Magnates; seditiosi ad pacem, obedientiámque monebantur. At eò illi furiarum processêre, ut, dum numerosi in arcem Pragensem irruunt, non tumultuosè modò egerint omnia; sed, quòd postulatis suis, factionibúsque præprimis obloqui viderentur, Guilielmum Slavatam, & Jaroslaum Martinizium, tum Philippum Fabricium Regio Consilio à secretis, nequidquam jus gentium implorantes, per arcis fenestras in subjectum Regiæ vallum, altitudine amplius 40. cubitorum, Sternbergio in custodiam abducto, 23. Maji egêre præcipites; innocentiam, causæque æquitatem Deo prodigiosa lapsorum incolumitate palàm faciente, dum glande insuper ferrea appetiti, fractis nonnibil artubus, vitam servârunt omnes, ac in Austriam salvi pervenêre. Insigni eo scelere audaciores seditiosi, turbarum facem Comite à Thurn præeunte, armamentarium, Arcem Pragensem, ubi Thesaurus, Diadema, tabulæque Regni servabantur, occupant, custodiuntque; inde triginta Regni Directores ex suis tanquam Ephoros, regiis exauthoratis Consiliariis, constituunt, à quibus miles conscriptus, civésque ad præstandum fidei juramentum adacti; & ut auctior esset facinorosorum cuneus, Silesios, Moravos, Lusatósque ad eandem turpissimam traxêre defectionem. Impudentes eos, & non auditos in Regem suum, Regiósque Ministros conatus secuta quoque è toto Bohemiæ Regno Jesuitarum quinque è domiciliis suis proscriptio; causæ exilii: quòd Jesuitæ turbatores pacis publicæ, Religionis Catholicæ

ſtudioſi nimiùm Propugnatores, Emiſſarii Pontificis, Templariorum Sectatores, & aliæ ejusmodi adductæ, quæ paſſim in aliis quoque famoſis libellis legas; at præclarè à proſcriptis ſunt confutatæ. Demum Apologiam factioſi vulgant, quâ ſceleſtiſſimos auſus tanquam jure factos cohoneſtant.

Atrocitate facti commotus Matthias Cæſar nihil non egit, ut ſeditioſos ad ſaniorem mentem reduceret: miſſis etiam ad Imperii Principes, præſertim Bavarum, & Saxonicum Electorem Legatis, quorum interventu de concordia, pacéque tractaretur: at nequidquam blanda ea profuêre Cæſaris conſilia; auxiliarium enim Correſpondentium copiarum affluxu, Moravorum, Sileſiorúmque acceſſione elati, pertinaciores evasêre, Bohemiâ totâ ferale ſonante claſſicum; cùm Status non jam de Religione ſua aſſerenda, ſed de Familia Auſtriaca penitùs exſcindenda agebant, quâ eversâ facilè avitam religionem ſuppreſſum iri conjiciebant. Ut belli itaque facerent initium, Duce Comite Mansfeldio Notho Pilſnam, primam à Praga Bohemiæ Urbem, Cæſari fidam, obſedêre, anni ſequentis initio ad deditionem coactam: quæ res demum effecit, ut collectum Cæſar militem Ducibus Carolo Longavallio Bucquojo, & Henrico Duvallio Comite Dampirio iis objiceret, à quibus res ſtrenuè adversùm ſeditioſos ad Bohemiæ, Auſtriæque fines non ſemel, dum occaſio ferebat, eſt geſta.

Prænuncius turbarum earum, funerúmque haud paucorum Archiducum fuiſſe videtur Cometes aſpectu horribilis, prolixâ admodum caudâ in gladii recurvi formam extenſus, qui die prima menſis Novembris Viennenſibus eſt conſpectus, inde per Tropicum Cancri 30. dierum progreſſus itinere, ut Guilielmus Rechbergerus ejus temporis primarius Matheſeos in Archigymnaſio Profeſſor obſervavit, totidem annorum bellum Germanicum ſignificare videbatur. Altero autem ſimul, quo exortus eſt, die, Maximilianus Archidux,

Maxi-

Maximiliani II. filius, Cæsarum Rudolphi II, Matthiæque Frater, Electus nuper, ut suo loco meminimus, Polonorum Rex, Supremúsque Teutonum Equitum Magister, Viennæ ætatis anno 60. piissimè obiit, cui turbatâ undique Republicâ, Statúque Universitatis, de qua præclare, dum Austriam administrâsset, est meritus, parentari haud licuit, delato Ingolstadium ejus funere. Maximilianum 14. Decembris secuta Augusta Imperatrix Anna; ejus cadaver in Ecclesia Parthenonis Regiæ D. Claræ interea compositum, dum ad Cæsareum Mausolæum, quod in Ecclesia Capucinorum fundaverat, post annos complures est illatum.

Surgente hoc, qui totam Bohemiam corripuerat, Seditionum turbine, tristior quoque fortuna, quem ad summa hucusque extulerat, involvit Reverendissimum Cardinalem Melchiorem Kleselium Universitatis Cancellarium. Is cùm è Regni Comitiis Posonio redux Urbem triumphalibus honoratus arcubus Februario mense ingressus esset, mox inde à Ferdinando Rege, & Archiduce Maximiliano exesse jussus, dum nihil minùs cogitans 20. Julii Viennâ in Tyrolim captivus abducitur. Eas res ut sine strepitu, & quàm occultissimè perficerent, Ferdinandus ipse cum Maximiliano magna honoris significatione Cardinalem domi suæ invisunt, eo consilio, ut idem officii genus vicissim in Aula à Cardinale reciperent. Neque illos expectatio fefellit. Adest 20. Julii Legato Apostolico comitatus Cardinalis, aulámque ingressus inopino nuncio prosternitur, quem illi Serenissimorum nomine Sigefridus L. B. Breinerus attulerat: Cardinalitias cum purpura poneret, pullas, quas coràm aspiceret, indutus vestes, se præeuntem sinè tergiversatione sequeretur. Principum executus jussa Cardinalis, ab eodem Barone Breinero, Dampirio Comite, & Octavio Collalto per occultas Aulæ vias deductus paratum conscendere currum jubetur; & 200. Dampiriensibus equitibus ad Austriæ usque fines stipatus, velocibus

 equis

equis per Styriam, Carinthiámque in Tyrolensem primùm arcem, Ombras dictam, tum in Monasterium Montis S. Georgii, honestam in custodiam delatus est. Petrus Hüttnerus quoque ex Ordine S. Dominici, SS. Theologiæ Doctor, & Universitatis pro Cardinale Cancellarius, quòd arcanorum Kleselii conscius haberetur, claves Tabularii Cardinalitii reddere jussus, custodiæ traditur. Complures inopinatè adeò abducti Cardinalis causas Kevenhillerus annotavit: Sæpius in Reipub. damna tot auctum honoribus Cardinalem suâ, qua apud Cæsarem valebat plurimùm, authoritate abusum; eum unum fraterni Rudolphum, & Matthiam inter diffidii causam fuisse; illum priorem Archiducibus locum ambiisse. Adhæc aut turbata, aut discussa ab eo in Regna, & Provincias Austriacas Ferdinandi successio; præpedita vivo Matthia Ferdinandi in Germaniæ Regem coronatio; tardiùs adversùm Seditiosos Bohemos militare jussum subsidium, eidem crimini dabantur, utpote, à cujus privatis hæc consiliis magnam partem essent profecta; inde de occulta cum factiosis Bohemiæ Statibus communicatione suspectus habitus est; quo præsente, & in Aula Viennensi dominante optata toties Principum Austriacorum Concordia coalescere vix posse credebatur. Tam properè, & se inscio actum in exilium Kleselium, postquam è Ferdinando post horæ spatium intellexisset Cæsar Matthias, lecto doloribus podagricis affixus, non potuit non vehementer dolere; re tamen altiùs dissimulatâ, præter expressum vultûs ruborem, commoti animi testem, & Viennâ, & Austriâ excesse jussum Sigefridum Breunerum, cujus operâ Cardinalis deportatus erat in exilium, nihil severiùs dixit, egitque.

Graviùs re Romam perlata Pontifex, omnisque Purpuratorum Patrum Senatus sensit id factum, jamque in Authores fulmina sacra expediverat, & censuras, nisi easdem Cardinalis Bellarmini & authoritate

&

& gravissimæ eam in rem adductæ rationes cohibuissent. Adsuit nihilominus anno altero Viennæ Fabricius Veraspius Rotæ Auditor, qui bona fide Cardinalem repeteret, Romámque ad dicendam causam abduceret. Sed, cùm non tam Imperium Pontificis, quàm hortatorias attulisset, re infecta, & sinè Kleselio in Urbem rediit. Paulo V. interim è vivis sublato, Sacri Collegii intercessione à Gregorio XV. rursum, Veraspius Viennam missus, tandem à Cæsare impetrat Kleselium Romam abducendum. Ferunt, ùt adventus Nuncii Pontificii Kleselio Tyrolensi in custodia nunciatus est, eundem eo usque expectare jussum, dum sacram Deo hostiam litâsset; inde Veraspio hilari vultu obviam progressus: eamus, inquit, quo jusseris; innocentiæ nihil occurrit pertimescendum, sive Cæsari, sive Pontifici sistar. Romæ Kleselius in Arcem Hadriani aliquamdiu inclusus, quæstioni deinde admotus, tantâ eloquentiâ in Patrum consessu innocentiam suam propugnavit, ut publicâ sententiâ liber, ac innocens sit declaratus. Ea occasione Gregorio XV. vitâ functo, interfuit Cardinalium comitiis, suffragiúmque ad electionem Urbani VIII. tulit, à quo sacris donatus Lypsanis ad Ecclesiam, Universitatémque Viennensem, ùt suo loco dicetur, non invito Cæsare, summo cum honore remissus est.

Haud multis ante, quàm is turbo Cardinalem involvisset, mensibus, meditatam jam pluribus annis sex Alumnorum Diœcesis Viennensis in Convictorum Collegio confecit fundationem; quo piissimo instituto, id est consecutus, quod Ecclesiæ suæ, cujus erat Antistes, de præclaris in Vinea Domini operariis prospexerit, domiciliúmque illud, ex quo ad tantas emersit dignitates, auxerit, ornaveritque.

An. 1619.

Vigesima Martii turbatis adhuc undique Bohemiæ rebus, Viennæ vivendi finem fecit Augustissimus

Imperator Matthias, Rudolphi II. Frater, & Maximiliani II. Cæsaris tertiogenitus filius, anno ætatis 62. Imperii 6, hærede nullo, nisi Ferdinando Patruele è Styriaca linea, sanguinis quoque jure successuro, in filium adoptato. Erat Matthias Princeps Austriacæ comitate, pace, bellóque inclytus; Religionis avitæ propugnator acerrimus, quam Viennæ, atque in Austria, ejusdem Rudolphi tempore Administrator conservavit, auxítque. Et tametsi ex fraterna discordia audentioribus, ac in factionem coëuntibus Protestantium Ordinibus, concessionem Confessionis Augustanæ importunitate, civilíque intentato bello coactus confirmarit; Imperiales tamen fasces, quietámque Austriæ possessionem adeptus, nihil non egit, quæ pro re Catholica facerent. Quam de redigenda in novam, meliorémque formam Universitate conceperat, nunquam deposuit, cogitationem: & perfecisset etiam, quam incœperat, inductis in Scholas Archigymnasii Societatis hominibus, Philosophiámque prælegere jussis, restaurationem; nisì præclara consilia graves Reipub. turbæ præpedivissent. Mausolæum in Capucinorum Ecclesia ab Augustissima Conjuge fundatum ipse testamento extrui præcepit, in quod, post aliquot annos eâ magnificentiâ, quâ etiamnum visitur, absolutum, unà cum Augustissimæ Conjugis cadavere ipsius quoque est illatum.

Tam acerbum hoc Matthiæ fatum Austriæ, Germaniæque universæ accidit, quàm vita illius, quâ salus & incolumitas Religionis per Germaniam Catholicæ nitebatur, erat necessaria. Et sanè res Austriacorum nunquam periculosiùs, quàm anno isthoc à morte Matthiæ fluctuabant. Imperium Germanicum intestinis factionum Acatholicorum laborabat discordiis; Bohemicas ditiones omnes, unam si Budiwisiam urbem excipias, factiosi Ordines tenebant; in sceleris societatem Acatholici utriúsque Austriæ Status tracti, non modò cum Bohemis colludebant, sed irritata

tata

tata Alberti cessione, fidei juramentum Ferdinando se præstaturos refractariè negabant. Interioris Austriæ, quam ingenti animo Ferdinandus nuper ad Catholica Sacra reduxerat, occultæ Sectariorum reliquiæ, & Caput erigere, & ad tumultus spectare, ut de abducendis Græcio in Tyrolim Regiis à Ferdinando prolibus jam cogitaretur; parúmque aberat, quin fœderati Principes, fidique aliàs Ferdinando Ordines in eo rerum turbulentissimo statu nutarent. Adductus adhæc in Austriam à Thurnensi Comite exercitus, spoliato Zwetallensi Oppido, Laachensi transdanubiali ad Moraviæ fines urbeculâ captâ, Vienna ipsa 5. Junii obsidione tentabatur; Cives Viennenses cum non paucis Lutheranæ sectæ capitibus de admittendo Thurnensi Comite, ùt ante convenerat, jam conferebant; eousque impudentiæ progressi, ut Oratore Andrea Thonrädl iniquissima quæque à Ferdinando Rege postularent, ac ceu turbatorem pacis vellicatis in veste nodis, acerbóque risu ludificarent. Nec hìc factiosorum furor stiterat, Regno utroque Bohemiæ, ac Hungariæ, ad quæ biennio abhinc communi Ordinum consensu evectus erat, Ferdinandum abdicant: Bohemiæ sceptro ab ejus Regni Ordinibus in Fridericum Electorem Rheni Palatinum translato; Hungariæ autem per Gabrielem Bethlenum Transylvaniæ Principem seditiosis Bohemiæ, Imperiisque Statibus fœderatum Calvinistam occupato.

Ut verò licentiosiùs agerent omnia seditiosi Bohemi, multa de Ferdinando criminabantur: vitio imprimis cum videri creatum Regem ob Comitiorum infrequentiam: ad Rempublicam tractandam contra jusjurandum accessisse; Privilegiis insuper Ordinum posthabitis; vi, ac arrogata authoritate non pauca egisse; quare Fridericum Palatinum correspondentium caput in Regem 5. Septembris proclamatum, quarta Novembris, ac triduo post Elisabetham Conjugem Regni Insignibus à se esse insignitos. His animatus

tus Bethlenus, & ipſe pactum ſcelus demum aggreſſus, menſe Septembris ſeditioſum agmen ſuperiori Hungariæ infudit, perfidiáque Caſſoviam, Vivarinum, Poſonium, Petronellum, aliáque ejus nominis loca cæpit, arrogato ſibi Regis Hungariæ titulo, Coronæ tamen ſacræ uſu, ſingulari Dei Providentiâ, abſtinuit. Nec levis à Turca imminebat metus, qui non pactis modò Bethleno ſubſidiis, ſed collecto ingenti exercitu, incertùm, quò bellum illud pararet, formidabatur. Auxit calamitatum cumulum Superior maximam partem acatholica Auſtria, quæ utì commeatu bellico contribules fidei Bohemos juvabat, ita abdicatis Ferdinando fidis præſidibus, factionis ſuæ Magiſtratum creavit, atque occupata arce Lincenſi decimum quemque armavit; ne è Boica commeatus ſubveheretur, catenâ in utramque partem ductâ clauſus Danubius: fines inde Anaſi, copiarum Duce Gotthardo Stahrnbergio egreſſi, redactis in poteſtatem nonnullis arcibus, oppidíſque, inferiorem Auſtriam, tentato nequidquam obſidione Mellicio, populati ſunt: ut Ferdinandus Regnis exutus in Auſtria ipſa præter Viennam, & Neoſtadium nihil ferè ſua jam haberet in poteſtate. Denique, ne quidquam ſceleris prætermitterent, in ipſam Ferdinandi vitam conſpiratum, jamque ſeditioſos inter de dividendis Auſtriæ Provinciis, carceribus Sereniſſimarum prolium cogitatum.

Quid hìc agat Ferdinandus? proſtraviſſent hæc alium non Ferdinandum II. fortem, & prudentem Principem, qui Juſtitiæ, Religionísque avitæ causâ eas non modò calamitates ferebat, ſed ex iis quoque, Deo nixus, glorioſè eſt eluctatus. Dum enim foris Thurnenſis Comes obſidionem urget, intra Viennam præſidio militari vacuam acatholici Ordines in Principem impudentiùs inſurgunt; inopinus Viennenſem Urbem ingreſſus eſt Gebhardus Santilirius cum 500. Cataphractorum cohorte à Dampirio, cum exercitu ad Grembſium hoſtem obſervante, ſubmiſsâ: qua re bono-

bonorum, Catholicorúmque Viennensium erecti animi, perduelles pænarum metu sese intra domos subduxerunt. Conversis inde in hostem tormentis, quæ antehac seditiosi ad extorquenda postulata sua in urbem obverterant, advocatóque numerosiore præsidio Vienna strenuè defensa; dum demum Thurnensis Comes de occupandâ Viennâ, insigni fœderatorum suorum clade, quam Mansfeldius à Buquojo, Dampirióque ad Nedlicium Bohemiæ finibus urbem conterminam, 10. Junii acceperat, nunciatâ, desperans, obsidionem solvit, ad cæsos nuper fœderatos suos fugitivus.

Aperuit soluta Viennæ obsidio Ferdinando iter ad indicta Francofurtum eligendi Imperatoris comitia, ad quæ per obsitas hostibus Provincias veredariis equis profectus, nequidquam reclamantibus Bohemis, concordibus Electorum, ac ipsius etiam Fiderici Palatini Rheni suffragiis Imperator 9. Septembris solemni more est inauguratus. Francofurto Cæsar Monachium digressus, quòd non nisi armis compescendos seditiosos satis prospiceret, Bavariæ Ducem afflictissimis illis rebus, subscriptâ in belli expensas superiori Austriâ, adsciscit in socium armorum; inde nnunciatâ Bethleni, ut meminimus, in Hungariam irruptione, Græcium primùm, dein Viennam adproperat præsentiâ suâ, & consilio rebus Hungaricis obviaturus.

Siluêre tantisper inter hos bellorum, armorúmque undique collisorum strepitus Universitatis Musæ; quin imò communi Patriæ à Thurnensi Comite obsessæ periculo excitæ, sese ad defendenda Urbis mœnia animoso sacramento devovêre. Quingenti ex omni scoblarium numero delecti, quibus ex Academicis sui additi antesignani; totius literatæ cohortis præfectus nominatus scientiâ non minùs, quàm arte bellica præstans Felix Frey Artium Magister. Placuit Regiæ Majestati generosus Academicorum in Patriam amor, iisque erecto vexillo cum inscriptione: *Literis & Armis*

mis, præfecit Supremum Ducem Illustrissimum Michaëlem Adolphum Gomitem ab Althan, bello Hungarico, officiis sub Rudolpho, Matthiâ, atque ipso Ferdinando, Imperatoribus, & ab erecto anno hoc eodem 8. Martii Christianæ Militiæ Equitum Ordine, quem deinde anno 1624. Urbanus VIII. approbavit, clarissimum. Verùm paratissima Academicorum militum studia deserta à Thurnensi Vienna dissolvit; & tametsi ad vicinum Austriæ hostem propulsandum duci postularent, visum tamen Ferdinando magis è Repub. fore, ut literaria Cohors scholis suis, partâ Viennæ securitate, restitueretur. Igitur Serenissimus Rex ad indictum Electorum Imperii Conventum Francofordiam abiturus, doctis militibus missionem fecit, quam Rector Magnificus, & Senatus Academicus 18. Julii sequenti programmate publicavit.

Omnibus omnium Facultatum Auditoribus & Studiosis, aliísque Reipublicæ Literariæ Membris Salutem & Pacem.

NOn ita pridem Sacratiss. Hungariæ ac Bohemiæ Regiam Maj. Dominum Nostrum Clementissimum humillimè certiorem reddidimus, quòd his periculosis belli temporibus studiosa Universitatis Juventus suam operam ob singularem Patriæ amorem, & suam in Regiam Majestatem devotionem eidem humillimè obtulerit, parata nomen cum consensu Suæ Majestatis clementissimo militiæ, & quidem sine ullo stipendio gratìs dare. Quod quidem Sac. Reg. Maj. adeò gratum fuit, ut non solùm totam Universitatem, sed etiam omnes & singulos, qui sese vigore Catalogi suæ Reg. Maj. exhibiti obsequentissimè promptos obtulerunt, singulari ratione commendatos habituram benignissimè declaraverit. Attamen, cùm Civitas obsidione jam sit liberata, neque Sac. Majestas ob Paternum & clementissimum erga Studiosos affectum, mi-

si summa id exigat necessitas, illos à studiis evocare velit. Ideò depositis armis Literaria Exercitia denuò in Academia reassumi clementissimè ac seriò injunxit, prout omnes omnium Facultatum Domini Professores die 21. hujus mensis lectiones suas ad expressum nostrum mandatum prosecuturi sunt. Quare omnibus bonarum artium Studiosis sub obedientiâ nobis (utpote Magistratui suo) debitâ, seriò præcipimus atque mandamus, quatenùs arma & militaria ornamenta pro hoc tempore deserant, & ad literaria studia redeant, lectiones publicas, quâ par est, sedulitate frequentare, atque Regiæ Suæ Majestatis resolutoni se se conformes reddere omninò studeant. Facturi rem Sacræ Regiæ Majestati gratissimam, & debitâ erga illam observantiâ & officio suo dignissimam. PP, in Consistorio Universitatis 18. Julii anno Domini 1619.

Cessit tamen Illustrissimi Comitis Althanii, munificentiâ omnis armorum, quibus Academicos instruxerat, apparatus Universitati Viennensi, tum perpetua ejus rei ut apud eam extaret memoria; cùm ut in similes, si opus, & occasio foret, usus rursum deservitet. At quòd haud tutæ adhuc Viennæ Ferdinandi res essent, acatholicis cum seditiosis conspirantibus, non Civibus modò, sed, & Universitati arma omnia jussu Serenissimi Leopoldi Pataviensis Præsulis, qui Ferdinando Gomitiis præsente, Austriam gubernabat, adempta, tempore suo restituenda.

In reducem Francofurto Imperatorem solæ Societatis scholæ gratulationis officio functæ sunt, oblato Emblemate amplissimis soluti, vinctique styli encomiis referto: apud quos & illud memoriâ dignum annus iste habet, quod ex concessione Summi Pontificis Pauli V. dies D. Xaverii, quem nuper 25. Octobris Beatos inter retulerat, primùm sacris honoribus coli cæptus sit; adfuêre solemnitati Cæsar Ferdinandus cum Archiduce Leopoldo, atque Legato Apostolico, Sacris ad Divi Aram operante Cardinale Francisco

Dietrich-

Dietrichsteinio Olomucensi Episcopo, Moraviâ nuper à seditiosis ejecto; qui pro summo, quo in Societatem ferebatur, affectu, peractis Divinis ambonem conscendit, & ad confertissimam concionem de Beati laudibus Purpuratus Encomiastes peroravit.

Clausit anno hoc diem supremum Spectatissimus Vir Christophorus Pirckhamerus, Austriacus Viennensis, Philosophiæ, atque J. U. Doctor, Consiliarius Excelsi infra Onasum Regiminis, & ab annis compluribus ejusdem Cancellarius Universitatis, anno 1594 Rector Magnificus; cujus operæ res Catholica apud Universitatem Austriacósque conservata magnam partem debetur. Bibliothecæ suæ duorum millium precio æstimatæ hæredem scripsit Societatis Jesu Collegium, in quo & exuvias suas condi voluit. Vivit adhuc grata viri apud Socios memoria, de quibus non minus, ac literis vel mortuus in dono hoc librario pergit benemereri.

An. 1620.

Redire rursum Austriæ, Austriacísque regionibus sub finem anni hujus serenitas cœpit, partâ ad Albos montes haud procul Pragensi urbe insigni illa à Catholici Fœderis exercitu, victoriâ, quâ res Austriacæ restitutæ. Gæsare enim seria circumspiciente remedia, cùm post multos ultrò, citróque cum seditiosis pacis tractatus haudquidquam proficeret, irritatâ publico edicto Palatini in Regem Bohemiæ electione, bellum in refractarios movit. A Cæsaris stabant partibus Hispaniarum Rex cum Alberto Belgarum Duce, Polonus, & nonnulli Italiæ Reguli, Bavariæ præcipuè Dux Maximilianus, & Joannes Georgius Elector Saxonicus, qui acatholicus licèt, causæ tamen æquitate Cæsari adhæsit: Pontifex quoque Paulus V. felicem rei gerendæ successum precatus, copiosum belli nervum submittit. Palatinus verò præter seditiosos Bohemos, Hungaros, Austriacos Acatholicos, Angliam, Bata-

viám-

viámque, Correſpondentes Imperii Principes, quos inter præcipui Anhaltinus Princeps, Fridericus Wirtenbergæ Dux, Mauritius Haſſiæ Landgravius, Joachimus Erneſtus Marchio Anſpacenſis, Georgius Fridericus Durlacenſis Marchio, & Comes Erneſtus Mansfeldius Nothus, armorum ſocios numerabat. Belli initium ab Hiſpanicæ militiæ Imperatore Spinola factum; qui trajecto cum copiis Rheno Palatini ditiones inundans Bacheracum, Oppenhemium, Crucinacum, aliáque oppida ſuæ fecit poteſtatis. Septemvir Saxonicus Luſatiam ſubigendam ſuſcepit; Maximilianus Bavariæ Dux inito priùs cum Proteſtantibus Imperii Principibus Ulmæ pacto: ſe inter & illos extra Provincias Auſtriacis ſubjectas armorum induciæ eſſent; menſe Julio cum Legionibus in ſuperiorem Auſtriam profectus, ſeditioſos Status, à œdere Bohemico abſtractos, Cæſaris nomine ad fidei jusjurandum adegit: inde ſecundùm conterminam Bohemiæ Auſtriam progreſſus ad Novam Pelam, locum haud procul Zwethalenſi oppido ſitum, cum Bucquojo primâ Septembris copias junxit. Et ſenſit mox Factio Bohemica, quem hoſtem haberet; dum deſertis Auſtriæ finibus interiora Bohemiæ repetere cæpit, oppidis paſſim ſeu armis, ſeu deditione traditis, nec ſemel cruentis velitationibus haud paucis ſuorum cæſis. Demum ad fatalem decretorii certaminis metam Montem Album perventum. Bohemi valla moliri, caſtra communire, tormenta diſponere alacres, locum opportuniorem ſibi deſignare: fœderati Duces, etſi iniquiore & loco & conditione eſſent, certamen urgere. Illis cum poteſtate præerant Belliduces Chriſtianus Junior Anhaltinus Princeps, Georgius Fridericus Hollachius, & Erneſtus Matthias Comes Thurnenſis; His præter Bavariæ Ducem Tillius Comes, Bucquojus, & Maradas. Ergo octavâ Novembris, die ipſo Dominico, quo tunc Evangelium, in quo verba illa: *reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*, legebantur, ſub horam 12mam meri-

meridianam pugnæ signum datum, tantâ utrinque armorum collisione, ut vix ulla ætas pari furore certatum fuisse meminerit. Cæsarea primùm inclinabat acies; verùm illico sibi restituta: tum a Crazio Bavarico Equitum Magistro hostilis exercitûs pars dissipari cæpta, ipséque Anhaltinus Princeps in Cæsareorum manus delapsus. Ea clade exterritæ etiam cæteræ turmæ, victori militi non pectus, sed terga cedenda præbuêre, ut horæ omnino unius spatio cum ferocissimo seditiosorum exercitu sit depugnatum. Cæsi in hostico 6000. factiosorum; capti 500. cum impedimentis, machinísque bellicis ferè omnibus; haud pluribus quingentis, ex Victoribus desideratis.

Prostravit adeò tantæ cladis nuncius elatos Palatini, Pragenses inter muros pugnæ exitum operientis, animos, ut non impetratis 24. horarum induciis, quas à Bavaro orârat, relicto diademate regio, Urbéque Pragâ, clam primùm cum conjuge, fratre, liberis,& Thurnensi Comite in Silesiam vix eluctaretur; inde publico Decreto à Cæsare cum factionis sociis proscriptus, extorris, ac vagus ad Batavos divertit, *Hyemalis* posthac *Bohemiæ Rex* auditurus.

Ab ingressu Bavarici Superiorem in Austriam exercitûs, nihil cunctatus Ferdinandus, rursum Sacramentum fidei ab Inferioris Austriæ Statibus, quod Acatholici etiamnum recusabant, urgere cæpit. Præstitum id demum solemni more 13. Julii ab Orthodoxis omnibus; Augustanæ Confessionis Statibus, qui id refractariè recusabant, fortunis, patriáque damnatis. Vocatos quoque ad jusjurandum Universitatis Proceres, Acta Universitatis edocent, tametsi id primùm ad diem 30. Augusti referant. Eâ simul occasione Rector ejus temporis Magnificus Joannes Landaw, J. U. Doctor, & Excelsi Regiminis Consiliarius adeptos superiori anno Imperiales fasces Ferdinando gratulatus, Librum, munus Academicum, obtulit. Placuit adeò id Universitatis studium Cæsari, ut Rectore præ-

fato

ſato Conſiliarii Aulici titulis cohoneſtato, Academicos ſingulos, qui tum aderant, ad manûs oſculum admiſerit, adjectâ ſingularis in Univerſitatem voluntatis ſuæ ſignificatione, qua & Univerſitatis privilegia ſe conſervaturum, & acturum etiam, ubi Reipublicæ fata admiſerint, quæ ad ejus incrementum, reformationémque ſint factura, promiſit.

Et verò meditabatur jam tum optimus Cæſar reſtaurationem Univerſitatis, ex qua Societatis JESU ſcholas Archigymnaſio uniret, quibus Artium ſtudia, iis bellorum, & religionis injuriis propè collapſa, reſtituerentur: id tamen quò minùs tunc opere ipſo perficeret, publicæ bellorum calamitates, & res Viennæ adhuc parum tutæ prohibebant. Hac ipſa de cauſa haud gravatè tulit Cæſar, ut anni hujus principio Philoſophicæ ſcholæ à Societatis Patribus biennio abhinc ex Decreto Matthiæ Cæſaris in Univerſitate haberi cœptæ, rurſum in ejusdem Societatis Collegium, quod tum adhuc in Foro Aulico ſitum, revocarentur. Ubi enim ſuperiori jam anno, quo abſente Viennâ Ferdinando undique tumultuabatur, quantis Societatis Patres, qui Philoſophiam prælegebant in Univerſitate, premerentur incommodis, & quàm indignè, quot, quantíſque à diſcipulis haberentur ludibriis, Collegialium Artiſtarum impulſu; quantum demum vetus apud Philoſophos, Societatis ſubtractos diſciplinæ, pietas dilaberetur, intellexiſſet; Sereniſſimo fratri Leopoldo, qui tum Ferdinandi locò Auſtriam adminiſtrabat, totius rei negotium pertractandum dedit: videret nempe, nominatis eam in rem Commiſſariis, qua ratione Philoſophia ad Societatis JESU Collegium reduci poſſet, cæteris tamen in Matthiæ Diplomate conſtitutis, quantum quidem & Patrum docendi munus, & utriuſque partis privilegia admiſerint, ſuo in robore permanſuris. Delecti eam in rem à Leopoldo Commiſſarii fuêre Abbas Gottwicenſis, Joannes Henricus L. B. à Salburg, Joannes Landaw J. U. Doctor, &

 Joan-

Joannes Balthasar Schlegl. Universitatis partes P. Petrus Hüttnerus SS. Theologiæ Doctor, ex Ordine S. Dominici; Philippus Pitzan Institutionum Imperialium Professor; Sigismundus Geisler Philosophiæ, & Medicinæ Doctor; Andreas Lechler Philosophiæ Magister; R. D. Augustinus Zwerger, J. U. Doctor, Collegii Archiducalis Prior, subivêre; Societatis verò Georgius Rumer Provinciæ Austriæ Præpositus, & P. Guilielmus Lamormainius Collegii Rector. Tractatum à Commissariis solerter commissum sibi ab Archiduce Leopoldo negotium: quòd tamen utramque partem suis in postulatis nimiùm quantùm distare cernerent, nec facilè conventuram; Leopoldo Archiduci, atque inde Cæsari, authores fuerunt: decerneret Philosophiam in Societatis Collegium reduci posse, de cæteris conditionibus commodiori tempore agendum. Probavit eam sententiam Cæsar, atque extemplo ad utramque partem sequentis tenoris expedivit Decretum:

** Sacra Cæsarea, nec non Ungariæ, & Bohemiæ Regia Majestas, Dominus noster clementissimus cùm ex scripta relatione Joannis Henrici L. B. à Salburg, & Joannis Landaw, J. U. Doctoris, quos Serenissimus, ac Reverendissimus Princeps, & Dominus, Dominus Leopoldus Archidux Austriæ tunc temporis harum Provinciarum Austriacarum Gubernator, ad componendam controversiam inter Almam Universitatem Viennensem, & Patres Societatis vertentem, Commissarios deputaverat, tum aliunde etiam benignissimè intellexit, Diploma ab Invictissimo quondam Imperatore Matthia felicissimæ recordationis super translatione lectionum Philosophicarum, è Patrum Societatis Collegio ad Viennensem Universitatem, editum, finem minimè consecutum esse, eò quòd factâ hujusmodi translatione dicta studia Philosophica nullum habuerint successum, ac ipsi Patres Societatis, qui alioquin in dictis studiis domi optimam locare solent operam, cum

cum nullo juventutis, & literarum fructu oleum ferè, & operam perdiderint. Ideo hisce rationibus Majestas sua Gæsarea mota, & cum in hoc tempore ad totum hoc negotium exactiùs discutiendum, aut de conditionibus, octava die mensis Novembris proximi ab Academia Patribus propositis, accuratiùs dispiciendum, per gravia Reipublicæ Christianæ negotia impediatur, statuendum, & ordinandum censuit, utì vigore præsentis Decreti statuit, & ordinat, ut non attento supra dicto Diplomate Gæsareo Matthiæ unaquæque partium ex hoc tempore locis antehac solitis, Universitas videlicet in Universitate, & Patres Societatis in Collegio more suo, prout ante dictum Diploma consueverant, prælectiones Philosophicas habeant, & obeant; conditiones tamen supra memoratæ â Patribus observentur, donec aliud à Cæsarea Sua Majestate resolutione finali, quam hisce expressè sibi reservatam vult, constituat; ita tamen, ne hæc ordinatio alterutri parti in reliquis suis privilegiis, juribus, & immunitatibus quidquam præjudicii, vel detrimenti adferat. Quod utrique parti per speciale hoc Decretum intimari jussit. **

Cæsaris quoque authoritate vindicata est Universitatis, quam in subjectos sibi habet, jurisdictio, multis partibus à Magistratu Civico violata; Lictores enim denegârat Senatus, quibus Universitatis sententiâ exilii damnatus per publicas urbis plateas educendus erat. Ad communes deinde urbis carceres pertraxerat Caspari Lupi ad D. Michaëlis Ludirectoris uxorem, porrecti viro veneni accusatam. Quibus de rebus apud Excelsum Regimen conquesta Universitas, jus sibi suum assertum gratulata est; cæsa enim virgis Lupi uxor cum complice ancilla ex Consistorii sententia, 9. Augusti; novśimque 13. Augusti tulit Decretum, quo tandem in suos Jurisdictio Universitati stabilita est. Utrumque Quarientius Codici Austriaco inseruit.

Salisburgi Anno hoc Literarum Universitas ab Archipræsule Paride Ladronio constituta est, fundatis Juris, Medicinæque Scholis, cùm jam triennio abhinc ab ejus Decessore Marco Sittichio sex è D. Benedicti familia Professores, Humaniores, Philosophicas, Theologicásque scientias docturi Salisburgum, cùm docendi munus iis sub conditionibus, quibus offerebatur, non Societatis modò Patres, sed Franciscani etiam, Augustinianique recusâssent, sunt conducti.

An. 1621.

UNa, ùt meminimus, ex Albomontana victoria restitutâ Cæsari Bohemiâ, cæteræ quoque suum rediêre ad Principem ditiones, seu inexpectatæ victoriæ nuncio, seu armis compulsæ. Redacta in potestatem per Bucquojum Moravia; Lusatia, Silesia à Saxone Cæsaris nomine recuperatæ; Palatini profugi Provinciæ à Spinolæ, Bavariæque Ducis Legionibus vexatæ, & maximam partem occupatæ; Austria Superior coërcita; Inferior in fide confirmata; Correspondentes Imperii Ordines dissoluto fœdere Cæsari conciliati; Ernesto Mansfeldio Notho, Christiano Brunsvico-Halberstadiensi, Marchione Seniore Durlacensi, Brandeburgo Jagerndorffio, quòd adhuc per Imperium, Silesiámque infesta arma circumferrent, publico edicto proscriptis. Ipsæ quoque res Hungariæ nonnihil feliciores; quamquam enim anno hoc Bethlenius cum profugo Thurnensi Comite Austriam non semel incendiis, rapinísque funestâsset; quòd tamen Hungariam Imperatori Turcarum tributariam offerret, haud pauci Hungarorum Proceres à Bethlenio ad Cæsarem defecêre. Missus subinde sub Majum mensem adversùs Bethlenium Bucquojus, Posonium, Pôssingam, Tyrnaviam, vicinámque Schüdianam Insulam recepit; Victricibus armis haud dubiè Hungariam tumultuantem Cæsari asserturus, ni improvisa mors Ducem è medio victoriarum cursu eripuisset;

nam

nam expugnando Vivarino dum acriùs insistit, & propè incomitatus hostem observat, ab erumpentibus urbe præsidiariis inopinè obrutus, binis hastis confossus interiit. Interempto Cæsarearum copiarum Duce fortissimo, de pace cum Bethlenio tractari cœptum, quam adeò non respuit, ut redditâ quoque, quam apud se habebat, sacrâ coronâ, abdicatóque Regis Hungariæ titulo, demum sub anni hujus finem sit confecta.

Redditâ ea ratione Austriæ pace, Acatholici ejusdem Ordines jam in gratiam Cæsaris recepti, quòd ærarii inopiâ in persolvendo milite, quem in subsidium tumultuantis Bohemiæ conscripserant, premerentur, ad Catholicos Status subsidii causâ recurrêre: discussum id multâ diligentiâ, & ne adversùm jus, æquúmque ageretur, à Facultate Theologica rogatæ sententiæ, transmisso 1. Aprilis in sequentia verba rei controversæ statu:

** Miles à Statibus, & Ordinibus hujus Archiducatûs Austriæ inferioris, qui se Augustanæ Confessionis addictos esse nominant, immediatè contra Cæsaream Majestatem tanquam Principem hujus Provinciæ, ejúsque prohibitionem expressam; adversùs dein Catholicam nostram Religionem, & integros patriæ hujus, homagio jam Cæsareæ Majestati obstrictos & deditos, Ordines conscriptus, & coactus, non solùm monasteria aliquot, item arces, civitates, templa cum ædibus parochialibus Catholicorum hostiliter invasit, occupavit, spoliavit, & destruxit; verùm etiam majori ex parte exercitui inimico se conjunxit, cum illo militiam Cæsaream insequens, Pragæ deprehensus, & in publico prælio amissione omnium quasi suorum vexillorum cæsus, & profligatus est. Posteaquam verò turpi fugâ salutem in patria quærens, veniâ à Cæsarea Majestate impetratâ, ab illo tempore, quo se Imperatori dedicavit, & in stipendium communis Statuum ærarii venit, dimitti nunc, & ad impensas importabiles evitandas,

das persolvi debeat, conantur Status acatholici nobis Catholicis imponere, & à nobis efflagitare, ut iste illorum miles ex communi nostro ærario, & cassa, etiam ab illo tempore, quo contra Cæsaream Majestatem, & contra Catholicam Religionem militavit, persolvatur. Quærunt ergo Status Catholici ab Inclyta Facultate Theologica; an salvâ conscientiâ, citrâque læsionem ejusdem annuere huic petitioni possint? aut si hoc illicitum foret, an Catholici compatriotis non Catholicis mutuo aliquo ad convenientem obligationem, sive aliunde mutuatâ pecuniâ ad solutionem communis ærarii subvenire possint? **

Subjunxêre Status Catholici controversæ quæstioni rationes, pro utraque parte facturas. Quæ omnia fusiori descripta calamo cum Facultatis responso in ejusdem Actorum libro recensentur.

Nondum apud Religiosas Familias propugnandi literarias quæstiones in suorum cœnobiorum Ecclesiis morem ea adhuc tempestate fuisse, eadem Acta Theologica ad annum præsentem referunt. Cùm enim Conventuales ad S. Crucem 30. Octobris porrectis ad Facultatem literis nomine Generalis Ordinis sui, qui tum Viennæ aderat, Theses Theologicas obtulissent, à Facultate approbandas, prælóque committendas, *censuit Facultas* (ejusdem Actorum verba refero) *permittendas Theses in gratiam præsertim R. P. Generalis; quo ad locum autem significandum eidem R. P. Generali per eos, qui repetent Theses; moris hìc non esse, ut assertiones defendantur in Ecclesia, nec ullum Ordinem Religiosum id hactenus fecisse; & præterea periculum esse, ne ex modo disputandi fortè liberiore, clamoribus, ac strepitu, qui aliquando in hujusmodi Disputationibus intervenire solent, offensio aliqua oriatur in populo: nihilominus tamen Inclytam Facultatem integrum relinquere R. P. Generali, ut pro hac vice statuat, quod expedire judicabit.*

Quò

Quò faciliorem habuêre Conventuales Religiosi Theologicam; eò difficiliorem in vota sua nactus est Facultatem Medicam Joannes Guilielmus Managetta, Austriacus Wilhelmspurgensis. Is Patavii in Medicinæ Doctorem inauguratus, cùm ad Facultatem Medicam Viennensem anno hoc admitti postulâsset, quòd promotionis suæ testes literæ solùm ea verba complecterentur: *Dominum Managettam Patavii authoritate Venetâ creatum Medicinæ Doctorem*, postulatione sua apud Facultatem cecidit; cui ad Facultatem admitti eum, qui authoritate Apostolica, & Cæsarea Doctor creatus non sit, non posse visum. Eandem tulit Universitatis Senatus, ad quem res est relata, sententiam; ne tamen virum optimæ spei omnino rejiceret, id ei datum consilii, ageret apud Cæsarem, Nunciúmque Apostolicum Viennensem, ut ex plenitudine potestatis defectum illum creationis supplerent. Egit is, & impetrato ab utroque Decreto suppletorio, Facultati mense Septembri est adlectus, magnum subinde Universitatis, ejusdémque Facultatis futurum Nomen.

Grassata intereà haud parcè anno hoc Lybitina in supremum Ecclesiæ Caput, Austriacámque Familiam: imprimis enim Paulus V. Pontifex Maximus, Austriacæ Domui, quam & milite, & ærario perturbatis hisce temporibus juverat, plurimùm addictus, die 23. Januarii post Pontificatûs sui annos quindecim, nonnullósque menses è vivis sublatus est; cui 9. Februarii communi Purpuratorum PP. suffragio suffectus Gregorius XV. antehac Cardinalis Alexander Ludovisius dictus, annum jam agens 67. qui mox anno hoc ad bellum in Germania Catholico exercitui 40000. coronatos liberaliter submisit. Exinde vitam, mensémque Martium obitu suo clausit Philippus III. Hispaniarum Rex. At mensis proximi dies VI. Mariam Christiernam, quæ Sigismundo Bathorio Daciæ Principi quondam nupserat, Ferdinando Augusto fratri rapuit. Demum Albertus Archidux, qui hucusque

Belgis imperaverat, diuturno correptus morbo, nulla ex Isabella Eugenia relicta prole, diem 13. Julii mensis supremam habuit.

An. 1622.

AUspiciatoribus jam Austriæ rebus de jungenda quoque thalamo, à morte Serenissimæ Mariæ Annæ sex ab hinc annis viduo, conjuge Ferdinandus Cæsar mentem adjecit: delecta è pluribus Eleonora Vicentii Gonzagæ Mantuani Ducis, & Eleonoræ Mediceæ filia, paribus virtutibus, & indole ornata. Mense igitur Januario Imperator per Styriam, Carinthiámque in Tyrolim, secum Græcio primi conjugii liberos deducens, profectus est: sexta Februarii ubi Oeniponti sponsam consalutâsset, secundis hymenæis in Aulico templo, pompâ Cæsare quidem dignâ, temporum tamen rationi accommodatâ, jungitur. Procuratæ Augustæ sponsæ, raræque in Cæsarem fidei Joannes Udalricus Comes Eggenbergius id tulerat præmium, quòd in Romani Imperii Principem, Grumloviensi Toparchiâ, Ducatûs titulo insignitâ, donatus, eveheretur. Inde Salisburgensem per ditionem cum Augusta, Serenissimísque liberis in Austriam redux, die 26. ejusdem Mensis Februarii salvus, & incolumis debitis honoribus non ab Urbe modo Viennensi, sed & Universitate more veteri ad D. Stephani est exceptus; dictus etiam Academicis dies, quo ad Cæsarem admissi hymenæum auspicatum, Oratore Michaële Hoffmano SS. Theologiæ Doctore, Parocho, & Decano in Pühlerstorff, ejus temporis Rectore Magnifico, sunt gratulati.

Nec minùs honoris Augustissimo exhibitum, cùm Sopronio post inauguratam in Hungariæ Reginam Serenissimam Conjugem, confectísque feliciter regni negotiis 27. Julii rediisset. Neque diu tamen se, præsentiámque suam Viennensibus indulgere fas fuit Augustissimo; Germaniæ enim rebus sic postulantibus

ad

ad convocata Imperii Ordinum Comitia Ratisbonam sub Novembris initia cum Elenora, & magna Procerum, Aulicorúmque corona discessit; tum ut, quæ ad Germaniæ salutem facerent, illic pertractaret; cùm, ut à Friderico Palatino usurpatæ violenter Bohemiæ Coronæ, accensique undique belli reo, & ideo anno jam ab hinc uno proscripto, in Bavariæ Ducem Maximilianum, de Austria, Cæsare, Imperio ipso, & re Catholica meritissimum, Electoralem dignitatem transferret.

Ex præterlapsa interim Germaniæ procella superstites adhuc præcipuæ reliquiæ erant, Ernestus Nothus Mansfeldius Comes, Christianus Brunsvici Dux Halberstadiensis Episcopatûs Usurpator, Joannes Georgius Brandeburgicus Marchio Jägerndorffii in Silesia Dux, Badensis, & Durlacensis Marchiones; ad quos Palatinus è Batavia per Galliam, & Lotharingiam ficto habitu penetrans, multa cum iis molitus est. Collectis itaque, & rursum animatis militum suorum reliquiis omnem Palatini ulciscendi viam rimantur. At à Cæsareo, Saxonicóque milite in Silesia Jägerndorffii vires fractæ; Halberstadiensis, Badensísque ad Mœnum à Tillio Germanorum, & Corduba Hispanorum Ducibus tanta clade sunt affecti, ut hiscere amplius vix possent. Captæ insuper Palatinatûs inferioris Urbes quàm plures, ipsa quoque Heidlberga, Palatini Regia; cum qua in potestatem Catholicorum venit Bibliotheca illa, quam ex Germaniæ universæ Monasteriis Protestantes conflaverant, summo dein Pontifici Urbano VIII. anno insequenti transmissa; ut Domiciliorum Religiosorum Literarius thesaurus ad Summum Sacrorum Præsidem Deo ita disponente rediret. Mansfeldius denique ad Wimpffenam, & secundò apud S. Amandum, & Floreacum in Comitatu Namurcensi à Corduba ad internecionem deletus. Ex quo Fridericus Palatinus rebus suis desperans Sedanum, inde Bataviam iterum inglorius repetiit.

Rebus

Rebus ita in Imperio constitutis, quies in Austria erat, & lætior undique facies. Hac occasione Cæsar ratus utendum ad restaurandas Universitatis res animum adjecit. Juverit hic, priusquam ad Ferdinandeam Academiæ Reformationem transeamus, velut in compendio omnem Archigymnasii ea tempestate faciem, constitutionémque ob oculos ponere, ut quantùm à veteri restaurata per Ferdinandum II. Universitas recesserit, uno velut obtutu Academicus Lector intueatur. Elucidabant ex Reformatione Ferdinandi I. Pontificias æquè, ac Gæsareas leges, in sic nominatis *Juristarum Scholis* quaterni Jurisprudentiæ Doctores; Medicam artem omnem in scholis Academicis profitebantur terni; terni itidem tantùm adhuc tum Theologiæ Professores, unus in Testamentum vetus; alter in novum; tertius in Magistri Sententiarum Libros, quorum lectio prima ex Consistorii suffragiis Theologo liberè conferebatur, binæ aliæ in perpetuum Societatis Jesu Patribus à Ferdinando I. erant addictæ, iisdem in scholis commentabantur. Artes, Philosophicæque Scientiæ, Grammatica scilicet, Poësis, Rhetorica, Organum Aristotelis, Physicorum, Metaphysicorúmque libri, Ethica, Mathematica, Hæbraicæ, Græcæque Linguæ cognitio à duodecim omnino Magistris, Archiducalis Collegii Incolis, fuerant tradendæ, nisi Artes eas temporum injuriæ Professoribus propè omnibus destituissent; cùm Facultas Artistica nonnisi sex membra; Theologica septem; Juridica, Medicáque paulò plura illis an̄is recenseret. Atque hic universus fuit rei literariæ Status; Academicorum vero Domiciliorum vetustate prope collapsorum sequens numerus: *suam*, quam etiamnum obtinet, Juris Facultas habeat *domum*, in qua comitia ciebant, legésque enodabant Professores; *Archiducale Collegium* ab Alberto III. erectum, fundatúmque, eo scilicet loco, cui nunc pars Societatis Jesu Collegii maxima superstructa est: incolebant illud duodecim Artium Magistri,

& prima quidem ex fundatione, Clerici ſtipendiati, biniqne Theologi, qui Superintendentum, Parentúmque munere fungebantur, communi menſa, & certis legibus victitantes. Eodem Archiducali in Collegio Theologiæ, Artium, Medicinæque Auditoribus patebant ſcholæ; cui una ex parte *Sacellum D. Benedicto ſacrum*, ex altera *Aula Academica* adhærebat, in qua publicarum exercitationum, Bibliothecæ, Conſiſtorii, Tabulariique Academici locus, qui ſequentibus deinde annis unà cum coëmptis viciniſ ædibus in Academicarum ſcholarum atrium ceſſit. Haud paulò inde *Artiſtica Facultatis Domus*, quam novam Structuram appellavêre, Bicliothecam Artiſtarum, Conventuum cubiculum, Ludi quoque partem complexa. Nec *Hoſpicale Academicum* longè inde diſtabat. Archiducale Collegium ferè in gyrum circumdabant quina ſcholarium, in communi ex Burſa fundationum victitantium, contubernia, quæ Burſas vocitavêre. Ad *Rubeam* ſcilicet *Roſam*, *Liliorum*, *Agni*, *Gentium*, & *Sileſitarum*, quibus olim *Burſa Corporis Chriſti* Hungarorum, at eam ſub tempeſtatem prope jam dilapſa, acceſſerat. *Burſa Roſarum* initia ſua retulit, Magiſtro Ulrico Grüenwalder Artium, & Medicinæ Doctori anno 1423. defuncto, ex cujus pio legato ab ultimæ voluntatis executoribus Thoma Ebendorffer de Haslpach, & Petro Etter Licentiati in Artibus, poſtquam novos & in vivis, & â morte adjeciſſet cenſus Nicolaus Subcœlo, ſeu Unterhimmel, rei monetariæ Præfectus, ac Conſul Viennenſis, ædes quondam Pauli Wagendrüſſel coëmptæ, ac indito Burſæ Roſarum nomine in Studioſorum ex Auſtria oriundorum contubernium aptatæ ſunt, leges ſimul Alumnis ab eodem Haslpachio, ex quibus in commune viverent, præſcriptæ. Novis ſubinde Fundationibus Burſam illam eo in loco, quem nunc potiſſimam partem Convictorum ædes occupant, ſitam, Nicolaus Leitgeb Plebanus in Hütldorff, Joannes Polhey-

me

mer Cathedralis D. Stephani Canonicus, & Plebanus in Mistlbach, Georgius Hueter Viennensis item Canonicus, & Stephanus Maus de Gunderstorff SS. Theologiæ Baccalaureus adauxêre. *Liliorum Bursa*, ubi nunc Pazmaniana Domus, ferè sub annum 1465. ære Burchardi Krebs Licenciati Decretorum, & Ecclesiæ Pataviensis Decani, empta, & dotata fuit. Erat is è Ducatu Wirtenbergico, unde & beneficium solùm suis Popularibus 10. numero proprium voluit. Accessit huic fundationi altera Henrici Neunhardt, J. U. D. & Plebani Ulmæ; & Dominorum à Leutschau; ubi verò Ditio Wirtenbergica ab avita Majorum Religione deflexit, census quoque adeò defecêre, ut propè jam tum institutum interiisset, nisi industria Superintendentum fragmenta adhuc collegisset. *Bursa Agni*, in Academici Collegii templum conversa, cum illa, quam olim *Bursam Pontis*, seu *Bruck*, vocabant, conflata erat; illa ex vectigalibus Christophori Ozerstorffer Civis Viennensis sub annum 1407., seu ut alii, per Magistrum Bernardum Schleicher anno 1487.; isthæc à Magistro Oswaldo de Weikerstorff, SS. Theologiæ Baccalaureo cæpta; crevit utraque sub eodem *Agni* nomine ex pia liberalitate Joannis Sarger Civis Viennensis, Joannis Fabri Episcopi Viennensis, & Margarithæ Georgii Aigmayr Legum Doctoris viduæ, solis Austriacis inhabitata. *Bursæ Gentium* fundamenta jecit anno 1434, Paulus Wann de Kenrath, SS. Theologiæ Doctor, Professor eximius, D. Stephani, & Pataviensis Canonicus, à quo sub initium *Bursa Pauli* appellabatur. Adjecit subinde Georgius Taller Medicinæ Doctor, & Neostadii Physicus; Stephanus Sprugl Canonicus Viennensis, & Olomucensis; ac demum Catharina Schardingerin molitrix Vidua in Monswörth, eam dotem, qua plures variis ex nationibus Alumni alebantur; in eam Bursa hæc post Unionem conversa est domum, quæ Seminario Ignatiano deserviit. *Bursa Silesitarum* etiamnum hodie

super-

superstes viget, è Parthenonis D. Laurentii regione, à Nicolao Gleiwitz Canonico Cathedrali Wratislaviensi sub annum 1420. fundata, tametsi ejus stipendiati in commune haud ampliùs vivant. His accedebant *Codria*, seu Domus Pauperum Studiosorum, olim ternæ ad *Aureum Leonem*, *Pranckata* & *Mons Aureus* nominatæ, è quibus tamen ea sub tempora postrema tantummodo super erat; Domus scilicet illa, quæ hodie post Albi Bovis, veteri Lanionum platea, Collegio Pazmaniano accensetur. Denique *Scholarum Provincialium* ædes, pars hodie illa Dominicanorum Cœnobii, quæ infra Bibliothecam Windhagianam Stubarum portam versùs protenditur. Erexerat illam Ferdinandus I. pro Juventute Austriaca, sub disciplina Ludi Rectoris sæcularis Catholici, tum pietate, cùm literis instituendâ, posteaquam adverteret, Nobilitatem acatholicam à scholis Jesuitarum abhorrere; veteri Provincialium Domo propè forum Aulicum in Convictorum Societatis Jesu usum translatâ. Consumato novæ Scholæ Provincialis ædificio mortuus quidem Ferdinandus I. ejus tamen pia consilia Maximilianus II. continuavit, adjectis annuis in sustentationem vectigalibus. Post Unionem in has Provincialium Scholas Convictores Societatis Jesu inducti, eam ad An. 1652. usque incoluêre.

Ergo, cum è re sua, Universitatísque futurum censeret Cæsar, si Societatis Jesu, quas suo in Collegio haberent, Scholæ Academicis jungerentur; Artium Humaniorum lectiones omnes iisdem Patribus comittere meditabatur. Eam Cæsaris mentem ubi Austriacæ Societatis Visitator R. P. Joannes Argento, qui Viennam ex Polonia ea æstate advenerat, certis signis collegisset, amicíque Societatis hortarentur; ne eam occasionem è manibus elabi sineret, cùm toties antea nequidquam tentata cum Universitate Unio, tam prono in Societatem Imperatore Ferdinando, demum ritè, integréque confici posse videretur. Totum hac de

Unione

Unione negotium idem R. P. Visitator, quem Provinciæ curæ aliò evocabant, Collegii Rectori P. Guilielmo Lamormainio aggrediendum, pertractandúmque commisit. Res igitur primùm per eundem P. Rectorem cum Principe Eggenbergio agi cœpta; deinde Augustissimus ipse aditus; à quo nominati sunt Commissarii Leonardus Helfridus Comes à Meggau, & Joannes Baptista Verda de Werdenberg, ille Cæsaris in Excelso inferioris Austriæ Regimine Locumtenens; hic ab Aulicis Cancellis; uterque eidem à sanctioribus consiliis, qui de rei agitandæ, conficiendæque ratione cum Collegii Societatis Jesu Rectore conferrent. Quartâ Octobris negotio pertractando initium datum. Tum enim Collegium adiêre Commissarii, auditáque P. Rectoris de unionis utilitate, ac ratione, sententiâ, eam non approbaverunt modò, sed & in chartam conjectam, & cum Illustrissimo Comite Maximiliano Trautmanstorffio Cæsari à sanctioribus consiliis, ac Regiminis Cancellario Hegenmüllero communicatam, ad Augustissimum detulêre. In his cùm nihil, quod non probaret, Cæsar invenisset, 21. ejusdem mensis Octobris ad Universitatem simul, & Collegii Societatis Rectorem datum Decretum est, præscriptúsque in eo Unionis perficiendæ modus. Designati insuper sunt Commissarii, Illustrissimus idem Comes à Meggau, & Joannes Rupertus Hegenmüllerus, qui in Academiam quamprimùm, & ante adhuc suum Ratisbonam iter Societatis Patres introducerent. Quod Decretum Sanctioni Pragmaticæ insertum sub finem nostri operis referremus.

Ab acceptis his literis, quas pleno in Universitatis Senatu Magnificus Rector, qui nuper 13. Octobris ipso S. Colomani Festo è Facultate Medica lectus erat, Guilielmus Rechberger Austriacus Eggenburgensis, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, ejusdémque Professor Primarius, & S. C. Majest. Medicus cubicularius, cùm prælegisset, Cæsarisque hac super re voluntatem

pluri-

pluribus commendâsset; turbatæ plurimùm, commotæque sunt Universitatis, Artistica præcipuè, Facultates. Nimiùm Societati faventes eas literas clamitabant, veteráque Archigymnasii Jura, & Statum integrum iis infringi querebantur. Libellum igitur Cæsari porrigunt, quo eam Unionem differri tantisper supplicabant, dum & ipsi, quæ sibi contra viderentur, proponerent. Verùm impetratum à Cæsare aliud nihil 24. Octobris, quàm mandato suo standum esse Universitati. Alterum nihilominus libellum querelis plenum Commissariis, Cæsare jam Ratisbonam ad Comitia profecto, obtulêre Academici: ut, si unienda omnino, inducendáque in Universitatem Societas foret, id salvis saltem primævis Academiæ Privilegiis, & Institutis fieret. Sed responsum iterum ea in verba: fas non esse Commissariis à Cæsaris voluntate vel latum unguem discedere; quod si ipsi cum Societatis Patribus agere, & difficultates, quas scripto attulissent, cum iisdem coram communicare non renuerent, nihil prætermissuros Commissarios, quæ tolerabilem magis eam Universitati Unionem redderent. Multa inde utrinque agitata sunt, Commissariis, Patribúsque Decreto Cæsareo inhærentibus; Conrado Colmano Medicinæ Doctore Academico Pro-Rectore, & Christiano Schäffler Cæsareo Superintendente, Universitatis nomine novas identidem difficultates obmoventibus. Demum ubi 4. Novembris P. Rector contestatus esset; se, Societatémque, si Unionem Universitas admiserit, haud difficilem futuram, ut omnibus in rebus, quæ Decreti Cæsarei expressis verbis non adversari viderentur, condescendat; Universitas tandem, adnitentibus plurimùm Commissariis, admittendæ Unioni non modò consensit, sed reipsa 10. Novembris publico in Universitatis Consistorio à Commissariis Vivum, Legitimúmque Universitatis Viennensis Membrum Societas renunciata, & ab Academicis solemni ritu recepta, agnitáque fuit.

Inde 16. ejusdem mensis seni Universitatis, è Societate bini, summa delegati potestate, amicam inituri compositionem, convenêre in Illustrissimi D. Locumtenentis, & Comissarii Cæsarei, Comitis à Meggau ædibus, eo eventu, ut consenserint in omnibus; cum si articulum excipias, quo Societatis Patribus tum Decanatûs, cùm Rectoratûs Magnifici dignitas, quoties ad Philosophicam Facultatem devolveretur, in perpetuum conferri jubebatur. Puncto isthoc interea dilato, Superintendentibus datum in mandatis, ut Archiducale Collegium, Aulam, Bursas, Rosæ scilicet, Liliorum, Agni, & Gentium; Montem Aureum, Scholam Provincialem, Philosophicæ Facultatis Domum, cæteráque Universitatis ædificia è Cæsarei Decreti præscripto, proximo quovis tempore, Societati cederent. Missi ea de re à Comissariis Ratisbonam ad Cæsarem sunt articuli recèns initi, & utrinque ratificati. Quibus libellum supplicem adjecit Universitas, quo contendebat à Cæsaris benignitate, ut bonâ ejus veniâ è veteri more Decanum, Rectorem, cæterósque Officiales eligere liceret; atque ne Prælati, aliæque honoratæ è Facultate Philosophica Personæ, & Rectoratûs, & Decanatûs honoribus prohiberentur; ne demum è domibus Academicis Societati traditis, ante Sancti Georgii sequentis anni Festum Universitas cogeretur demigrare. Annuit postremo petitionis capiti Cæsar, reliqua in suum Viennam reditum discutienda distulit; datis ea super re 19. Novembris Ratisbonâ literis.

Factâ eum in modum Societatis cum Archigymnasio Viennensi Unione, elapsis jam Autumni feriis 22. Novembris Societas suos Scholares solemni ordine in Academicas Scholas induxit. Prælegebant tum Theologiam Scholasticam veteri jam ex instituto duo Professores P. Christophorus Mayer, & P. Martinus Melzig; Controversias P. Daniel Vasharelli; Casus Conscientiæ explicabant P. Thomas Lösch, & P. Joannes

nes Baptista Posarelli; Metaphysicam P. Matthias Klincka; P. Paulus Eustachius Stannaberger Physicam; Logicam P. Gasparus Tausch; Mathesin P. Paulus Guldin docebant; Eloquentiam profitebatur P. Rudolphus Neomenius, Poësim M. Joannes Muschan; Syntaxim tradebat M. Georgius Augustini, Grammaticam M. Felix Gotischelius; Rudimenta M. Guilielmus Puz. Ethicæ, & Hebreæ Lectiones primùm anno insequenti haberi cœptæ; quas omnes ingens Discipulorum numerus ingenti profectu excipiebant.

Benefico adeò in Viennensem Societatem Ferdinando, non minori beneficio universam Societatem affecit Gregorius XV. Summus Ecclesiæ Antistes, quando ejusdem Patriarcham, Ignatium Loyolam, tot Illustrium Gymnasiorum conditorem; magnúmque Indiarum Apostolum Franciscum Xaverium, cum Theresia, Philippo Nerio, & Isidoro Hispano Agricola, 12. Martii solemni ritu Sanctorum Albo inseruit. Perlatus Viennam Aprili Mense Apotheseos nuncius simul, & literæ Apostolicæ, quibus Societati ubivis terrarum diem hunc solenni ritu, & amplissimâ præterea peccatorum indulgentiâ, celebrandi potestas facta, summâ non Societatem modò, sed bonos omnes affecit lætitiâ. Aderant tunc commodùm Viennæ Provinciæ Austriacæ Rectores, primíque Professi, ad Conventum Provincialem: hinc visum haud cunctandum diutiùs in adornanda Canonizationis festivitate, quæ ex Cæsareæ Majestatis, primorúmque Societatis Patrum præsentiâ satìs mutuatura, quod exterioris apparatûs deesset, sit splendoris. Igitur S. Ignatii, Dominica post Pascham quarta, dies; dein eandem Dominicam sequens altera, S. Xaverii solemniis, designata. Ad Concionem primo die de Laudibus Divi Ignatii peroravit, indéque ad Aras fecit Cardinalis Franciscus à Dietrichstein Episcopus Olomucensis; die autem alterâ Apotheosi D. Xaverii sacrâ Panegyricum insigni facundiâ dixit Admodum Reverendus Fridericus

 Kheller

Kholler ad S. Michaëlem Viennæ Parochus, SS. Theologiæ Doctor, & Universitatis hoc ipso anno Rector Magnificus, rursum ad Aram litante prælaudato Cardinale. Auxêre festivitatem præsentiâ suâ, non modò afflua tota ferè Vienna, & Societatis Scholarum numerosissima Juventus; sed præprimis præter venerabilem primorum Societatis in Provincia Austriaca Patrum Cætum, Augustissimus ipse Imperator, & Eleonora Augusta Conjux, cum lectissima Archiducum filiorum, filiarúmque Corona, atque Aula tota; qui ut diem honoribus D. Ignatii sacram redderet illustriorem, & publica in Ecclesia cum Augustissima Conjuge, liberísque sacræ Synaxi accubuit, & in Collegio benignitate, familiaritatéque incredibili, in Patres utebatur. Remotis mensis theatrum publico in foro Aulico, Urbis Viennensis ferè amplissimo, Collegio adjacente, Cæsari, Cæsareæque aulæ è Collegii fenestris actionem spectanti, apertum, in quo D. Ignatii è vita sæculari ad Religiosam conversio exhibebatur, tanto hominum affluxu, quem forum capacissimum vix caperet. Certè ea voluptate & beneplacito Cæsaris spectabatur, ut auditis secundis vesperis, gratias pro eo lætissimo sibi apparatu Rectori agere, inauditâ omnino tanti Monarchæ benignitate, non dedignaretur.

An. 1623.

IN Comitijs Ratisbonensibus Ferdinandus Cæsar post multas Septemvirorum, Saxonis, & Brandeburgi, atque Palatino studiosorum Ordinum tergiversationes, deprecationésque irritas, Fridericum V. Palatinum Rheni, Electorali dignitate ob violentam nuper Regni Bohemici usurpationem, rebellionem, & capta in Imperium, Imperatorémque arma, exauthoravit; eámque in Maximilianum Bavariæ Ducem, fidissimum Imperatori bellorum socium, 25. Jan. solenni ritu transtulit; is, nam comitiis aderat, Cæsarem in triclinium

secu-

secutus, primam lancem Imperatoriæ mensæ inferens, Archidapiferi munus obiit, eidémque mensæ conviva accubuit. Ratam subinde translationem illam & Saxo habuit, Saxonis exemplo Brandeburgo etiam An. 1627. sententiæ Cæsaris accedente. Id tamen Daniæ, Angliæque Regibus, pro Palatino deprecatoribus Ferdinandus dedit: Se Palatinum ditionibus suis restituturum, si Regio Bohemiæ titulo abstineret; Arma in Cæsarem rescindat, & fœdera; veniam denique coram ab sua Majestate efflagitaret. Quibus, alisque Imperii transactis negotiis Ratisbonâ sub mensem Martium Viennam rediit.

Sed tantùm aberat, ut Fridericus suæ in Palatinatum restitutionis expleverit conditiones, ut per Fœderatos etiam suos, Mansfeldium, & Brunsvico-Halberstadiensem Imperium infesto rursum exercitu percursârit, eo planè tempore, quo Gabriel Bethlenius, à Sectatoribus Friderici incitatus, bellum post factam nuper pacem redintegrans, Turcarum auxilio nonnulla per Hungariæ oppida subigebat. At illi 6. Augusti apud Statloum à Tillio ingenti clade affecti, vix fugâ vitam abstulêre; Hic levioribus aliquot præliis fractus, non tam pacem, quàm armistitium nonnullorum mensium offerebat.

Exasperatis adhuc Universitatem inter, & Societatem rebus, sollicitisque vel maximè Academicicis, ne Rectoratûs Magnifici honós, si quando alicui ex Facultate Philosophica conferendus esset, penes Societatem semper permaneret; cùm 22. Aprilis novi è Facultate Philosophica Rectoris electio immineret, inito clam consilio, tametsi id à Cæsare interdictum foret, præterlapsi semestris Rectorem Magnificum Guilielmum Rechperger, Medicinæ Doctorem eò adegêre, ut gesto se munere abdicaret; novúmque Universitati Præsidem dedêre Reverendissimum Christophorum Schaffer Ordinis Cisterciensium ad S. Crucem in Austria Abbatem, AA. LL. & Philosophiæ Magistrum. Nec

 facilio

faciliores in consignandis Academicis Societati domibus, prætorlapso jam S. Georgii festo, se præbuerant. Voluntati enim Fundatorum, ipsiúsque adeò Principis potestati adversari eam traditionem, dictitabant. At ubi nihil redituum, quæ Bursis, aliisque stipendiatis domibus deberentur, à Cæsare in Societatem transferri; quin integros penès Universitatem permansuros, intellexissent è Commissariis; & vacua solùm domicilia, quæ ab Austriacis olim Principibus essent extructa, aut novo certè ære redempta, Societatis Patribus concedi viderent; haud obstitêre quidem, quò minùs earundem possessio adiretur; novis tamen identidem molestiis Patres infestabant, eò usque, ut non modò non maledictis, sed vix etiam manibus à Societatis Religiosis, dum Bursam Agni in novi Templi fabricam dejici procurant, abstinerent. Contemptam his ausibus authoritatem suam, graviùs senserat Augustissimus, & irritatâ novi Rectoris electione, alterius semestris Rectorem, laudatum supra Guilielmum Rechpergerum suo in munere, & honore confirmavit: datis in hæc verba ad Universitatem literis.

Den Ehrsamen, Gelehrten, unsern lieben Getreyen N. Decano und Consistorio allhiesiger Universität.

„ FErdinand der ander von Gottes Gnaden Erwelter Römischer Kayser, zu allen Zeiten Mehrer deſs Reichs. Ehrsamb gelerte, liebe Getreye, Uns geraicht zu höchst ungnedigen Missfallen, dass ihr zuwider unser ergangnen so gemessnen Resolution, vndt gleichsamb uns zur Verschimpffung, eüch unterstanden einen neyen Rectorem zu erwellen, vndt hiervor gewesten zur Resignation zu nöttigen. Wan wir uns dan dergleichen zu eüch nit versehen, noch weniger solche Verschimpffung zu gedulten keines weegs gemaint seyn: als ist hierauf unser

„ ernst-

„ ernstlicher gemessner Befelch, dass ihr bey verney-
„ dung unserer schweren Ungnad und Straff euren
„ vermainten neyen Rectorn in Angesicht dises ent-
„ lasset, alles wider in vorigen Standt richtet, alle
„ einkombene Acta vndt Actitata dess vermaintenRe-
„ ctoris, so wir hiemit genzlichen annullirt, cassirt,
„ vndt auffgehebt haben wöllen, dem hiervor ge-
„ westen Rectori Doctor Rechberger unsern Rath vndt
„ Leib-Medico, welcher biss auf unser weitere all-
„ gnedigste Resolution Rector verbleiben soll, über-
„ gebet; die Patres in ihren in denen Bursen angefang-
„ nen Gebey fortfarn, vndt darin im wenigsten nicht
„ turbiren lasset, auch danebens uns alsobald gehor-
„ sambst bericht, was ihr gegen dem jenigen, so Handt
„ an die Patres gelegt, für Bestraffung vorgenommen:
„ in widrigen fall wir sonsten damit ernstlich fürzu-
„ gehen nit unterlassen wurden. Hieran vollziehe
„ ihr unsern ernstlichen Willen, vndt Mainung.
„ Geben in unsrer Statt Wienn den 26. May, Anno
„ Sechzehenhundert drey vndt zwaynzigsten, vnse-
„ rer Reich dess Römischen im viertten, dess Hunge-
„ rischen im fünfften, dess Böhaimischen in Sechsten.

Ferdinandt.

Joan. Bapt. Verda de Verndenberg.

Ad mandatum S. Cæs. Maj. proprium.
Grapler.

Perlectis Augustissimi literis, Universitas cum Paulo Pörsio, SS. Theologiæ Doctore, ac Decano in Mistelbach, tres Facultatum Seniores ad Cæsarem delegavit; qui admissi errorem deprecati sunt: Cæsare vicissim pristinam benevolentiam promittente, si obsequentem se in iis, quæ ad ejus incrementum Diplomate unionis statuisset, exhibuerit.

Ut ergo, quæ adhuc Societatem inter, & Universitatem controversa, componerentur, stabilisque ini-

 retur

retur concordia, prælaudatis coram Commissariis Leonardo Helfrido Comite de Meggau, Maximiliano Comite de Trautmanstorff, Joanne Bapt. Verda L. B. de Verdenberg, Joanne Wentzel Imperiali Consiliario aulico, die 19. & 20. utriusque partis Plenipotentiarii Conventum habuêre. Hìc, ut Universitatem ampliùs sibi demereretur Societas, Rectoratûs Magnifici petendi juri perpetuùm renunciavit; Decanatum verò Philosophiæ non nisi alternis constanter annis pro suis postulavit. Quibus utrinque ratihabitis, unanimi sensu in eos articulos, qui Sanctioni Pragmaticæ inserti sunt, conventum; ac subinde transactio illa, cui pars utraque 7. Augusti, octava erat S. Ignatii dies, Cæsari probanda, perpetuúmque confirmanda à Commissariis porrecta est. Præstitit id Augustissimus binis post dies, nona nempe ejusdem mensis Augusti editâ Sanctione Pragmaticâ; & die eadem, advocatâ in Aulam utraque parte ab Excelso Regimine publicatâ, quam in Academicorum gratiam in fine operis integram adferemus.

Composito eum in modum Unionis negotio, & aditâ à Societatis Patribus, ùt Cæsareum volebat Decretum, Domiciliorum ad Universitatem antea spectantium possessione, datum Collegio novo, Scholis, & Templo à Patribus aliquod initium, disjectis, aut in meliorem usum adaptatis, veteribus contuberniorum ædificiis, Cæsare necessarios sumptus liberali manu suppeditante. Nec non major scholæ Provincialis pars, quæ nunc eam PP. Prædicatorum Monasterii partem occupat, quæ post Bibliothecæ Windhagianæ terminum mœnia, & Stubensem respicit portam, è Cæsaris voluntate Societati cessit. Hanc in domum multas post controversias è veteri suo domicilio, Harrachianâ prope Scotenses æde, Convictores, eam ad annum usque 1652. inhabitaturi, comigrarunt. Et quoniam Societati è Sanctionis Pragmaticæ vi tum Consistorio habendo, tum conservando tabulario Academico

mico Domicilium aliquod designandum erat, libera potestas Collegii Rectori ab Universitate facta est, ut seu Bursam Gentium, seu veteris Aulæ Academicæ anteriorem Dominicanis oppositam partem, aut alias demum quascunque ædes, non longè à prioribus Archigymnasii domiciliis dissitas, cum in usum accommodaret.

In apparatas nonnihil pro novo Collegio ædes, Colonia Societatis Patrum, Magistrorúmque juxta Pragmaticam Academicas Artium, Philosophiæ, Theologiæque lectiones habituri, auspicatos intra dies S. Leopoldo Patrono Austriæ, & Virgini in templo præsentatæ sacros, ex veteri in Foro Aulico Collegio, commigravit. Hinc D. Virgo, & S. Leopoldus novi Academici Collegii electi Patroni. Sacrificia Missæ erectâ in aula Academica arâ juventuti fiebant, donec Sacellum veteris Collegii, ab Academicis jam ab eo tempore, quo secta Lutherana latiùs Viennam invaserat, in tabularii usum adhibitum, expurgatum, ampliatúmque, Ecclesiæ in locum inserviret. Nec omittendum duxi, id, quod vetera inter documenta reperi, Sacellum illud vetus Ducalis Stipendiatorum Collegii D. Benedicto sacrum fuisse, in quo sequentia è parietibus scripta legere erat; & quidem supra caput imaginis S. Benedicti pictæ in pariete ad cornu Evangelii: *S. Benedictus Sacelli hujus Patronus.* Supra medium altaris, ubi fenestra plateam respexerat: *Altare S. Benedicti Abbatis.* Ad cornu Epistolæ hujus altaris: *Dedicatio Sacelli hujus die Solis ante Festum S. Benedicti currit.* Quibus subjunctum erat: *Anniversarius Fundatorum, & Benefactorum istius Collegii Ducalis habendus I. die Veneris post Dominicam: Esto mihi.* Supra fenestram Altaris secundi legebatur: *Altare omnium Sanctorum.* Intra imaginem B. Virginis, quæ in pariete depicta erat, utì & inter portam ferream, quæ viam ad Collegium aperiebat, sequens erat inscriptio: *Renovatum est hoc Sacellum Anno Christiano*

 1509.

1509. imperante feliciter invictissimo Cæsare Maximiliano semper Augusto.

Adaptato hac ratione novo Collegio, Patres itidem, qui posthac Theologiam, Philosophiámque prælecturi erant, juxta Sanctionem Pragmaticam hoc ipso anno in Facultate recepti sunt. Et cùm Decanorum rursus mutandorum tempus adesset, à R. P. Collegii Rectore Philosophicæ Facultati præsentatus est P. Matthias Bastiantschitz Philosophiæ, & Theologiæ Doctor, quem in sequens semestre, seu Decanum, seu Pro-Decanum, pro voluntate, renunciarent eâ conditione, ut abinde præscriptus in Pragmatica Sanctione Decanatûs ordo, & successio inviolabiliter initium duceret. Elegit Facultas sibi Decanatum æstivalem, ac præsentatum P. Bastiantschitz Semestris sequentis Decanum renunciavit. Inde cùm 6. Decembris sublato *Prioris Ducalis* Collegii officio, qui è reformationis Ferdinandi I. tempore ultimum in Consistorio locum obtinebat, decretum ab Universitatis Consilio ad Facultatem Philosophicam esset transmissum, quo Seniorem quempiam nominare jubebatur, qui *Prioris locò* Consistorio adesset; itum à Facultate in suffragia, visúmque omnibus, ut cùm ex aliis Facultatibus is Senior Consistorialis esset, qui Primarius foret Professor, id quoque à Facultate Philosophica observaretur; nominatúsque est, penes quem in perpetuum ea dignitas maneret, Metaphysices Professor, Senatu Academico sententiam Facultatis Artisticæ approbante. Pro Collegii verò Societatis Rectore à Facultate Theologica in conventu 29. Octobris habito statutum; ut si eundem comitiis Theologicis interesse contigerit, primus ei à Rectore Magnifico locus (modò Facultatis cæteroquin Theologicæ Doctor foret) concederetur.

Quoniam verò translato Archiducali Collegio in Academicum Societatis, Professores quoque Collegiales dicti, penès quos antehac jus Patronatûs nominandi 6. Canonicos ad D. Stephanum erat, fuêre sublati;

pote-

poteſtas ea à Cæſare quatuor Facultatibus in Conſiſtorio Univerſitatis congregatis conceſſa eſt; ùt ex datarum 10. Januarii anni hujus 1623. à Cæſare literarum ſequenti §. liquet: So vil aber das jus Patronatûs über die Canonicat betreffen thuet, wollen höchſt ermehlte Kayſ. Majeſt. daſs ſelbe allen vier Facultäten auſs der Univerſität zugleich hiemit allergnädigſt conferieret, und ihnen daſſelbe zu verbleiben verwilliget haben.

Memoriâ & illud dignum hoc tempore occurrit, quòd junctis Univerſitati Societatis ſcholis Seminarium hoc anno Hungaricæ Juventuti, altioribus diſciplinis excolendæ, pro ſua in rem Catholicam, Strigonienſémque Diœceſim curâ erexerit, ampliſſimiſque dotârit reditibus Reverendiſſimus Strigonienſis Archi-Præſul Petrus Pazmanus, nobiliſſimâ Hungarorum Familiâ, quæ per Margaretham Maſſariam, Petri matrem, Italicos Maſſæ Marchiones contigebat, ortus, Societatis quondam, quam anno 1587. ingreſſus eſt, Religioſus; à doctâ Græcii Philoſophiâ, Theologiáque celebris. Hic à Matthia Cæſare ad Infulam Strigonienſem primùm à morte Franciſci Forgatzii, qui Pazmano ob conſilia, & obitas per Hungariam miſſiones omnia tribuebat, anno 1616. tum anno 1629. 19. Octobris Ferdinando II. id poſtulante, ab Urbano VIII. Romanam ad purpuram evectus eſt. Operi ſtabiliendo conducta à Reverendiſſimo Fundatore Burſa Liliorum, & Montis Aurei domus, quas è ſententia Cæſaris à Societatis Collegio coëmerat, atque domicilium ſuo à nomine Pazmanianum Collegium appellari voluit; quod ſubinde novis fundationibus locupletatum viros non dignitatum modò omnigenarum ſplendore, ſed & fuſi pro Chriſto ſanguinis purpurâ, & Scientiarum præſtantiâ Eccleſiam ornaturos Apoſtolico ſubmiſit Regno, & etiamnum ſubmittit.

Sub ipſo hoc unionis negotio Auſtriaca Societatis Provincia antehac Auſtriam, Hungariam, Bohemiam, Sile-

Silesiam, Moraviam, Styriam, Carinthiam, Carniollam, partémque Austriacam Italiæ complexa, quòd magnitudine laboraret sua, Authoritate Cæsaris, consensúque supremi Societatis Præpositi in duas est divisa anno isto, Austriacam, & Bohemicam Provincias: Huic Religiosa per Bohemiam, Moraviam, & Silesiam Domicilia; cætera illi obvenêre. Princeps Bohemicæ Collegium Pragense, Universitatis Juribus à Ferdinando I. à cujus nomine & Universitas Ferdinandæa dicta, anno 1560. fundatum; id ut exemplo Viennensis Collegii veteri Carolinæ Academiæ uniretur, sub eandem hanc tempestatem non modò studiosè procurabat Ferdinandus II. Cæsar, sed rem omnino perfecisset, nî Societatis hominibus ipsis contra torrentem minimè nitendum visum esset. Relictum igitur illius Unionis beneficium Ferdinando III. Augusto Filio, cujus auspiciis Ferdinandeæ cum Carolina Universitate conjunctio demum est confecta ita, ut à Societatis Professoribus Theologicæ, Philosophicæque Scientiæ, cum politioribus litteris traderentur, Facultate Juridica, Medicáque veteri suo in statu permanente, ac Rectoratus Magnifici officio non exteris modò, sed & Societatis Jesu Collegii Rectori secundùm ordinem conferendo.

Interea Romæ 8. Julii bonorum omnium luctu extinctus est Gregorius XV. Pontifex, ætatis 70. anno, cui ex quinquaginta Cardinalium suffragiis 6. Augusti suffectus est Urbanus VIII. antehac Maffæus Barbarinus, à collato Cardinalibus Eminentissimi titulo, & insigni augendæ in Universitate Viennensi Religionis studio, nobis memorandus.

An. 1624.

UT pacem Imperio redderet, non parum Augustissimus anno hoc adlaborabat: at tantùm abfuit, ut id consequeretur, ut novus potiùs bellorum turbo, qui ad annum usque 1649. sese in Germaniam est effusurus,

ſurus, ab inito adversùm Auſtriacam Domum fœdere immineret. Pertraxit Anglus in fædus illud, tum ut exutum Electorali dignitate, Regionibúsque ſuis Generum Palatinum reſtitueret; cùm ut bellica Cæſaris fortuna ſiſteretur, haud difficulter Galliam, Daniam, Sueciámque: à quibus tamen anno iſthoc magnoperè geſtum eſt nihil; miſſus cum numeroſo exercitu in Germaniam Mansfeldius; ſed copiarum parte maximâ in Friſia Orientali, aquarum, aëríſque inclementiâ dilapsâ inglorius ad ſuos rediit.

Nactus ea re Cæſar commoditatem, de purganda Lutheri erroribus Auſtria ſeriùs cogitare cæpit. Quare proſcriptis jam antea è Moravia (ubi teſte Caraffa, ad 10000. Catholicis acceſsêre, qui patriâ abire nollent) Anabaptiſtis, ex Auſtria quoque ſectarios Prædicantes omnino arceri voluit, monitis cæteris per Magiſtratum civibus, ut qui Catholicis accedere nollent, liberè ſolum verterent. Obſecutus Cæſaris mandato præprimis Senatus Viennenſis, qui ea ſub ſpecie, quod Catholicorum rituum Sacerdotibus per Lutherani Evangelii miniſtros neceſſaria ad vitam tolerandam ſubtraherentur, exercitium omne in urbe Viennenſi Cæſaris nomine Prædicantibus interdixit; vetitúmque ſeveriſſimè: ne quis Viennâ ad concionem Proteſtantium in Hernals excurreret. Decretum iſtud Cæſareum & Univerſitati ſubditis à Rectore Magnifico promulgatum. Repertus non ita multò pòſt ex Academicis nonnemo Medicinæ Doctorum, Matthæus Richter, qui quòd in Decretum peccâſſet, 100. Imperialium mulctâ, ſibi à Rectore Magnifico impoſitâ delictum luit.

Interea lætis initiis ſopito luis graſſantis periculo ſuccreſcebant Societatis jam Academicæ Scholæ; in quibus univerſim lectiſſima Juventus numerum ferè millenarium adæquans, ſcientiis, virtute, ac Religione vera excolebatur; quos inter Comites, Marchiones, Barones, & Provinciales ſupra quinquaginta numera-

mera-

meratos esse, Acta Artistica adnotârunt, Philosophicæ Juventutis tum Principe, Illustrissimo Joanne Francisco Comite à Trauthson; Humanistarum verò Illustrissimo Joanne Drugeth de Homòna. Primi subindo ab unito Universitati Societatis Collegio anno hoc in Artium, Philosophiæque tum Baccalaureos, cùm Magistros eo ferè ritu, qui à Societate primùm cæptus, etiamnum observatur, promoti sunt; cùm antehac Baccalaureatus Philosophiæ privatos duntaxat inter parietes conferretur: Prima Philosophiæ laurea die 15. Aprilis sex & sexaginta candidatis ordine meritorum à Decano P. Matthia Bastianschiz magnâ spectatorum frequentiâ in veteri adhuc Aula Academica collata; quo etiam tempore primùm, ut cum versibus in Promotorum honorem typo datis, chyrotecæ in spectatores dispergerentur, mos invaluit Suprema Magisterii laurea uni & viginti à P. Stanaberger 23. Decembris, obvenerat, ubi priùs Professionem fidei juxta Decretum Pii IV. & Sanctionem Cæsaream superiùs recitatam, in manibus P. Collegii Societatis Jesu Rectoris, ùt Acta Artistica disertè adscripserunt, ipsa in Aula Academica omnibus coram Facultatum Doctoribus emisissent. Præmissæ fuêre à sex Candidatis ex Universa Philosophia Thesium Defensiones, quas & Rector Magnificus, & Cæsareus Superintendens cum Pro-Cancellario, Illustrissimi quoque hospites magnâ frequentiâ condecorârunt. Secuta trium dierum de more invitatio, cujus munus tum Clarissimus Petrus Hoffmanus obierat.

Ob exortas novas, quas iterata Pro-Cancellarii designatio excitaverat, difficultates & tricas, eam Magistrorum promotionem tam diu, in finem usque labentis anni, protrahi oportuit. Nam cùm Tobias Schwab ad D. Stephanum Canonicus, & Cardinalis Kleselii Viennensium Episcopi, & Universitatis Cancellarii, etiamnum Romæ absentis, Vicarius ac Officialis Generalis, acceptas ab eodem literas ad Universitatem attulisset, quibus absentiæ suæ tempore Pro-Cancellarium Generalem

ralem

ralem plena cum potestate P. Gabrielem Vega Ordinis Prædicatorum, Sacrosanctæ Theologiæ Doctorem, & Professorem tum ejusdem Primarium, se constituere significabat; non leviter eam ob nominationem strepitare Facultates; quæ jus, fásque esse è Maximiliani Privilegiis asserebant, ut, si quando Cancellarium longiori tempore Viennâ abesse contingeret, singulæ sua è Facultate sibi Pro-Cancellarium legerent. Eâ adhuc pendente controversiâ novam immiscuit laudatus P. Vega, dum sibi, quòd vices Cancellarii subiret, priorem ante Cæsareum Superintendentem in publicis Universitatis Conventibus, actibúsque locum deberi contendebat. Res ad Excelsum inferioris Austriæ Regimen delata, adjectâ simul à Facultatibus informatione: *Consuetudinem hactenus obtinuisse extra Actum, quem reipsa Vice-Cancellarius exerceret, priorem semper locum Superintendenti Cæsareo obvenisse*; ab Regimine secundùm Facultatum informationem mense Junio pronunciatum est.

Pacatæ jam res credebantur, quòd Facultates singulæ pro sua, quâ Reverendissimum Cardinalem observabant, reverentiâ, designatum Vice-Cancellarium interea, dum jus suum prosequerentur, agnoscerent. At ecce nova rursum turbarum occasio ex discessu P. Vegæ, quem is sub autumni finem inscia Universitate adornavit, relictis post se literis, quas Collegii Societatis Rectori inscripsit his verbis: *Cùm ego propter occupationes mei Ordinis ex obedientia per aliquot hebdomadas abesse Viennâ debeam; rogatum vellem Admodum Reverendam Paternitatem vestram, quacunque oblata promotione, cujuscunque sit Facultatis, unum Doctorem ex Societate designet, qui peragat ea omnia, quæ ego, si præsens essem, peragere possem: ad quod præstandum omni meliori modo, quo possum, Reverentiæ vestræ potestatem facio; quia hoc mihi omnino licere constat ex publico instrumento, quo Vice-Cancellarius constitutus sum: de reliquo me, & meum iter*

Adm-

Admodum Reverendæ Paternitati vestræ humiliter commendo Viennæ 20. Octobris anno 1624. His ex literis ubi P. Rector, & discessum Vice-Gancellarii, & substitutionem Universitati significasset, nominasséque ad promotionem Magistrorum, Philosophiæ Pro-Gancellarium P. Matthiam Bastiantschitz Artium Decanum; novis iterum Universitatis Consistorium, Facultatésque motibus efferbuêre, eámque substitutionem adversùs Academica Statuta factam declarârunt. Verùm quòd Philosophorum juxta, ac Davidis Corneri Theologici Doctoratûs Candidati promotio, hominem exigeret, qui Cancellarii vices obiret, ex Universitatis, & PP. Societatis, qui ultro eas vices agere noluerant, consensu, prælaudatus Tobias Schwab ad D. Stephani Officialis, Magistrum Aichpichler Vice-Cancellarium Actui Philosophico præfuturum, Gardinalis Kleselii nomine, designavit; cui certas ob rationes repudiato, Pater Augustinus Krebs, Familiæ Prædicatorum Prior, & ante Religionis ingressum collegiatus Linguæ Græcæ Professor, substitutus est; ad Theologicum Michaële Hoffmano SS. Theologiæ Doctore, & Decano in P Uhlerstorff renunciato.

Eodem hoc anno Seminarium S. Pancratii ex Foro Aulico ad Academiam translatum est inductis in illud sub Societatis curâ Bursarum quoque Stipendiatis. In quorum sustentationem tum quidem 30. florenos assignatos lego, ea tamen studiorum morúmque commendatione, ut Universitatis Senatus, cùm domum eam viseret, in publicas Societatis laudes ob præclaram adeò juventutis regendæ artem effunderetur.

An. 1625.

EX inito anno superiori Danorum, Gallorúmque cum Anglis fœdere haud dubiam prævidebat sapientissimus Cæsar impendere belli procellam; cui ut propulsandæ par foret, præprimis cum Ottomanno aliis

aliis bellis implicito, tum cum ipso etiam Bethlenio procurandas sibi pacis inducias existimavit, quæ felici omnino inchoatæ eventu, felicissimè tandem mense Majo confectæ sunt. Inde indictis Soproniumm Regni Hungariæ comitiis Cæsar ea pertractanda susceperat, quæ ad Regni totius incolumitatem, integrámque â perduellibus, & Barbaris securitatem facerent, creato Regni Palatino Nicolao Esterhasio, Viro præprimis Catholico, & Domui Austriacæ fidissimo; cujus hortatu potissimùm factum, ut Regni Ordines ab Augusto Cæsare Ferdinandum III. filium sibi in Regem dari postularent. Cæsar, laudato Procerum in Domum Austriacam studio, integrum ipsis fore, quod peterent, respondit. Lætis igitur Ordinum vocibus Ferdinandus III. Rex Hungariæ salutatus, & die 8. Decembris ipso Deiparæ sine labe originali conceptæ festo, Rex Marianus à Strigoniensi Archipræsule Petro Pazmano unctus, & coronatus est. Evocavit ea inauguratio politiores Universitatis ad literarios applausus musas, quos solutâ, ligatáque oratione haud inelegantes in librum composuêre, cui titulus præfixus: *Quadriga Famæ Regiæ, qua Serenissimus, & Potentissimus Rex Hungariæ Ferdinandus III. Magni Cæsaris Ferdinandi II. Austriaci Filius, Pius, Justus, Sapiens, Omnium Sensu Angelicâ, S. Regis Stephani Coronâ insignitus, â Quaternione Pythagorico Universitatis Viennensis Quadrigalibus Pegasis per Quatuor Austriaci Orbis Plagas in Triumphum feliciter peractæ Inaugurationis, Publicæ Festivitatis Argumentum, æternæ observantiæ Monimentum, Festivis Passibus, Plausibúsque Circumvehitur.* Impetrata est ad Serenissimum Regem anno insequenti admissio, ipso Annunciationis B. Virginis die, ad quam Rector tum Magnificus Paulus Pörsius SS. Theologiæ Doctor, Wratislaviensis, Olomucensísque Ecclesiæ Canonicus, Decanus in Mistlbach è domo Universitatis per primas Urbis plateas, Superintendente Cæsareo, Collegiique Societatis Rectore, totóque Aca-

 demico-

demicorum ordine stipatus, â prandiis processerat; auditus â Rege Orator Magnificus benevolè, Academicum munus multa clementiæ in Universitatem significatione acceptum.

Hæc in Ungaria; Imperio bellum â Daniæ Rege illatum est, quòd exercitûs Protestantium Inferioris Saxoniæ ad restituendum Fridericum Palatinum, tuendámque Lutheranam Religionem Dux esset constitutus: irruentibus quoque iterum in Imperium Mansfeldio Notho, & Christiano Brunsvico Halberstadiensi; quorum ille Anglicarum, hic Gallicarum copiarum Imperator. At ab his præter rapinas, depopulationésque haud multum præstitum; Danus verò transitu Wesceræ per Tillium prohibitus, & haud multò post grave ex equi casu periculum adiens adhuc suam intra Daniam sese continere coactus est; à Tillio, Wallensteinióque Duce Fridlandiæ interea in Inferiori Saxonia propugnaculis non paucis in potestatem redactis.

Pro Religione inter hæc bella Catholicâ multa bene, præclaréque Viennæ acta sunt. Inhibitâ enim Superiori anno ad Lutheranas in Hernals Conciones Cæsaris authoritate commeatione, anno hoc latibulum illud Evangelicorum ministellorum, in quo jam sedecim ipsos annos sectæ suæ exercitia, magna animarum clade, habuerunt, funditùs excisum est, hac quidem occasione: Comitis Heluardi â Jörger, insigniter Lutherani, Dominio locus ille suberat: Hic, cùm non modò Matthiæ An. 1608. tempore seditiosorum Acatholicorum antesignanum egisset, sed & ipso Ferdinando II. jam regnante rebellibus se Ducem in Austria præbuisset, cognitâ tandem criminis causâ, damnatus, mortísque reus pronunciatus est: impetratâ tamen vitæ gratiâ, bona in fiscum redacta, subditi, & adeò Dominium ipsum Hernalsense, in fidem Cæsaris recepti sunt. Excesse illicò Prædicantes inde jussi, arx Hernalsensis D. Stephani Canonicis cum adsita Ecclesia â Cæsare

sare donata, incolæ ad veram Religionem haud inviti reducti. Jam Catholicorum in potestate Hernalsensis Ecclesia erat, cùm die D. Bartholomæo Apostolo sacra primùm iterum Catholicis sacris expiari cœpit; Speláeo, quàm Domui sacræ similior, Aulæis Cæsareis circumvestita Ecclesia, ad innumeram Catholicorum æquè, ac Sectariorum affluam Concionem verba faciente P. Joanne Baptista Labbe Societatis JESU ad D. Stephanum Encomiaste. Ne suis Sectariorum ministri partibus deessent, dolore ac furore amentes vicinæ domui ipsam sub Concionem ignem subjecêre, divinâ tamen providentiâ deprehensum, & extinctum; per Imperium dein typis vulgârunt: Patrem dimissa Concione spiritu abreptitio periisse; cujus tamen splendidi mendacii subinde Authores ipsos puduit. Pulsi itaque Hernalsio ministelli Inzerstorffium, Vicum ad Montis Viennensis radices situm, sese contulêre, in quo â Cæsare tolerati, quòd juxta concessionem Maximiliani, Matthiæque Cæsarum liberum exercitium sua in arce Baro Teüffl, cui suberat, prætenderet; dum anno insequenti, & illo ex loco, ac Austria Universa exulare coacti sunt. Viennensibus etiam Acatholicis civibus iterum, â Senatu ex authoritate Cæsaris mandatum, *cedere, aut Catholicè credere*: quod tamen subinde mandatum mitigatum, permisso Protestantibus conversionis spatio, ea lege; ut interea conciones, instructionésque Catholicorum adirent. Severiùs in Superiori Austria, quæ etiamnum pignoris loco sub Bavariæ Duce erat, reformatio â Cæsare imperata: ut nempe Acatholici aut ad veterem Catholicam Religionem redirent, aut solum verterent; nominatis eam ad Reformationem Commissariis Abbate Cremifanensi Antonio; Abbate Gottwicensi Georgio Falbio J. U. Doctore; Barone Georgio Teüffl; Henrico de Salleburg; Ruperto Joanne Hegenmüller; Christiano Schäffler Universitatis Superintendente; Martino Haffnero, J. U. Doctore, ac anni hujus Rectore Ma-

L 2 gnifi-

gnifico; qua ex reformatione anno ſequenti decantatum illud Ruſticorum Superioris Auſtriæ bellum eſt enaſciturum.

Sub hæc, poſteaquam ſacri domicilii formam nonnihil jam reparatæ ædes veteres Academicæ referrent, in illas demum anno hoc Menſe Martio Religioſa Societatis JESU Familia ſub primo novi Collegii Rectore P. Marco Noëllio (nam P. Guilielmus Lamormaini circa finem ſuperioris anni in locum defuncti P. Martini Becani ad regendam conſcientiam ab Auguſtiſſimo Cæſare aſſumptus erat, ſervatâ tamen novi ædificii & executionis Statutorum in Sanctione Pragmatica curâ) ex integro commigravit, veteri ad Forum Aulicum Collegio, quod ex Monaſterio Carmelitarum advocatæ â Ferdinando I. Viennam Societati traditum eſſe ad Hiſtoriæ noſtræ Annum 1554. docuimus, in Domum Profeſſam â Ferdinando Cæſare II. commutato. Habet namque Societas JESU, ut hic iſtud vel obiter pro ejusdem Religionis Inſtituti plerúmque ignaris adnotemus, duplicis generis domicilia: Collegia nempe, & Domus Profeſſorum; Illa reditus, fundationésque ſtabiles admittunt, iíſque Religioſas incolas alunt; eò quòd literariis laboribus, qui penuriæ ſollicitudine, & mendicationis aſſiduitate facilè præpediuntur, in commune Reipublicæ bonum, juventuti proſpiciant, aut in iisdem ad ſcientias tradendas priùs excolantur; Hæ reditibus, bonísque ſtabilibus non modò carent, ſed nec admittere quidem eadem fas eſt, mendicatu præcisè, qui easdem incolunt, victitantes: ut vel Domorum Profeſſorum nomine Societatis JESU Religio mendicantium quoque titulo re, & privilegiis ex inſtituto ſuo, & Pontificum confirmatione gaudeat; quamvis ob Religioſorum aliorum Mendicantium numerum, & plerumque literarum tradendarum ex fine expetentium Societatis homines, major longè Collegiorum, quàm Domuum Profeſſorum ſit numerus. Prima ſanè prædicta Domus

Profeſſa

Professa Viennensis tota in Germania fuit; & meritò Cæsarea dicta, eò, quòd translatis inde Collegii fundationibus ad novum Collegiale Domicilium, voluntate Cæsaris Ferdinandi II. in Domum Professam sit constituta. Primus eidem Generalis Societatis JESU authoritate datus est Præpositus (ita Superiores Domum Professorum ex Instituto Societatis appellàntur) R. P. Raphael Cobenzl, è gubernio Collegii Græcensis Academici Viennam advocatus, Vir & omnigena dexteritate, virtute, scientiis, pervetusta nobilitate clarus. Hic ùt 12. Martii, die D. Gregorio Summo Ecclesiæ Pontifici, ac Doctori; & triennio abhinc Societatis Patriarchis Sanctos inter relatis sacro, Præpositus renunciatus est, mox â prandiis, sumpto secum socio P. Alphonso Seidetti Theologiæ antehac in Universitate Doctore, uterque sacco albo super humeros indutus, de domo in domum Urbem Viennensem eleemosynas, ad sustentandum quinque & quadraginta personarum Deo dicatum cœtum, emendicans obibat; quem in singulos dies ex ordine Patres, primùm Aulici, dein reliqui in idem Domesticæ charitatis Officium sunt consecuti, nusquam non munificentiam Viennensium experti; â Magistratu præsertim Civico, cujus insigni in Societatem benevolentiâ 600. floreni, annuæ eleemosynæ nomine, sunt constituti.

Excitata Superiori anno de Vice-Cancellario controversia, etiamnum præsenti Universitatem fatigavit. Ubi enim Klesfelius Universitatis Cancellarius turbas illas per Officialem suum esset edoctus, Româ 18. Januarii ad Universitatem rescripsit: *se non sine mœrore animi motus illos percepisse; posse se constituere Vice-Cancellarium generalem, cùm ipse sit Cancellarius Generalis; potestati huic sua privilegium â Maximiliano I. olim emanatum non derogare, ea ex causa: quòd Præpositus, Cancellariùsque Universitatis Viennensis immediatè sit Sedi Apostolicæ subjectus; quemadmodum nec facienda fidei professioni juxta Decretum Concilii*

Tridentini, Privilegium Maximiliani II. derogare potuerat: differre tamen se compositionem ejus controversiæ ad reditum suum; interea ut Universitati esset consultum, se Vice Cancellarium denominare Reverendissimum Tobiam Schwab, Officialem, ac Vicarium suum, ea tamen conditione; ut si examinibus, promotionibúsque omnium Facultatum ipse adesse non posset, Cancellarii nomine alium ea ex Facultate substituat: idque ea de causa se facere; ne si quavis ex Facultate Vice-Cancellarium denominaret, eo vel valetudine, vel alia ratione impedito, promotiones forent differendæ: velle se præterea, ne privatim Licentia ad gradus conferatur; Bona item Nova, Præsentationes, Examináque in Residentia Præpositura fierent; de Professione denique fidei se id statuere, ut si Vice-Cancellarius, aut morbo, aut absentiâ ex urbe propediretur, is aliam gradu litterario insignem, requisitísque dotibus ornatam Ecclesiasticam personam substituat. Quarum literarum forma Universitatis Actorum libro ad Annum 1625. ex integro est inserta.

Tametsi ea Epistola rursus parùm grata Universitati accidisset, quòd in ea & Generalis Pro-Cancellarius nominaretur, & is ipse Dominus Schwab Officialis, qui licèt alibi Juris utriusque Doctor creatus esset, nullam tamen Universitatis Viennensis Facultatem esset ingressus, substitueretur; visum tamen ob merita, dignitatémque Eminentissimi Cardinalis aquiescendum hac vice, causæ totius decisione in ejus adventum dilatâ; quod & humanissimis literis, 25. Junii ab Universitate datis, Cardinali significatum. Reddidit ille 26. Julii responsorias, quæ prolixo sanè stylo iisdem in Actis habentur; earum summa ferè isthæc: *Universitatem haud singulare sibi præstitisse obsequium in acceptando Vice-Cancellario, à se nominato, quando ea constitutio ex jure sibi conveniret; cùm Officium Cancellariatûs, cæteráque ei officio annexa immediatè Sedi Apostolicæ subjacerent. Ad hac se ipsum Cancellariatûs officium*

per

per 16. omnino annos administrâsse, uti & Antecessorem suum Michaëlem Eccium, tametsi nulli adhuc Universitatis Facultati essent adscripti; inhærere se igitur factæ jam aliàs declarationi suæ. Imò ut res, causámque suam stabiliret Eminentissimus, ab Urbano VIII. Pontifice mense Septembri impetravit, transmisítque Viennam Officiali, & Vice-Cancellario prælaudato Bullam sequentis tenoris:

Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

„ IN Sede Principis Apostolorum, nullis licèt suffra-
„ gantibus nostris meritis, à Domino constituti, &
„ injuncto nobis munere literarum studia ubique cum
„ Divini cultûs incremento vigere cupientes, ad ea,
„ per quæ studiorum hujusmodi Universitates salubri-
„ ter dirigi, ac felicioribus indies proficere valeant in-
„ crementis, libenter intendimus, ac desuper ejusdem
„ muneris partes propensis Studiis impendimus, prout
„ locorum, & personarum qualitatibus debitè pensatis,
„ conspicimus in Domino salubriter expedire. Hinc
„ est, quòd nos prospero, felicíque studii generalis Uni-
„ versitatis Viennensis regimini, & directioni, quan-
„ tùm cum Domino possumus, consulere volentes,
„ supplicationibus quoque dilecti Filii nostri, Mel-
„ chioris, tituli S. Mariæ de Pace, Presbyteri Cardinalis,
„ Kleselii nuncupati, qui Præposituram Ecclesiæ
„ Viennensis in Commendam ad sui vitam ex con-
„ cessione, & dispensatione Apostolica obtinet, nobis
„ super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Mel-
„ chiori Cardinali, ac Præposito, & pro tempore exi-
„ stenti ejusdem Universitatis Cancellario, quod qui-
„ dem officium eidem Præposituræ unitum reperitur,
„ ut quoties in ipsa Universitate ipse Melchior Cardi-
„ nalis, & Præpositus, præsens esse non potuerit, Vice-
„ Cancellarium sibi substituere, liberè, & licitè possit,

 „ &

„ & valeat, Apoſtolica authoritate tenore præſen-
„ tium concedimus, & indulgemus. Præterea ſta-
„ tuimus, & ordinamus, ut omnes, & ſinguli, qui
„ gradus in quacunque Facultate ſuſcipere voluerint,
„ ac etiam ii, qui per repetitionem in Facultates ad-
„ mittentur, Profeſſionem fidei coram dictæ Univer-
„ ſitatis Cancellario, vel Vice-Cancellario hujusmodi
„ emittere omnino teneantur. Omnia autem exa-
„ mina, tentamina, & alii actus ad gradus in quacun-
„ que Facultate ſuſcipiendos haberi ſoliti, in ædibus
„ ordinariæ Reſidentiæ ipſius Cancellarii habeantur,
„ nullúsque ad Doctoratûs, Licentiaturæ, vel Magi-
„ ſterii Gradus admittatur, niſi priùs publicè à Can-
„ cellario, vel Vice-Cancellario hujusmodi licentiam
„ in Cathedrali Eccleſia Viennenſi obtinuerit, ac ipſius
„ graduandi Theſes, ſeu ſchedæ, publicè, ùt moris
„ eſt, Cancellarii nomine, juxta antiquam laudabilem
„ illius Univerſitatis Conſuetudinem, fuerint impreſſæ.
„ Mandantes præterea omnibus, & ſingulis dictæ
„ Univerſitatis miniſtris, ac perſonis, cæteríſque,
„ ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpe-
„ ctabit, ſub excommunicationis, & nullitatis actuum,
„ & promotionum pœnis, quatenus præſentes lite-
„ ras, omniáque & ſingula in eis ſtatuta, & ordinata
„ quæcunque obſervent, ac ab omnibus, quos illa
„ concernunt quomodolibet, in futurum firmiter &
„ inviolabiliter perpetuò obſervari curent, ac faciant.
„ Et nihilominus irritum decernimus, & inane, quid-
„ quid ſecùs ſuper his à quocunque quâvis authoritate
„ ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; non ob-
„ ſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apo-
„ ſtolicis, privilegiis quoque, indultis, & literis
„ Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodo-
„ libet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus
„ omnibus, & ſingulis eorum omnium, tenore præ-
„ ſentium pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes,
„ illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dunta-

„ xat

„ xat, ſpecialiter derogamus, cæteriſque contrariis
„ quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Ma-
„ jorem ſub annulo Piſcatoris die XXII. Septembris
„ M.DC.XXV. Pontificatûs Noſtri Anno tertio.

V. Theatin m. p.

Hæc ubi de Vice-Cancellario Univerſitatis; ſis alia anno hoc Facultatem Theologicam, de Primarii Theologiæ Profeſſoris titulo, Scripturæque ſacræ veteris Teſtamenti lectione, occupavit. Vacabat ex diſceſſu ſuperiori anno Patris Gabrielis Vega ſacræ Scripturæ Profeſſoris lectio eadem primaria, pro qua P. Chriſtophorus Mayr è Societate Jesu: P. Joannes Valdeſpino ex Ordine Prædicatorum; è Minoritis P. Philippus Salerni, omnes Facultatis Theologicæ Doctores, Univerſitatis Conſiſtorio ſupplicârunt. Collata illa eſt, 5. Septembris præterlapſi anni, P. Chriſtophoro Mayr Conſiſtorialium ſuffragiis; at mox 12. ejusdem menſis operâ Rectoris tum Magnifici Adami Olitorii Philoſophiæ, & Medicinæ Doctoris eſt irritata, novíſque collectis ſuffragiis lectio Scripturæ Primaria P. Philippo Salerni; P. Joanni Valdeſpino lectio Theologiæ moralis deſignata eſt, dato ad Patrem Chriſtophorum Mayr reſponſo: *ſalvâ Sanctione Pragmaticâ ei profeſſuram Scripturæ veteris teſtamenti conferri non poſſe: concedi tamen ipſi velut emerito 32. annorum Theologiæ Doctori titulum Superordinarii Profeſſoris.* Poſteriori huic Primariæ lectionis collationi, apud Rectorem Magnificum, Collegii Societatis Jesu Rector ſolenniter interceſſit. Nec minùs præfatus P. Salerni Cæſari ſupplicavit; ne eam Univerſitatis declarationem, ab Excelſo etiam confirmatam Regimine, pateretur irritari: primo enim illo 5. Decembris habito conventu nihil ſtatutum, ajebat, nec niſi unum ſuffragium abſolutum tuliſſe P. Chriſtophorum; reliquos tres ea ſolùm conditione pronuntiâſſe: ſi ex Sanctionis pragmaticæ verbis Societas jus eam in Profeſſuram haberet: Quin imò

„ Idiomatis Germanici sit inscius, aut plures men-
„ ses ab urbe abesse debeat, locum ejus suppleat, qui
„ in antiquitate erit proximus. Quæ omnia Majestas
„ sua eidem Domino Rectori, Superintendenti, &
„ Consistorio, gratiosè intimanda voluit, quibus de
„ reliquo gratiâ suâ Cæsareâ, & Archiducali benignita-
„ te propensa manet. Signatum Sopronii sub Maje-
„ statis suæ Sigillo Cæsareo, die 28 Mensis Novem-
„ bris, Anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesi-
„ mo quinto.

Tobias Gärttinger.

Eas juxta literas, cùm tum Senissimus Doctorum in Facultate Theologica esset P. Raphael Gobenzl, SS. Theologiæ Doctor, Cæsareæ Domûs Professæ S. J. Præpositus (Pater enim Christophorus Mayr valetudinis, & provectæ ætatis causâ in eandem Domum Professam translatus rebus literariis sese abdicabat) in annum sequentem Senior Consistorialis renunciatus est, qui quòd ob negotia, & fractam valetudinem â Senioratûs Officio sese excusâsset, idémque P. Lamormainius, Cæsari â Confessionibus, deprecaretur, P. Matthias Bastiantschitz Senii ordine Senior declaratus est.

Uterque demum anni hujus Archigymnasii Rector Magnificus fertilem controversiarum præbuit materiam; dum unius electio, alterius verò substitutio motus apud Academicos excitavit. Ubi enim 28. Aprilis literariis fascibus, sese Excellens D. Adamus Olidorius, Medicinæ Doctor, abdicâsset, unanimi Procuratorum suffragio è Facultate Artistica Rector Magnificus renunciatus est, Georgius Siess, Canonicus ad D. Stephanum. Electioni illi reclamavit Facultas Artistica ea de causa, quòd neo electus de Facultate ampliùs non censeretur, ut qui biennio abhinc Facultati renunciâsset. Superintendentis tamen Cæsarei industriâ effectum, ut posteaquam Magister Siess litteras suas, quibus se à Facultate exemerat, revocâsset, amicúmque sese Facul-

tati

tati suæ futurum adpromisisset, â Facultate quoque Artistica demum mense Majo Supremum legitimúmque Universitatis caput agnosceretur. Substitutionis controversia inde enata, quod electus in Octobri in Rectorem Magnificum Paulus Pörsius SS. Theologiæ Doctor, Wratislaviæ, & Olomucensis Ecclesiæ Canonicus, Decanus in Mistelbach, post haud paucos ab electione dies necessariam suam in Parochia præsentiam causaretur, rogarétque Consistoriales, liceret sibi, dum abesse se contingeret, in Pro-Rectorem Decanum Juris substituere; quòd scilicet idem observatum fuisse An. 1602. cùm Joannes Pollinger, è Facultate Theologica tum Rector, ad Eggenburgensem Paræciam avocaretur, Acta Universitatis edocerent. Intercessit ei substitutionis consilio Facultas Theologica, cujus juribus præjudicabat, dum ex Academicis Statutis ex ea Facultate Pro-Rector, ex qua Rector nominatus est, sit sublegendus; nec officere exemplum Pollingeri; id enim *ob penuriam Theologiæ tum Doctorum* evenisse, eadem Acta signanter annotârunt. Agnovit justam Facultatis causam Consistorium, novóque Decreto confirmatum est, ut è Facultate ex Theologica in absentia Rectoris ejus vices subeat Decanus, si is non fuerit ex Ordine Mendicantium; eo enim in casu alius Theologiæ Doctor ad id munus idoneus deligatur.

Sublato per Unionem Ducali veteri Universitatis Collegio, Collegiatísque, quid de *Priore*, Prioratúsque Officio statuendum, in deliberationem mense Aprili venerat: nominati eam in rem singulis è Facultatibus Commissarii, qui cum Cæsareo Superintendente, quod optimum videretur, dispicerent: illi rationibus modestè invicem collatis mense Majo sequentes Articulos Universitatis Consistorio obtulêre: *Primò*; ne Prior posthac is, penes quem ærarii rationes essent, sed Quæstor Universitatis appelletur, nováque Sigillo verba: *Sigillum Quæstoratûs Universitatis Viennensis*: incidantur. *Secundò*, electionem Quæstoris, confirmatio-

tionem

tionémque videri faciendam in primo cujusvis novi Rectoris Magnifici Consistorio, eligique posse ad id officium Doctorem cujusvis Facultatis. *Tertiò*, an Quæstori locus in Consistorio Academico concedendus? id ex sententia Universitatis pendere. *Quartò*, Stipendium flor. 50 pro Quæstoris laboribus videri suffectorum, adjunctis 20. aliis pro eo, qui ei in officio esset adjutor. *Quintò*, eidem, præter Cæsareum Superintendentem, singularum Facultatum Seniores in Consiliarios adjungerentur. Probavit ferè omnes eos Articulos Universitatis Consilium, statutúmque, ne Quæstori locus in Consiliis Academicis foret. Juramenti inde ab eodem præstandi formula confecta. Primus itaque Quæstor ex Suffragiis Consistorialium delectus est Magister Joannes Carolus Aichpichl è Facultate Philosophica, à cujus membris ferè in hodiernam usque diem officium illud Quæstoratûs administratum, quod Quæstor Priori, qui è Facultate potissimùm Artium erat, successisset.

An. 1626.

Calamitosa undique anno hoc rursum Austriæ facies; Nam totis copiis in Inferiorem Saxoniam demum erupit Daniæ Rex Christianus, Protestantium pro Palatino exule Fœderatorum Dux; Mansfeldius, restituto exercitu, Marchiam Brandeburgicam, Silesiámque infestis signis oberrabat; Halberstadiensis Cæsareas adversùm Legiones Guelpherbitum defendebat; Bethlenius homo versipellis, & nunquam sibi constans, procuratis per Legatos Protestantium Imperii auxiliis, novos in Hungaria motus ciebat; Superioris Austriæ Acatholici Ruricolæ, Bavari Dominatum, severitatémque Reformationis causati, palàm tumultuabantur, ac in 70000. collecti, civili bello Patriam defœdabant. At feliciùs, quàm spes erat, justa Cæsaris causa undique triumphabat. Danus à Tillio non semel malè multatus, demum cum eodem 27. Augusti ad Lute-

ram

ram, Brunsvici Oppidum, congressus, armis, milite, cæteróque belli apparatu ab eodem spoliatus, victoriam Cæsari accersivit, ipso Pontifice per litteras triumphum Tillio gratulante. Nec melior Mansfeldii fortuna, quem 25. Aprilis 20000. exercitum ducentem, ad Pontem Dessoviensem Fridlandiæ Dux Wallensteinius insigni clade prostravit, cæsis ad internecionem copiis pedestribus, equitatu cum ipso Mansfeldio fugâ dilapso. Reparato subinde milite, postquam Silesiam, vicináque Regiones vastâsset, in Hungariam penetravit, ubi relictis Bethlenio, qui interim cum Imperatore denuo concordaverat, copiarum suarum reliquiis, iter cum paucis ad Venetos suscipiens, in Bosnia anno hoc eodem furorem cum vita posuit. Quo item anno bellorum per Germaniam Socius Christianus Halberstadiensis Guelpherbyti, quam post fratris Brunsvicensis Ducis ad Cæsareas partes transitum, pro Rege Daniæ tuebatur, infelici morte animam efflavit. Bethlenius, ùt post Mansfeldii Dessoviensem cladem exercitum suum à Wallensteinio undique conclusum cernit, postulatis unius noctis induciis, sub ipsas tenebras Cæsareum militem subterfugit, pacísque conditiones renovavit.

Obstinatiùs bellum Rusticanum trahebatur: ubi enim mitiori via reducendos ad obsequia Cæsar Rusticos credidisset, illi Cæsareos Commissarios, quos inter Campililiorum Abbas Ignatius, ac Universitatis nostræ eo tempore Rector Magnificus Martinus Haffner J. U. Doctor, Excelsíque Regiminis Consiliarius, custodiâ attinere; inde bipennibus, frameis, sclopísque manualibus, plerique autem stipitibus stellatis, sudibúsque perustis armati, constituto sibi in belli ducem Stephano Fatingero, Artis Pileariæ Magistro, undique in sacrarum ædium, arcium, oppidorúmque prædas, depopulationésque conversi, Comitem Herberstorffium supremum superioris Austriæ Præfectum, copiarum adversùm se missarum Ducem, insigni clade affecêre;

sumptis

ſumptis ab ea victoria animis, Welſium, Stiram, Eberſpergam ſubegêre; tandem Lincio arcta obſidione cincto. Amiſſo ea in obſidione Duce Fatingero, Achatius Willingerus Sutor ſubſtitutus, cujus ductu propè res ad ultimum aſſultum ſpectabat. Herberſtorffius Stratagemate uſurus, dum præſidiarios mœnibus recedere jubet, daréque obſidentibus in Urbem per muros aditum; ingreſſis jam ſexcentis ruſticis, tormentis in eos, qui etiamnum extra muros erant, detonat; hi, qui in urbem recepti, à præſidiariis è latibulis erumpentibus pars cæſa, pars auribus, naribúsque truncati; ſecuta inde obſidentium fuga; plures ſexcentis capti, quibus non modò vita conceſſa eſt, ſed & liberaliter habiti, ad ſuos ſunt remiſſi. Rediêre tamen haud multò pòſt 40000. quodam literarum olim Studioſo, Duce, qui licèt gemina clade à Cæſareo Duce Löbelio eſſent affecti, Lincium tamen terrore, vicináſque Regiones vaſtitate replebant. Ut igitur periculoſo bello finis daretur, in Auſtriam cum Bavaricis copiis vocatus Bellidux veteranus, & multis victoriis inclytus, tunc ex Italico bello redux, Pappenhemius Comes, qui exiugua 8000. manu ſub finem Octobris in Auſtriam progreſſus ſeditioſos tribus præliis proſtravit, uno maximè inſigni, 24. Novembris ad S. Annæ montem, in quo ſupra ter mille ruſticorum occubuêre; cæteri, clementiâ Cæſaris imploratâ, abjectis ſudibus ſtellatis, rura ſua repetiêre.

Tantis eluctatus Victor periculis religioſiſſimus Cæſar, ut, quæ ſub dubio belli eventu conceperat, piis ſe ſe exſolveret votis, Domûs religioſæ Societatis Jesu ad D. Annæ fundationem confecit, additis peramplis ad formandos ſecundùm Societatis Inſtitutum Tyrones reditibus; ita ut munificentiâ Clementiſſimi Cæſaris jam tertiam Jesu Societas Viennæ Domum Religioſam numeraret. Eodem anno hoc vocatis ab Auguſta Imperatrice ex Italia Viennam Clericis Regularibus

bus D. Pauli Barnabitas dicimus, Parochialem D. Michaëlis cum Ecclesia ædem perpetuâ lege assignavit.

Oppressâ feliciter Rusticorum seditione, non modò eandem Superiori in Austria majoribus reformationem animis resumpsit Cæsar, sed in Inferiore nuper acriter cæptam, continuavit. Ipsi quoque expurgandæ Universitati cura maxima adhibita: datum eam ob causam, & anni hujus principio, ac iterum mense Decembri à Cæsare Decretum, quo Universitatem è solis Catholicis membris conflari sanciebat, solùm vertere iis jussis, qui ad ritus Romanos accedere pervicaciter recusarent. Universitatis in Tabulis sequentem Acatholicorum eidem sub ea adhuc tempora adscriptorum catalogum reperi: Joannes Wimpassinger; Petrus Hueber; Kazpellis; Reinhardt; Höffleiner; Zalnpaumb; Scherhäckl; Valentinus Räner; Vilhelmus Raiger; Joannes Linck; Christophorus Haffner; Marcus Schnevogl; Andreas Polner; Esaias Mayr; Georgius Wärzl; Melchior Sigl; Joannes Erhardus Sigler; Joannes Diebold; Joannes Muschler; Andreas Conrad; Matthias Friderich; Wolffgangus Kieffl; Joannes Zobl; Joannes Josephus Zimerman; Joachimus Hochman; Abrahamus Suttinger; Matthias Pauer; Magister Klueg; quorum pars nonnulla Juris consulti, & Pragmatici; cæteri plerique Medicinæ Doctores: quibus accessêre Vidua Walteri Medicinæ Doctoris; Pierdimpflin, & Weissin.

Atque, ut non tam cogi viderentur, quàm volentes ad Orthodoxam fidem traduci; totus hic Acatholicorum manipulus in tres divisus partes scribitur, quorum singulis sui ab Universitate dati sunt Commissarii, quibuscum de Religionis controversiis tractarent. Primis quidem deputatos invenio Collegii Societatis Jesu Rectorem, P. Pranecker, Religiosæ Prædicatorum Familiæ Priorem, Magnificum Cæsareum Superintendentem, & Excellentem D. Sigismundum Geisler Medicinæ Doctorem. Aliis P. F. Acursium SS. Theologiæ

Doctorem ex Ordine Minorum Conventualium, P. Danielem Vasharelli è Societate Jesu, & Doctorem Gallner. Postremis P. Alphonsum Seidetti è Societate Jesu, P. Eusebium Paganum è Societate Jesu; Magnificum Dominum Joannem Landaw J. U. Doctorem, & M. Linderberger Philosophiæ Doctorem. Permissum quoque, si cui videretur, quocunque cum Religioso conversationis suæ negotium pertractaret; interea tamen conciones, instructionésque excepturi Ecclesias adirent. Lentiùs istud reformationis negotium succedebat quidem, anno tamen insequenti effectum, ut è recensitis plerique ad Catholicorum castra transirent, undecim solùm, nempe Andrea Dalner, Joanne Linck, Juris Doctoribus; Joanne Scherbäckl, Reinhadl, Suttinger, Zimerman, Pauer, Zabl, Kiessl, Medicis; & Domina Pierdimpflin pervicacibus; qui juribus, Privilegiísque Academicis exclusi, inde ab Excelso Regimine Cæsareis terris jussi sunt exesse.

Dederat is Acatholicorum Juris, Medicinæque Doctorum numerus Universitatis Consistorio occasionem, ut sub pio reformationis negotio Decretum renovari à Cæsare impetraret, vi cujus nulli posthac Juris, Medicinæque, ùt vocant, Praxim Viennensi in Urbe exercere liceat, qui earundem Facultatum gremio adscriptus non esset: ea enim vel maximè de causa heterodoxorum in Universitate sub hæc tempora numerus accreverat, quod praxeos Privilegium à Mareschalico Aulæ tribunali impetrarent, tametsi Academica Statuta non sequerentur. Insertum est Decretum istud codici Austriaco: atque subinde sæpius ab Imperatoribus renovatum.

Dum hæc pro Universitatis incremento agerentur, enata ob prætensam in Disputationibus, quas Prædicatores, Minoritæque suis in Ecclesiis instituebant, præcedentiam simultas Universitatem cum Nuncio Apostolico commisit. Sanciverant prælaudati viri Religiosi initis pactis, primas semper argumentandi pro-

vin-

vincias sibi invicem deferre, postremas verò iis, qui ex Universitate invitarentur. Ut rem iniquam Facultas Theologica declinaret, edicto publico ab Universitatis Consistorio approbato 17. Septembris vetuit: ne ullus è Facultate Disputationibus extra Academiam habendis interesset, nisi Academico Doctori prior aliis, qui de Facultate non essent, disputandi locus concederetur: cui illam addidit Universitatis Consistorium clausulam: *Censere se, quod certas ob causas expediret literaria ejusmodi exercitia extra Ecclesias à Religiosis institui debere.* Id Universitatis Statutum vix ad dictorum Patrum aures pervenerat, rem omnem ad Nuncium Apostolicum detulêre; fuit hic eo tempore Carolus Caraffa ex Principibus Rouelle, Episcopus Aversanus, Urbani VIII. Prælatus Domesticus, & per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Austriam, Styriam, Carinthiam, Croatiam, universíque Imperii districtum Sedis Aposiolicæ cum facultate Legatus de Latere, Vir undequaque Spectatissimus, & vel maximè à laboribus pro Religione, Commentariísque Historicis *Germania sacra restaurata*, quæ Legationis suæ tempore ad annum usque 1641. conscripserat celebratissimus. Is etsi ab Universitate minimè alienus, justásque agnoscens Academicorum querelas, ne tamen Ecclesiæ libertatis, & Privilegiorum minùs Studiosus videretur, aut ullam in exemptos Religiosos Universitatis jurisdictionem admitteret; datis ad Universitatem 20. Octobris literis monet; abstineret posthac similibus contra viros Religiosos, & loca Academicis Statutis exempta. Quin ipsos etiam Regularium Viennensium Superiores aliis ad eos datis urget; ne quem suorum sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ nupero Universitatis obsequi Statuto paterentur. Effectum tamen per R. P. Lamormainium S. J. Theologiæ Doctorem, & Cæsari à conscientiæ rationibus, ut è Facultate Theologica duo deputati admitte-

 mitte-

hæc ipsa ab iis, qui id suffragii dixerant, sub Consistorii finem esse revocata: non adfuisse præterea illi electioni Superintendentem Cæsareum, ad quem tamen, cui lectiones conferendæ, plurimùm pertineat invigilare. Ad eandem igitur Cæsaream Majestatem cum sibi recurrendum videret S. J. Collegii Rector, libellum supplicem Cæsari offert, quo se literis ad Magnificum Rectorem datis secundæ electioni Primarii Professoris elapso Decembri factæ reclamâsse, illámque ideo ab eodem Magnifico, quòd Societas professurâ eâ ex Sanctione pragmatica prohiberi crederetur, fuisse institutam, edocebat; rogare igitur se, clementissimè à Cæsarea Majestate declarari: an Societas per Sanctionem illam â jure petendi, obtinendíque Primariam lectionem excludatur. Utroque hoc accepto libello Cæsar per Aulæ Cancellarium Rectori Magnifico significari jubet; quòd Societas tum in hoc puncto, tum in aliis se ab Universitate læsam queratur: mandare se nunc quidem, ut PP. Philippus Salerni, & Joannes Valdespino recèns impetratis lectionibus abstineant, dum certiora resolverentur. Sed cùm Controversiæ finis ea Cæsaris voluntate nondum esset impositus, demum mense Novembri ab eodem, dum Sopronii ageret, sequens eam super litem impetrata est resolutio.

N. Domino Rectori, Superintendenti Cæsareo, & Consistorio Universitatis Viennensis exhibendum.

Sacratissima Cæsarea, & Hungariæ, Bohemiæque Regia Majestas, &c. FERDINANDUS II. Archidux Austriæ, &c.

„ DOminus Noster Clementissimus N. Domino
„ Rectori, Superintendenti Cæsareo, & Consi-
„ storio Universitatis Viennensis hisce benignè signi-
„ ficandum mandavit. Intellexisse suam sacratissi-
„ mam

„ mam Cæsaream Majestatem, qualiter in prædicta
„ Universitate, propter lecturas Facultatis Theologi-
„ cæ, in proximè habita Professorum Theologicorum
„ electione, controversiæ quædam exortæ fuerint, ad
„ quas tollendas eadem sacratissima Cæsarea Majestas
„ pro nunc clementissimè se resolvit; ut P. Philippus
„ de Salerno Ordinis Minoritarum sancti Francisci,
„ habeat lecturam sacræ Scripturæ, cum titulo Professo-
„ ris Theologiæ Ordinarii. Pater autem Joannes de
„ Valdespino Ordinis Prædicatorum succedat P. Philip-
„ po in lectura extraordinaria casuum, cum titulo
„ Professoris Theologiæ; quorum primus verè, & ex
„ professo sacræ Scripturæ textum interpretetur; se-
„ cundus verò ex professo formet futuros Parochos, &
„ Operarios Evangelicos in doctrina casuum conscien-
„ tiæ, & administratione Sacramentorum; neuter
„ tamen se extendat, aut digrediatur ad quæstiones,
„ Disputationésve Scholasticæ Theologiæ. Cæterùm
„ ubi Majestas sua Cæsarea de titulo Professoris Primarii
„ justâ trutinâ, maturóque consilio ponderaverit, suo
„ tempore definiet, & per Inferioris Austriæ Regimen,
„ aut alia ratione Domino Rectori, Superintendenti,
„ & Consistorio, similiter etiam Rectori Societatis,
„ totique Universitati Archigymnasii Viennensis de-
„ clarabit, cui potissimùm Primarii Professoris titulum,
„ cui Senioris cognomentum attribui, quidvé in cæ-
„ teris, nuper motis controversiis, observari velit. In-
„ terea autem statuit Sacra Majestas Cæsarea, ut inte-
„ rim nullus Professoris titulum Primarii usurpet; &
„ ut Senior Facultatis Theologicæ in Consistorio è Do-
„ ctoribus Theologiæ ordinariè Viennæ degentibus is
„ sit, qui in Facultate est antiquissimus; si tamen idio-
„ matis Germanici ita sit peritus, ut omnia, quæ af-
„ feruntur, & tractantur in Consistorio, intelligat, &
„ suam dicere possit sententiam. Quod si hic ipse aut
„ in Rectorem Universitatis, vel in Decanum Facul-
„ tatis, seu in Procuratorem Nationis eligatur, sive

„ Idioma-

„ Idiomatis Germanici ſit inſcius, aut plures men-
„ ſes ab urbe abeſſe debeat, locum ejus ſuppleat, qui
„ in antiquitate erit proximus. Quæ omnia Majeſtas
„ ſua eidem Domino Rectori, Superintendenti, &
„ Conſiſtorio, gratiosè intimanda voluit, quibus de
„ reliquo gratiâ ſuâ Cæſareâ, & Archiducali benignita-
„ te propenſa manet. Signatum Sopronii ſub Maje-
„ ſtatis ſuæ Sigillo Cæſareo, die 28 Menſis Novem-
„ bris, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo vigeſi-
„ mo quinto.

Tobias Gärttinger.

Eas juxta literas, cùm tum Seniſſimus Doctorum in Facultate Theologica eſſet P. Raphael Gobenzl, SS. Theologiæ Doctor, Cæſareæ Domûs Profeſſæ S. J. Præpoſitus (Pater enim Chriſtophorus Mayr valetudinis, & provectæ ætatis causâ in eandem Domum Profeſſam translatus rebus literariis ſeſe abdicabat) in annum ſequentem Senior Conſiſtorialis renunciatus eſt, qui quòd ob negotia, & fractam valetudinem â Senioratûs Officio ſeſe excusâſſet, idémque P. Lamormainius, Cæſari â Confeſſionibus, deprecaretur, P. Matthias Baſtiantſchitz Senii ordine Senior declaratus eſt.

Uterque demum anni hujus Archigymnaſii Rector Magnificus fertilem controverſiarum præbuit materiam; dum unius electio, alterius verò ſubſtitutio motus apud Academicos excitavit. Ubi enim 28. Aprilis literariis faſcibus, ſeſe Excellens D. Adamus Olidorius, Medicinæ Doctor, abdicâſſet, unanimi Procuratorum ſuffragio è Facultate Artiſtica Rector Magnificus renunciatus eſt, Georgius Sieſs, Canonicus ad D. Stephanum. Electioni illi reclamavit Facultas Artiſtica ea de cauſa, quòd neo electus de Facultate ampliùs non cenſeretur, ut qui biennio abhinc Facultati renunciâſſet. Superintendentis tamen Cæſarei induſtriâ effectum, ut poſteaquam Magiſter Sieſs litteras ſuas, quibus ſe à Facultate exemerat, revocâſſet, amicúmque ſeſe Facultati

tati suæ futurum adpromisisset, â Facultate quoque Artistica demum mense Majo Supremum legitimúmque Universitatis caput agnosceretur. Substitutionis controversia inde enata, quod electus in Octobri in Rectorem Magnificum Paulus Pörsius SS. Theologiæ Doctor, Wratislaviæ, & Olomucensis Ecclesiæ Canonicus, Decanus in Mistelbach, post haud paucos ab electione dies necessariam suam in Parochia præsentiam causaretur, rogarétque Consistoriales, liceret sibi, dum abesse se contingeret, in Pro-Rectorem Decanum Juris substituere; quod scilicet idem observatum fuisse An. 1602. cùm Joannes Pollinger, è Facultate Theologica tum Rector, ad Eggenburgensem Paræciam avocaretur, Acta Universitatis edocerent. Intercessit ei substitutionis consilio Facultas Theologica, cujus juribus præjudicabat, dum ex Academicis Statutis ex ea Facultate Pro-Rector, ex qua Rector nominatus est, sit sublegendus; nec officere exemplum Pollingeri; id enim *ob penuriam Theologiæ tum Doctorum* evenisse, eadem Acta signanter annotârunt. Agnovit justam Facultatis causam Consistorium, novóque Decreto confirmatum est, ut & Facultate ex Theologica in absentia Rectoris ejus vices subeat Decanus, si is non fuerit ex Ordine Mendicantium; eo enim in casu alius Theologiæ Doctor ad id munus idoneus deligatur.

Sublato per Unionem Ducali veteri Universitatis Collegio, Collegiatísque, quid de *Priore*, Prioratúsque Officio statuendum, in deliberationem mense Aprili venerat: nominati eam in rem singulis è Facultatibus Commissarii, qui cum Cæsareo Superintendente, quod optimum videretur, dispicerent: illi rationibus modestè invicem collatis mense Majo sequentes Articulos Universitatis Consistorio obtulêre: *Primò*; ne Prior posthac is, penes quem ærarii rationes essent, sed Quæstor Universitatis appelletur, nováque Sigillo verba: *Sigillum Quæstoratûs Universitatis Viennensis*: incidantur. *Secundò*, electionem Quæstoris, confirmationém-

tionémque videri faciendam in primo cujusvis novi Rectoris Magnifici Consistorio, eligíque posse ad id officium Doctorem cujusvis Facultatis. *Tertiò*, an Quæstori locus in Consistorio Academico concedendus? id ex sententia Universitatis pendere. *Quartò*, Stipendium flor. 50 pro Quæstoris laboribus videri suffecturum, adjunctis 20. aliis pro eo, qui ei in officio esset adjutor. *Quintò*, eidem, præter Cæsareum Superintendentem, singularum Facultatum Seniores in Consiliarios adjungerentur. Probavit ferè omnes eos Articulos Universitatis Consilium, statutúmque, ne Quæstori locus in Consiliis Academicis foret. Juramenti inde ab eodem præstandi formula confecta. Primus itaque Quæstor ex Suffragiis Consistorialium delectus est Magister Joannes Carolus Aichpichl è Facultate Philosophica, à cujus membris ferè in hodiernam usque diem officium illud Quæstoratûs administratum; quod Quæstor Priori, qui è Facultate potissimùm Artium erat, successisset.

An. 1626.

CAlamitosa undique anno hoc rursum Austriæ facies; Nam totis copiis in Inferiorem Saxoniam demum erupit Daniæ Rex Christianus, Protestantium pro Palatino exule Fœderatorum Dux; Mansfeldius, restituto exercitu, Marchiam Brandeburgicam, Silesiámque infestis signis oberrabat; Halberstadiensis Cæsareas adversùm Legiones Guelpherbitum defendebat; Bethlenius homo versipellis, & nunquam sibi constans, procuratis per Legatos Protestantium Imperii auxiliis, novos in Hungaria motus ciebat; Superioris Austriæ Acatholici Ruricolæ, Bavari Dominatum, severitatémque Reformationis causati, palàm tumultuabantur, ac in 70000. collecti, civili bello Patriam defœdabant. At feliciùs, quàm spes erat, justa Cæsaris causa undique triumphabat. Danus à Tillio non semel malè multatus, demum cum eodem 27. Augusti ad Lute-

ram, Brunsvici Oppidum, congressus, armis, milite, cæteróque belli apparatu ab eodem spoliatus, victoriam Cæsari accersivit, ipso Pontifice per litteras triumphum Tillio gratulante. Nec melior Mansfeldii fortuna, quem 25. Aprilis 20000. exercitum ducentem, ad Pontem Dessoviensem Fridlandiæ Dux Wallensteinius insigni clade prostravit, cæsis ad internecionem copiis pedestribus, equitatu cum ipso Mansfeldio fugâ dilapso. Reparato subinde milite, postquam Silesiam, vicinásque Regiones vastâsset, in Hungariam penetravit, ubi relictis Bethlenio, qui interim cum Imperatore denuo concordaverat, copiarum suarum reliquiis, iter cum paucis ad Venetos suscipiens, in Bosnia anno hoc eodem furorem cum vita posuit. Quo item anno bellorum per Germaniam Socius Christianus Halberstadiensis Guelpherbyti, quam post fratris Brunsvicensis Ducis ad Cæsareas partes transitum, pro Rege Daniæ tuebatur, infelici morte animam efflavit. Bethlenius, ùt post Mansfeldii Dessoviensem cladem exercitum suum à Wallensteinio undique conclusum cernit, postulatis unius noctis induciis, sub ipsas tenebras Cæsareum militem subterfugit, pacísque conditiones renovavit.

Obstinatiùs bellum Rusticanum trahebatur: ubi enim mitiori via reducendos ad obsequia Cæsar Rusticos credidisset, illi Cæsareos Commissarios, quos inter Campililiorum Abbas Ignatius, ac Universitatis nostræ eo tempore Rector Magnificus Martinus Haffner J. U. Doctor, Excelsíque Regiminis Consiliarius, custodiâ attinere; inde bipennibus, frameis, sclopísque manualibus, plerique autem stipitibus stellatis, sudibúsque perustis armati, constituto sibi in belli ducem Stephano Fatingero, Artis Pileariæ Magistro, undique in sacrarum ædium, arcium, oppidorúmque prædas, depopulationésque conversi, Comitem Herberstorffium, supremum superioris Austriæ Præfectum, copiarum adversùm se missarum Ducem, insigni clade affecêre;

sumpti

ſumptis ab ea victoria animis, Welſium, Stiram, Eberſpergam ſubegêre; tandem Lincio arcta obſidione cincto. Amiſſo ea in obſidione Duce Fatingero, Achatius Willingerus Sutor ſubſtitutus, cujus ductu propè res ad ultimum aſſultum ſpectabat. Herberſtorffius Stratagemate uſurus, dum præſidiarios mœnibus recedere jubet, daréque obſidentibus in Urbem per muros aditum; ingreſſis jam ſexcentis ruſticis, tormentis in eos, qui etiamnum extra muros erant, detonat; hi, qui in urbem recepti, à præſidiariis è latibulis erumpentibus pars cæſa, pars auribus, naribúſque truncati; ſecuta inde obſidentium fuga; plures ſexcentis capti, quibus non modò vita conceſſa eſt, ſed & liberaliter habiti, ad ſuos ſunt remiſſi. Rediêre tamen haud multò pòſt 40000. quodam literarum olim Studioſo, Duce, qui licèt gemina clade à Cæſareo Duce Löbelio eſſent affecti, Lincium tamen terrore, vicináſque Regiones vaſtitate replebant. Ut igitur periculoſo bello finis daretur, in Auſtriam cum Bavaricis copiis vocatus Bellidux veteranus, & multis victoriis inclytus, tunc ex Italico bello redux, Pappenhemius Comes, qui exiugua 8000. manu ſub finem Octobris in Auſtriam progreſſus ſeditioſos tribus præliis proſtravit, uno maximè inſigni, 24. Novembris ad S. Annæ montem, in quo ſupra ter mille ruſticorum occubuêre: cæteri, clementiâ Cæſaris imploratâ, abjectis ſudibus ſtellatis, rura ſua repetiêre.

Tantis eluctatus Victor periculis religioſiſſimus Cæſar, ut, quæ ſub dubio belli eventu conceperat, piis ſe ſe exſolveret votis, Domûs religioſæ Societatis Jesu ad D. Annæ fundationem confecit, additis peramplis ad formandos ſecundùm Societatis Inſtitutum Tyrones reditibus; ita ut munificentiâ Clementiſſimi Cæſaris jam tertiam Jesu Societas Viennæ Domum Religioſam numeraret. Eodem anno hoc vocatis ab Auguſta Imperatrice ex Italia Viennam Clericis Regularibus

bus D. Pauli Barnabitas dicimus, Parochialem D. Michaëlis cum Ecclesia ædem perpetuâ lege assignavit.

Oppressâ feliciter Rusticorum seditione, non modò eandem Superiori in Austria majoribus reformationem animis resumpsit Cæsar, sed in Inferiore nuper acriter cæptam, continuavit. Ipsi quoque expurgandæ Universitati cura maxima adhibita: datum eam ob causam, & anni hujus principio, ac iterum mense Decembri à Cæsare Decretum, quo Universitatem è solis Catholicis membris conflari sanciebat, solùm vertere iis jussis, qui ad ritus Romanos accedere pervicaciter recusarent. Universitatis in Tabulis sequentem Acatholicorum eidem sub ea adhuc tempora adscriptorum catalogum reperi: Joannes Wimpassinger; Petrus Hueber; Kazpellis; Reinhardt; Höffleiner; Zalnpaumb; Scherhäckl; Valentinus Räner; Vilhelmus Raiger; Joannes Linck; Christophorus Haffner; Marcus Schnevogl; Andreas Polner; Esaias Mayr; Georgius Wärzl; Melchior Sigl; Joannes Erhardus Sigler; Joannes Diebold; Joannes Muschler; Andreas Conrad; Matthias Friderich; Wolffgangus Kieffl; Joannes Zobl; Joannes Josephus Zimerman; Joachimus Hochman; Abrahamus Suttinger; Matthias Pauer; Magister Klueg; quorum pars nonnulla Juris consulti, & Pragmatici; cæteri plerique Medicinæ Doctores: quibus accessêre Vidua Walteri Medicinæ Doctoris; Pierdimpflin, & Weissin.

Atque, ut non tam cogi viderentur, quàm volentes ad Orthodoxam fidem traduci; totus hic Acatholicorum manipulus in tres divisus partes scribitur, quorum singulis sui ab Universitate dati sunt Commissarii, quibuscum de Religionis controversiis tractarent. Primis quidem deputatos invenio Collegii Societatis Jesu Rectorem, P. Pranecker, Religiosæ Prædicatorum Familiæ Priorem, Magnificum Cæsareum Superintendentem, & Excellentem D. Sigismundum Geisler Medicinæ Doctorem. Aliis P. F. Acursium SS. Theologiæ Doc-

Doctorem ex Ordine Minorum Conventualium, P. Danielem Vasharelli è Societate Jesu, & Doctorem Gallner. Poſtremis P. Alphonſum Seidetti è Societate Jesu, P. Euſebium Paganum è Societate Jesu; Magnificum Dominum Joannem Landaw J. U. Doctorem, & M. Linderberger Philoſophiæ Doctorem. Permiſſum quoque, ſi cui videretur, quocunque cum Religioſo converſationis ſuæ negotium pertractaret; interea tamen conciones, inſtructionéſque excepturi Eccleſias adirent. Lentiùs iſtud reformationis negotium ſuccedebat quidem, anno tamen inſequenti effectum, ut è recenſitis plerique ad Catholicorum caſtra tranſirent, undecim ſolùm, nempe Andrea Dalner, Joanne Linck, Juris Doctoribus; Joanne Scherbäckl, Reinbadl, Suttinger, Zimerman, Pauer, Zabl, Kieſſl, Medicis; & Domina Pierdimpflin pervicacibus; qui juribus, Privilegiíſque Academicis excluſi, inde ab Excelſo Regimine Cæſareis terris juſſi ſunt exeſſe.

Dederat is Acatholicorum Juris, Medicinæque Doctorum numerus Univerſitatis Conſiſtorio occaſionem, ut ſub pio reformationis negotio Decretum renovari à Cæſare impetraret, vi cujus nulli poſthac Juris, Medicinæque, ùt vocant, Praxim Viennenſi in Urbe exercere liceat, qui earundem Facultatum gremio adſcriptus non eſſet: ea enim vel maximè de cauſa heterodoxorum in Univerſitate ſub hæc tempora numerus accreverat, quod praxeos Privilegium à Mareſchalico Aulæ tribunali impetrarent, tametſi Academica Statuta non ſequerentur. Inſertum eſt Decretum iſtud codici Auſtriaco: atque ſubinde ſæpius ab Imperatoribus renovatum.

Dum hæc pro Univerſitatis incremento agerentur, enata ob prætenſam in Diſputationibus, quas Prædicatores, Minoritæque ſuis in Eccleſiis inſtituebant, præcedentiam ſimultas Univerſitatem cum Nuncio Apoſtolico commiſit. Sanciverant prælaudati viri Religioſi initis pactis, primas ſemper argumentandi pro-

vin,

vincias sibi invicem deferre, postremas verò iis, qui ex Universitate invitarentur. Ut rem iniquam Facultas Theologica declinaret, edicto publico ab Universitatis Consistorio approbato 17. Septembris vetuit: ne ullus è Facultate Disputationibus extra Academiam habendis interesset, nisi Academico Doctori prior aliis, qui de Facultate non essent, disputandi locus concederetur: cui illam addidit Universitatis Consistorium clausulam: *Censere se, quod certas ob causas expediret literaria ejusmodi exercitia extra Ecclesias à Religiosis institui debere.* Id Universitatis Statutum vix ad dictorum Patrum aures pervenerat, rem omnem ad Nuncium Apostolicum detulêre; fuit hic eo tempore Carolus Caraffa ex Principibus Rouelle, Episcopus Aversanus, Urbani VIII. Prælatus Domesticus, & per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Austriam, Styriam, Carinthiam, Croatiam, universíque Imperii districtum Sedis Apostolicæ cum facultate Legatus de Latere, Vir undequaque Spectatissimus, & vel maximè à laboribus pro Religione, Commentariísque Historicis *Germania sacra restaurata*, quæ Legationis suæ tempore ad annum usque 1641. conscripserat celebratissimus. Is etsi ab Universitate minimè alienus, justásque agnoscens Academicorum querelas, ne tamen Ecclesiæ libertatis, & Privilegiorum minùs Studiosus videretur, aut ullam in exemptos Religiosos Universitatis jurisdictionem admitteret; datis ad Universitatem 20. Octobris literis monet; abstineret posthac similibus contra viros Religiosos, & loca Academicis Statutis exempta. Quin ipsos etiam Regularium Viennensium Superiores aliis ad eos datis urget; ne quem suorum sub excommunicationis latæ sententiæ pœnâ nupero Universitatis obsequi Statuto paterentur. Effectum tamen per R. P. Lamormainium S. J. Theologiæ Doctorem, & Cæsari à conscientiæ rationibus, ut è Facultate Theologica duo deputati admitte-

mitterentur, rationémque sui statuti redderent, suspenso interim excommunicationis Decreto.

Verùm haud multò post graviùs simultas recruduit, quòd Facultas Theologica ex sententia Consistorii Academici & potestatem typis excudendi Theses, à Minoribus Conventualibus Censuræ submissas, negaret, & Spectabilis Decanus cum Theologiæ Professore ad argumentandum invitati à delato officio sese excusâssent. Ad Nuncii Apostolici rursum illi confugêre authoritatem, cujus re delata, protectionem postulârunt, quam ille magno rigore exhibuit. Societatis igitur primùm Theologiæ Doctoribus, à quibus sibi omnia promittebat, denunciari jubet; omni ratione Thesium imprimendarum facultatem à Rectore Magnifico obtinerent. Dein 7. Decembris pridie Disputationis habendæ, misso ad Societatis Collegium Secretario, Theologiæ Decanum P. Ambrosium Pennalosa, & P. Matthiam Bastianschiz, matutinum ejusdem Professorem die altero Immaculatæ Conceptioni sacro Disputationi in Ecclesia Minoritarum ad S. Crucem jubet adesse; simúlque, ne cui extra Societatem id mandatum manifestarent, nisi absoluta jam Disputatione, prohibet; quod si secùs fecerint, excommunicationis pœnam ipso facto incursuros. Intercessêre nequidquam huic Nuncii mandato, tum R. P. Provincialis, tum Collegii Rectoris, cùm ipsius etiam P. Alphonsi Seidetti, qui Nuncii Theologum agebat, rationes, & preces, quibus ab eo Societati perquam periculoso consilio Nuncium dimoverent: imò novo imperio utriusque præsentiam urgebat, quamvis etiam, id, quod revera evenerat, P. Ambrosius à Ferdinando III. Hungariæ Rege, cui à confessionibus simul erat, & instructionibus, die altero evocaretur. Re itaque, & in Aula, & apud Universitatem occultata, ne Nuncium exulcerarent, stitêre se die, hora, locóque condicto P. Pennalosa, & P. Bastianschitz; quos ubi Nuncius conspexit, obedientiâ delectatus, utrique abeundi po-

di po-

di potestatem fecit; abiit quantocyus P. Bastianschitz, cùm nondum intra Disputationis subsellia stetisset: Pater autem Pennalosa, cùm jam in circo cæteros inter assedisset, nec commodè eluctari posset, exercitio literario interfuit, nullo tamen argumento evocatus.

Res ea ubi demum Universitati innotuit, causam omnem ad Aulam primùm Cæsaream; inde ad Sedem Apostolicam, invocato Eminentissimi Kleselii, qui etiamnum Romæ degebat, auxilio, perscripsit: addidit & suas ad Pontificem Reverendissimus Nuncius, prævaluitque; ut tandem anno insequenti eam causæ sententiam ferret Pontifex per Nuncium Universitati transmissam: *Singulis Religiosis locum suæ professionis, ac Ordinis, extra actus Universitatis, nullo ejusdem habito respectu, servare esset permissum.* Huic sententiæ ubi Universitas acquievit, lis ea multis incommodis suscepta, demum est terminata.

Viennam anno hoc vorax flamma magnam partem, Stubarum Portæ vicinam, est depopulata, orto 21. Aprilis in domo Restiarii propè D. Jacobi Parthenonem incendio, quod ventorum vi ad vicum Scholarium, seu Schullerstrass; in Wolzeyll, & utramque Pistorum plateam, ac inde etiam trans Danubium est propagatum. Præter centum, & septem, ac quadraginta Domus, Juristarum scholæ, & Præpositi ad D. Stephanum Aula maximam partem eo misero busto sunt involutæ.

An. 1627.

Dum totâ ferè inferiori Saxoniâ, atque Holsatiâ Cæsareis, Bavaricisque copiis continuo victoriarum cursu Danus propulsatur, plerique Imperii à Cæsare antehac alieni Ordines ad obsequia revertuntur; Cæsar interea Pragam sub æstatem profectus est, tum ut Conventui Mülhusiano in Thuringia, ad quem Imperii Principes de pace, Religionisque rebus tractaturi condixerant, esset vicinior; cùm ut Imperatrici,

Filióque Ferdinando jam Hungariæ Regi, Bohemiæ Coronam procuraret. Diffluxêre ferè ſperato ſine fructu Mülhuſiana Comitia; at in Bohemia multis pro Religione, commodóque publico conſtitutis, Auguſta Imperatrix in Reginam 18. Novembris, Sereniſſimus Filius 20. ejusdem menſis in Bohemiæ Regem ſolenniſſimo ritu ſunt inaugurati.

In Auſtria interea magnis progreſſibus Catholica Religio undique reſtituta; abeſſe graviſſimæ pœnæ comminatione juſſis Prædicantibus, qui etiamnum in arcibus Acatholicorum latebant; ſtatuto ipſis etiam Auſtriæ Ordinibus termino, quo, niſi ad Orthodoxam Fidem redirent, ſolum verterent. Hac reformationis occaſione egit Reverendiſſimus Marquardus L. B. à Schwendi, Diœceſis Paſſavienſis Adminiſtrator, in Aula Cæſarea, ut Superiori in Auſtria denuo Decretum Concilii Tridentini quoad Matrimonia clandeſtina promulgaretur, ejusdémque obſervatio urgeretur. Remiſſum negotium iſtud ad Facultatem Theologicam, & Juridicam cum mandato; accuratè diſpicerent, an, & qua ratione dicti decreti publicatio ſine præjudicio jam clandeſtinè contractorum, præſertim à Nobilibus, matrimoniorum fieri queat, quidque in futurum obſervandum? Viſum hìc eſt Facultatibus, contracta ſuperioribus annis, quibus Lutheri Dogma totam ferè ſuperiorem Auſtriam invaſerat, clandeſtina conjugia valida habenda; eorum verò, qui id imposterum tentarent, fore nulla: diſpenſandi tamen poteſtatem quoad temporis brevitatem penes Ordinarium loci futuram.

Apud Univerſitatem autem id præclarè pro re Chriſtiana à Cæſare dato 21. Januarii Decreto fuit ordinatum: Medici ægros ſuos graviori morbo decumbentes, ut animæ ſuæ Sacramento Pœnitentiæ, & Sacro Viatico proſpiciant, præprimis admonerent; id ſi periculoſiùs ægroti ultra triduum negligant, omnem eis corporis curam negent. Quod, ut certiùs à Medicis

Cæſar

Cæsar obtineret, eodem Decreto sanxit, ut juxta constitutionem Pii Papæ V. singuli ad Facultatem promoti, & posthac promovendi id se præstituros juramenti fide confirment. Cúmque plurimæ iterum jam à compluribus annis Senatum inter Viennensem, & Universitatem enatæ essent jurisdictionis lites, sub mensem Augusti ab Excelso Regimine jussæ sunt Facultates singulæ querimoniarum capita conscribere, conscriptáque ad Regiminis forum referre: habere enim se à Cæsare in mandatis, ut quæ Universitatis jura, Privilegiáque sint, integra adversùs Senatûs Civici conatus conservaret, & vindicaret.

Stetit hoc anno maximam partem absoluta Academici Societatis JESU Collegii Ecclesia, ex veteribus, *Bursa Agni* & *Pontis* potissimùm, ruderibus magnifico Cæsaris Ferdinandi II. sumptu constructa; útque perpetuum optimi Principis in Societatem affectûs extaret monumentum, eandem Divis Patriarchis Ignatio & Xaverio, ante sexennium inter Sanctos relatis, Sacram, dicatámque esse voluit.

Ab An. 1628. usque ad An. 1630.

Feliciter adeò à Cæsareis anno 1628. cum Daniæ Rege depugnatum est, ut demum anno insequenti jam cladium satur, omnibus suis, quas in Germania habebat, ditionibus exutus, pacem à Cæsare postularet, obtinuerítque haud gravatè Lubecensi in conventu iis conditionibus; Cæsar Regiones suas Dano redderet; Danus fœderi Anglo-Batavico pro Palatini restitutione renunciaret, neutrásque partes sequeretur. In victoriarum præmium Wallensteinio eodem anno 1628. Ducatus Mechlburgicus, quo Ducem, infesta adversùs Cæsarem cum Dano arma gerentem, exuerat, Imperatoris annutu cessit: Bavariæ autem Duci pro oppignorata superiori Austria Palatinatus superior, cum aliis nonnullis proscripti Palatini ditionibus, ac perpetuum Electoratûs jus à Cæsare est stabilitum. Pacem

Pacem Danicam eò promptiùs admisit Cæsar, quòd eodem hoc anno Mantuanum bellum subnatum sit adversús Carolum Nivernensem, qui, defuncto 1627. 26. Decembris supremo Wilhelminæ lineæ Duce Vincentio, Mantuæ Ditionem invaserat. Magnâ quidem id bellum Cæsaris fortunâ gestum esset, nisi fœderati Protestantes respirandi, & novas cudendi machinas, occupato alibi Cæsareo milite, occasionem nacti fuissent.

Amisso fœderis, armorúmque Socio Dano, ab Anglis, Batavísque apud Turcarum Imperatorem, ejúsque fiduciarium Transylvaniæ Principem Bethlenium sedulò adlaboratum, ut ruptis bellorum induciis, infestis armis Hungariam, vicinásque Regiones invaderent, multiplici bello Cæsaris vires distracturi; at pacem Turca bello potiorem habuit, missis utrinque Legatis confirmatam; nec sinè Turca bellare ausus Bethlenius, & ipse pacem coluit, eo quidem constantiorem, quòd anno 1629. mense Novembri homo Calvinista, & turbulentissimi ingenii, ex hydropisi diem supremum obiisset, Turcarum patrocinio ei in successorem dato Georgio Ragozio.

Memorabilis præterea, & lætus Universitati, & Urbi ipsi est annus 1628. reditu Româ Eminentissimi Cardinalis, Viennensis, Neostadiensis Episcopi, & Universitatis Cancellarii, Melchioris Kleselii; postquam decem abhinc annis Ferdinandi, Hungariæ eo tempore, & Bohemiæ Regis, ùt meminimus, jussu, abductus esset. Cujus in Urbem Viennensem ingressum, ut universa Civitas redderet illustriorem, 25. Januarii, conversioni Doctoris gentium sacro, Academici Proceres, cum tota Universitate, Senatu Civico, Clero, Religiosis Ordinum Familiis, effusóque viciniæ populo ad Ecclesiæ D. Stephani Propilœum sese stitêre; exceptúmque ad Cæmeterii limina, multis lætitiæ signis ad templum deduxêre; salutatus fuit Cleri nomine ipsa in Ecclesia sermone polito ab Clarissimo D. Ste-

phano

phano Zwirschlag SS. Theologiæ Doctore, ac ad D. Stephanum Chori Magistro; 5. verò Februarii Rector Magnificus cum Academico ordine admissus, eleganti oratione Eminentissimo Cancellario desideratam ejus ab Universitate præsentiam est gratulatus.

A reditu Cancellarii, mense Martio, primus iterum, post octuaginta ferè annos, Theologiæ Doctor ex Religiosa D. Augustini Eremitarum Familia creatus est, Admodùm Reverendus ac Clarissimus P.F. Carolus Antonius Barberius, studiorum ejusdem Familiæ Regens dignissimus. Promiserat Purpuratus Cancellarius, ut Actum illum redderet illustriorem, seipso Licentiam in D. Stephani æde collaturum; at mutata mente, primùm Tobiam Schwab Officialem suum; sed multis dein intercedentium Academicorum precibus motus, cùm Laudatus Officialis Theologiæ Doctor non esset, R. P. Collegii Rectorem pro eo actu, utì & instanti proximè Philosophiæ Magisterio, Pro-Cancellarium designavit.

Reparato jam ampliorem in formam Academici Collegii templo, stabiles quoque quotdiebus Dominicis Conciones Academicæ sub annum 1628. haberi cœptœ, ad quas non Academica modò Juventus, sed ingens Ecclesiasticæ, profanæque Nobilitatis numerus confluxerat; inter hos, constantes ferè Auditores censebantur Cardinalis Kleselius; Nuncii bini, Palotta & Carolus Caraffa, Ordinarius hic, ille Extraordinarius Sedis Apostolicæ ad Cæsarem Legati; Breünerus Wratislaviensis tum Administrator, Stephanus Semey Episcopus, & Cancellarius Hungariæ; Princeps Guastallæ; Marchio de Moncada Legatus Hispanicus; Comes Slavata Bohemiæ Cancellarius; Comes de Homona; Joannes Baptista Verda de Werdenberg Aulæ Cancellarius; Abbas Cremifanensis Antonius; Mellicensis; Gotwicensis; S. Crucis; Legatus Florentinus; Georgius L. B. Teüffelius; Magnificus Rector Universitatis, aliique & Genere, & Doctrinâ, & Religione præstantes.

Eodem anno illo cum Domus Stubenvolliana Templo vicina, à Societate coëmpta, & in futuros usus reparata esset, Universitati, juxta Sanctionem Pragmaticam, extradita est, confecto desuper ritè instrumento; in eam anno insequenti mense Februario Tabulæ, instrumentáque Academiæ Viennensis translata, & posthac Consilia Universitatis de more haberi cœpta sunt. Erat tum Universitatis Rector Magnificus, Joannes Guilielmus Recherbger; in cujus Electionem dum Festo S. Colomani Anno 1628. Quatuor Nationum Procuratores haud convenissent, duobus alium è Medica Facultate designantibus, *orta quæstio*, ùt Acta Nationis Austriacæ annotârunt, *cujus officium sit, si vota sint paria, concludere? Responsum est per D. Schenge Universitatis Notarium, & Superintendentem Cæsareum Christianum Schäffler: esse videlicet Procuratoris Nationis Austriacæ.*

Ut in novam Universitatis Consistorium commigravit domum, non tam novam sanxit, quàm primævam rursum gerendi Magistratûs Academici rationem Imperator revocavit. Nempe ut posthac annuum iterum esset Rectoris Magnifici officium, utì per primos institutæ Academiæ annos adusque 1386. quo Semestre esse cœperat, fuerat: missum est Mense Aprilis anno 1629. desuper Decretum, quod itidem in Codice Austriaco extat. Eo ex mandato intermissâ novi Rectoris, quæ in proximam SS. Tiburtii, & Valeriani diem instabat, electione, Academici fasces in alterum semestre prorogati sunt Guilielmo Rechberger Philosophiæ, & Medicinæ Doctori, S. Cæs. Majest. Medico Cubiculario, jam quintùm Rectori Magnifico ad festum usque Divi Colomanni, qui dies posthac eligendo novo Rectori est constitutus. Verùm cum iis Cæsareis literis nihil de Decanorum mutatione comprehenderetur, visum Facultatibus singulis, ut porrecto libello supplici Cæsaris mens exquireretur; quam datis 3. Maji Augustissimus explicuit, paríque ratione

Deca-

Decani, Procuratorúmque officium annuum posthac declaravit.

Neque hic Cæsaris in Universitatem stitit, vel gravissimas inter bellorum curas, providentia; ut enim florentibus jam post unionem Artistarum, Theologorúmque Facultatibus, Juridicæ quoque, Medicæque prospiceret, sub Mensem Julium Werdenbergium Aulæ Gancellarium, Georgium L. B. à Teuffl Vice-Locumtenentem, Christianum Schäffler Excelsi Regiminis Cancellarium, & Universitatis Superintendentem Cæsareum, atque Georgium Pacher J. U. Doctorem & Consiliarium, Commissarios nominavit, qui non rationes modò persolvendi Universitati, contracta ab Aulica Camera, jam inde à Ferdinando I. Matthiáque Imperatoribus, nomina dispicerent, sed & viam omnem inirent, Jurisprudentiam, Medicámque artem flori pristino, vigorisque restituendi. Ea de causa Facultatibus singulis imperatum, statuta, privilegia, concessiones, ærariique rationes in promptu haberent, ex quibus Commissarii ad Cæsarem referrent, quæ ad Universitatis stabile incrementum essent factura.

An. 1630.

OPtimas has Ferdinandi curas novus à mari Balthico hostis, Gustavus Adolphus Sueciæ Rex disturbavit, id bellum Imperio invehens, quo nec diuturnius, nec pertinacius, feraliúsve ullum gestum, Germaniâ penè totâ ad tristia busta, cædes, rapinas, excidiúmque sui ingemente. Is igitur occulto jam diu ex fœdere, pro Palatino restituendo cum Anglis, Batavis, Gallísque icto, ac simul Protestantium Imperii Principum, quos Ecclesiasticorum bonorum restitutio, cœpta undique Religionis reformatio, aucta Cæsaris potentia acriùs mordebat, hortatu, & precibus, bellum in Cæsarem, Cæsaríque Fœderatos hoc demum anno Stockholmiæ in Regni Comitiis suscipiendum decrevit. Traductus per Balticum extemplo, tuendæ adversùm Wallenstei-

nium Stralsundiæ specie, quindecim millium exercitus; & ne armorum justitia deesset, suscepti belli Causæ: *quòd Legati sui Conventu pacis Lubecensis essent exclusi; Cæsar Polono subsidia misisset; Stralsundam Wallensteinius tentâsset; infesta arma Fœderatis Imperii Ordinibus intulisset;* aliæque ejusmodi, plures publicis literis divulgatæ sunt.

Præfocaturus adhuc in cineribus has belli flammas Cæsar, ad indicta Septemvirorum, Imperiique Statuum Comitia, Mense Junio cum Augustissima Conjuge, filióque Bohemiæ Rege profectus est; tractatum in iis de reddenda Italiæ, Germaniæque, si qua ratione posset, pace; de componendis Imperii Statuum, Suecique Regis querimoniis; de eligenda in Romanorum Reginam Augusta Conjuge. Et omnino Italicæ pacis conditiones eo in Conventu coaluêre, anno dein sequenti stabilitæ. Ad componendam verò Germaniam, ut pronum sese Cæsar exhiberet, postulantibus id Imperii Principibus, non modò Wallensteinium Supremâ Militiæ Præfecturâ exauthoravit, sed & militem è Superiori Germania retraxit; reliqui Fœderati exercitûs curâ adversùs Suecum, si quid hostile attentaret, Tillio commissâ; ut tamen Ecclesiasticorum bonorum restitutionem revocaret, induci non potuit. Impositâ tandem 2. Octobris Imperatrici Imperii Coronâ Cæsar, Viennam repetiit. At tantùm aberat, ut Suecus Imperatoris excusationibus, Electorúmque monitis acquiesceret, ut potiùs novis prætensis causis sub ipso Comitiorum consessu bellum inchoaret. Captâ itaque Insulâ Rugiâ Pomeraniam, prope totam subdidit, quam Spondavia, Vangana, Usedamus, ac non multò post Wolgastia, Stetinúmque sunt sequutæ, Pappenhemio interea Ducatum Lauenburgicum Suecicis jam partibus obnoxium eripiente.

Ne secuturas Germaniæ clades videret, magno bonorum omnium luctu, vitam Anno hoc clausit Eminentissimus Cardinalis Melchior Kleselius 18. Septembris

bris; postquam variam inter fortunam sibi semper constans, vixisset annos septuaginta septem, & pari animo, Sacramentis omnibus munitus, sub horam nonam noctis mortem Neostadii excepisset: è humili, ùt alibi meminimus, fortuna ad Supremos Ecclesiasticæ dignitatis apices eluctatus. Deductum Eminentissimi funus Neostadio, ad Scotensem Ecclesiam compositum, dum solemni ritu, funebríque pompa in comitatu omnium Ecclesiasticorum Viennæ Ordinum, atque Senatûs, Populíque Academici Ecclesiæ cathedrali D. Stephani 17. Novembris est illatum. Juverit in Lectoris gratiam, quando non exiguo elogio Eminentissimi virtutes commendat, Programma invitatorium ad Academicos, quod sequentis tenoris erat, hìc referre.

Rector Archigymnasii Viennensis.

„ ETsi gentilium aliqui eò dementiæ prolapsi sint,
„ ut Idololatriâ excæcati rebus insensibilibus ve-
„ luti soli, lunæ, & stellis, imò & brutis animalibus,
„ & vilissimis divinos honores attribuerint, & sacri-
„ ficia, Sacerdotes, ac festa eisdem instituerint; nulli
„ tamen unquam populi mortem ùt Deam, vel Nu-
„ men quoddam coluerunt, aut aliqua ei libamina, vel
„ sacrificia obtulerunt. Sciebant enim illi experientiâ
„ edocti, Mortem esse inexorabilem, nec centenis
„ etiam hecatombis, nec mille Sacerdotum hostiis un-
„ quam placari posse; videbant eam in forma anato-
„ micè propositam, auribus, oculis, & manibus trun-
„ catam, falce verò præacuta armatam, ut immitis
„ sine ulla pietate quoscunque aggrediatur, vel sine
„ ulla exceptione trucidet. Hinc â Pericle Athenien-
„ sium Duce Atropos inexorabilis, & â Virgilio inex-
„ orabile fatum appellata est, quæ nimirum cæca,
„ nullis mortalium dignitatibus, vel divitiis moveri;
„ naribus trunca, nullis vel exoticis, vel Sabæis odo-

ramen-

„ ramentis emolliri; ſurda, nullis votis, precibus, la-
„ chrymis, aut lamentis flecti poſſit; ſed truculenta
„ falce ſummos & imos demetat, eodémque pede
„ pulſet pauperum tabernas, Regúmque turres, &
„ alta Principum palatia, conterátque pariter ruben-
„ tes Cardinalium galeros, fortia Regum ſceptra, Pon-
„ tificúmque fulgentes Infulas; ut verè Ovidius de ea
„ dixerit; Scilicet omne ſacrum mors importuna
„ prophanat; omnibus obſcuras injicit illa manus.
„ Hujus ſuæ crudelitatis exemplum mors inexorabilis
„ noſtris oculis ſpectandum, & deplorandum pro-
„ poſuit Eminentiſſimum, ac Reverendiſſimum Princi-
„ pem, ac Dominum, Dominum Melchiorem S. R. E.
„ Tit. S. Maria de Pace Presbyterum Cardinalem Kle-
„ ſelium, Epiſcopum Viennenſem, ac Neoſtadienſem,
„ Cancellarium Univerſitatis noſtræ longè Ampliſſi-
„ mum, qui, licèt â primis annis, & ſtudiis ad extre-
„ mam uſque ætatem, prudentiæ, & eloquentiæ ſuæ
„ ſuavitate innumera hæreticorum monſtra, Orphei
„ more ad ſe traxerit, placaverit, & in mitiſſimas
„ Eccle'ſiæ Catholicæ Eccleſiæ oviculas comutaverit;
„ ac ſummos utriuſque Reipub. Chriſtianæ Principes
„ in ſui amorem deduxerit, ita ut ad ingentia hono-
„ rum, & dignitatum faſtigia fuerit curſu velociſſimo
„ evectus; nullà tamen, vel mellitâ ejus, eloquentiâ
„ Mors ſurda potuit exorari; nullis ſacrificiis, quæ
„ tot annis obtulit, nullíſque precibus placari, nullo
„ dignitatum ſplendore, nullis, vel oſtro tinctis, ful-
„ goribus Mors cæca potuit deterreri, quo minus
„ eundem nuper die 18. Septembris anni currentis no-
„ bis è vivis eriperet, & inter mortuos collocaret.
„ Eheu nimis crudele fatum, quod hoc uno rapto,
„ Archigymnaſio noſtro Cancellarium, Eccleſiæ Vien-
„ nenſi Præſulem, & Paſtorem, Clero Patrem, & An-
„ tiſtitem, Religioni Catholicæ Vindicem, nobis omni-
„ bus, ac toti Auſtriæ incomparabile abſtulit orna-
„ mentum. Unde non immeritò omnium noſtrum

pecto-

„ pectora suspiriis, ora lamentis, & oculi mœstissimis
„ lachrymis fatigandi essent, nisi virtus tanti Princi-
„ pis, nobis, uti Christianis, pretiosam ejus mortem
„ in conspectu Domini fuisse, certò persuaderet. Præ-
„ clara enim hujus Principis pietas, ardentissimus fi-
„ dei Catholicæ propagandæ Zelus, maxima ejus in
„ universam Rempublicam merita, ingentes animi
„ dotes, & virtutes, quas summi Dynastæ, Reges,
„ Cæsares, Pontifices, Congregationes, Conventus,
„ & Comitia admirata sunt; vita ejus, quam conti-
„ nuis laboribus in Vinea Domini excolenda, animá-
„ que sua adornanda, usque ad senectutem, & senium,
„ septuaginta septem annis, præclarè consummavit
„ Victoria, quam ab ipsa morte munitus sanctissimis
„ Sacramentis intrepido, & herculeo animo repor-
„ tavit, quid aliud pro, & nobis occlamat? quàm il-
„ lud D. Pauli: Bonum certamen certavi, cursum
„ consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita
„ est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Domi-
„ nus in illa die justus Judex. Et verò quid jam aliud
„ reliquiæ, & ossa ejus, tantarum virtutum instru-
„ menta, â nobis postulant, quàm ut terræ, è qua
„ sumpta sunt, usque in diem illam magnam, donec
„ tuba illa inclamante, viva immortalitatem, & glo-
„ riam induant, piè, & honorificè demandentur.
„ Dignum igitur, & justum omnino est, ut universa
„ Respublica literaria Archigymnasii nostri tantum
„ Præsulem, quem jam ultra quinquaginta annos Can-
„ cellarium, & Fidei suæ Catholicæ columnam vene-
„ rata est, etiam demortuum omnibus officiis, & ob-
„ sequiis, grata ad sepulturæ loculum comitetur, &
„ spiritum, quo citiùs ad superna evadat, precibus,
„ & votis omnibus prosequatur: sancta enim, & sa-
„ lubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut â pec-
„ catis solvantur.

„ Idcirco cum proximo die dominico, die vide-
„ licet 17. Novembris hora prima pomeridiana funus

hujus

„ hujus meritissimi Principis è templo Scotensis Mo-
„ nasterii ad Gathedralem S. Stephani sit deducenda,
„ & tribus immediatè sequentibus diebus solennes
„ exequiæ cum orationibus Academicis, concionibus,
„ & ceremoniis debitis pro Eminentia meritorum, &
„ dignitatis ipsius, sint institutæ, Rector Archigymna-
„ sii Viennensis omnibus, ac singulis Dominis Docto-
„ ribus, Nobilibus, Magistris, Baccalaureis, Advoca-
„ tis, Studiosis, & universis Academiæ civibus seriò,
„ & districtè mandat, ac præcipit, quatenus die, &
„ horâ præscriptâ in templo Scotensi certò compare-
„ ant, & funeri deducendo, ac etiam tribus insequen-
„ tibus diebus, exequiis ac sacrificiis Divinis in Cathe-
„ drali celebrandis piè, & obsequentes intersint. Præ-
„ stituri in hoc Eminentissimo Cardinali meritum, &
„ Magistratui suo officium debitum, & pietatem
„ Christianæ menti condignissimam.

Sub præstito Juramento

Joannes Arbogastus Syndicus.

Parentatum inde triduo est Eminentissimo Præsuli Clero omni, & Universitatis Senatu præsentibus; erectum quoque Magnificum, ad aram corporis Christi, pegma funebre, insignibus Eminentissimi, emblematibus, centenísque candelis conspicuo; illustriores tamen adhuc ejusdem virtutes, meritáque utramque in Rempublicam reddita sunt à duobus Societatis JESU Oratoribus, P. Scipione Scambata Theologiæ Doctore, & S. Scripturæ tum Professore; atque P. Laurentio Sengsenschmidt Physices Professore; quorum ille de defuncti Laudibus die exequiarum primâ; alter tertiâ in æde D. Stephani ad Senatum, populumque Academicum, congregatósque omnium Religionum, ac Status ordines disseruêre.

Manda-

Mandatum terræ Eminentissimi funus ante aram B. Virginis in Sacello ejusdem maximo, lapide sepulchrali subjectam præferente inscriptionem:

Reverendus Dominus Melchior Kleselius Viennensis Austriac: cùm ab Invictissimo Cæsare Rudolpho Anno M. D L. XXIX. proprio motu in Præpositum Sanctæ cathedralis hujus Ecclesiæ publicaretur, ejusdem pari benignitate in Episcopum Anno M. D. XC. VIII. XXIV. Januarii die proclamatus. Insuper à Paulo V. summo Pontifice Apostolici Concionatoris titulo insignitus, multis ac variis pro Ecclesia Dei, & Christiana Republica susceptis laboribus confectus, Deo animam reddidit Anno M. DC. XXX.

Appendit subinde meritissimo Præsuli Celsissimus Successor Antonius de Wolffrath Epitaphium aliud rubro, albóque marmori incisum, ad cornu ejusdem altaris sinistrum, quod brevi compendio meritorum iliadem comprehendit:

Monumentum
Eminentissimo & Reverendissimo Principi
& D.D. Melchiori. S. R. E. tit. S. Mariæ
de Pace Presbytero.
Cardinali Kleselio,
Episcopo Viennensi, & Neostadiensi, Augustissimi Imperatoris Mathiæ arcanorum
Consiliorum Directori.
Hæresum Persecutori.
Religionis Catholicæ hìc Labentis
Restauratori.

 Maxi-

Maximis P. P. & Imperat. Rom. ob excelſas Ingenii, ac naturæ dotes ad ſummas res adhibito, Eloquentiâ, conſiliis, Legationibus, & ingentibus factis per orbem Chriſtianum

Clariſſimo,

Qui utrâque fortunâ domitâ, exactis vitæ Annis LXXVII. Epiſcopatûs Viennenſis XXXVI. Cœlo jam maturus, facultates ſuas à Deo ſibi commiſſis Eccleſiis, corporis verò exuvias meritorum ſuorum deinceps gloriâ veſtiendus morti Lubens ceſſit. Die XVIII. Septembr. CIↃ. IↃ. C. XXX.

Hìc ad aram B. V. M. ſepultus.

Antonius

Ejus in Epiſcopatu Viennenſi Succeſſor, Invictiſſimorum Cæſarum Ferdinandi II. & Tertii Conſiliarius intimus, Præſuli æternâ memoriâ

dignissimo

piè poſuit.

A morte Eminentiſſimi Cardinalis non à Theologica modò, ſed & Artiſtica Facultate quæſitum: obligarétne Bulla Pontificia Urbani VIII, quoad Profeſſionem fidei in manus Cancellarii emittendam ab iis, *qui* Baccalaureatûs gradum ſuſciperent, aut qui emiſsâ jam ſuâ in promotione ad Facultatis ingreſſum Viennæ repeterent? quæ res vivo adhuc Cardinale cùm non ſemel agitaretur, inque ejus gratiam eſſet diſſimulata, utraque Facultas decrevit; cùm id ex Bulla non liqueat, ſtandum interea veteri Facultatum jure, ac poſſeſſione, dum aliud à Sede Apoſtolica decideretur.

Ab An.

Ab An. 1631. uſque ad An. 1633.

ALternabat annis hiſce belli Germanici fortuna, minùs tamen Fœderatis Catholicorum armis propitia; ubi enim Sueciæ Rex in ſubdenda Pomerania totus eſſet, Magdeburgum, celeberrimum munitiſſimúmque in eam uſque diem propugnaculum, quòd Cæſareum recuſaret præſidium, Suecóque adhæreret, à Tillio obſeſſum, accedente cum copiis Pappenhemio, ſub menſem Majum armata manu expugnatum, ſubortóque per varias Urbis domos incendio in cineres redactum. Ab expugnato Magdeburgo, & furere Suecus, & novi Cæſari hoſtes, Saxonicus nempe Elector, & ii Proteſtantium Principes, qui anni 1631. principio ad Lipſienſia comitia, ſub ſpecie de conſervanda libertate Germaniæ conſulturi, convenerant, accrevêre. Ergo in Saxonem dum Tillius movet, Lipſiámque eripit, vocatus in ſubſidium Suecus accurrit, pugnam junctis cum Saxone armis Lipſienſi in agro decernens, Fœderatum Catholicorum exercitum ea clade affecit, ut præter inſignes, quas retulit manubias, plus, quàm quinque virorum millia vitam cum cruore poſuerint, ipſo Tillio gravi vulnere ſaucio vix fugâ elapſo. Ea ab *Lipſienſi* victoria ita Cæſareorum animi fracti, at auctæ Sueci vires; ut non jam pugnando, ſed ambulando ſubjugaret omnia, atque hinc Bohemiam Duce Saxone, mox inde Franconiam ipſemet, ùt vidit, ita ferè videndo domuit, & victor ſubivit.

Ut graſſanti procellæ Cæſar ſuccurreret, An. inſequenti 1632. & novos undique habere delectus, & ſubſidia ab Hiſpanis, Pontifice, Catholicíſque Imperii Ordinibus poſtulare, & Legionibus ſuis rurſus ſuprema cum poteſtate, quem biennio abhinc Ratisbonenſibus in Comitiis exauthoraverat, veteranum, & expertiſſimum Ducem Wallenſteinium præficere, relictis Bavaricis, fœderatíſque copiis Tillio, & Pappenhemio. Nec infeliciter omnino iis ab Ducibus res anno hoc geſtæ.

stæ; quæ Cæde ipsius Gustavi Adolphi Suecorum Regis sanè celebratissimæ evasêre. Tametsi enim Saxoniæ Elector Bohemiam, Silesiámque vastaret, Gustavus verò Rex fulminis instar Franconiam, Sueviam, Bavariámque cum victricibus undique copiis pervolitaret; ejectus tamen rursus Saxo è Bohemia à Wallensteinio; devastata per Pappenhemium Inferior Saxonia; inhibita à Tillio irruptio in Bavariam eò usque, dum accepta à Sueco ad Reinam clade, machinæ globo in femur ictus Ingolstadii heros æternâ memoriâ dignus occubuit. Ad hæc binâ insigniori clade Suecus à Cæsareis affectus ad Norimbergam, & ad Luzenam, haud procul Lipsiâ dissitum vicum; ibi dum Cæsareos sua inter valla aggreditur, multa cæde rejectus, & in fugam actus. Hic dum totis viribus Saxoni junctus, 16. Novembris celeberrimam illam adversùs Wallensteinium, Pappenhemiúmque audet pugnam, multis suorum desideratis, Rex ipse Gustavus Adolphus, ubi nutantes, & laceras turmas restiture satagit, multis confectus vulneribus, occubuit. Haud læta tamen adeò Luzensis hæc Cæsareis victoria, quòd eadem in pugna Pappenhemius haud paulò post Regis obitum tormenti globo vulneratus, Lipsiæ obierit; & Equitum Catholici exercitûs fuga ex victoribus propè victos effecerit. Actæ tamen pro fusis hostibus Deo Viennæ gratiæ, decantato in Ecclesia D. Stephani hymno Ambrosiano, cui præter Augustam Aulam Cæsar Universitatem quoque interesse voluit.

Nondum tristes has bellorum flammas Mars Suecicus circumferebat, cùm Lætiores Hymenæus illustrando Regio Ferdinandi III. cum Maria Philippi III. & Margaritæ Austriacæ Hispaniarum Regum filia connubio faces accenderat. Profectam ex Hispaniis Genuæ, Regii Sponsi nomine, Eminentissimus Cardinalis à Dietrichstein excepit, grassantéque pestifera lue per Lombardiam, iter Neapolim ingressam, atque inde ex Istria per Austriacas Provincias, Carnioliam, Carinthiam,

thiam, Styriámque in Austriam deduxit: cum Tergesti à Serenissimo Archiduce Leopoldo Tyrolis Domino; Hollenburgi extra Clagenfurtum nobilissima Dietrichsteiniorum arce, à Serenissima Claudia Leopoldi Conjuge; Merzuschlagii à Serenissimo Rege Sponso; Neostadii ab Augustissima Imperatrice; ac demum Eberstorffii à Cæsare ipso esset salutata. Invecti Viennam Serenissimi Sponsi Romano triumphantium more, Augustinianorum Aulico in Templo per eundem Cardinalem Franciscum Dietrichsteinium felici fœdere juncti sunt. Magnifici lætitiæ Ordinum omnium apparatûs pars haud minima Universitas Viennensis fuit; quæ ut suam in Austriacam Domum testaretur devotionem, impetrata 3. Aprilis ad Serenissimos Sponsos admissione, & ore, & libro felicem Hymenæum est gratulata.

Nec suas ea occasione Academicum Societatis Collegium Lætitiæ, gratíque animi partes in Augustissimam Domum desiderari voluit, dato post Paschæ ferias in Scenam Serenissimis Sponsis *Cyro Rege*. Qua occasione is Societatis Collegio honor, quo major hactenus nunquam, habitus est; cùm enim in matutinum ejusdem diei tempus Templi Societatis Academici, quod veterum domorum è ruderibus in novam formam jam exsurrexerat, consecrationem Eminentissimus Cardinalis Dietrichsteinius, pro eo, quo in Societatem semper erat affectu, peragendam propria in persona instituisset, Sacris iis Ecclesiæ ritibus non modò interesse voluit Augustissimus Cæsar cum Augusta, Serenissimísque novis Conjugibus, atque Archiduce Leopoldo fratre, totáque Aula; sed & iisdem ad mensam Cæsaream in Societatis triclinio accumbentibus liberale religiosæ familiæ epulum præbuit; remotis subinde mensis ea actionem excepêre Augustissimi Spectatores hilaritate, ut vel ad ruborem concepta benevolentiæ verba exhibentium vultus provocarent.

Anno hoc eodem 1631. ex nominatione Cæſaris vacanti ab obitu Kleſelii Viennenſi Eccleſiæ datus eſt Epiſcopus Antonius Wolffrath, Abbas D. Benedicti in Superiori Auſtria Cremiſanenſis Aſceterii, tertiâ Augusti menſis die in Sacra D. Stephani æde â Cardinale Dietrichſteinio, conſecratus. Obvenerat Viro meritiſſimo is honor, ut non modò ſacris functionibus præſentem haberet Auguſtum Cæſarem, ſed primus omnino Viennenſium Epiſcoporum fuerit, qui Celſiſſimi S. R. I. Principis titulum obtineret, in Succeſſores poſthac perpetuò transmittendum.

Præpoſituræ Canonicorum ad D. Stephani Dignitas, annexúmque Cancellarii Univerſitatis munus ab eodem Auguſto Cæſare anno hoc collatum eſt Laurentio Arupio, natione Dano; cujus dum Apoſtolica ab Sede confirmatio expectatur, ne ſub menſem Julium unius in Theologiæ Doctorem; ac ſub Septembrem Philoſophorum promotio foret differenda, à Nuncio Apoſtolico facta Cancellario poteſtas juribus ſuis interea utendi, dum Româ obtineretur.

Catholica interea religio, quam per Imperium Suecorum Rex oppreſſam ibat, per Auſtriacas Provincias majora indies ſumebat incrementa, Cæſare adeo religioſo, ut hæreticos ne à Catholicorum Viennenſium quidem obſequiis tolerandos eſſe videretur: datæ quoque eâ de causâ ab Excelſo Regimine ad Academicum Senatum Literæ, quibus eorum, ſi qui membris Academicis in ſervitiis eſſent, nomina in Catalogum relata ad ſeſe referrent, mandabatur.

At majori id acceptum lætitiâ, quòd Chriſtiano Guilielmo Brandeburgico Marchioni, Magdeburgici Archiepiſcopatûs Adminiſtratori, Cuſtodia Neoſtadienſis, in quam poſt expugnatum Magdeburgum abductus eſt, Libertatem veræ fidei attulerit. Is enim Societatis JESU cujusdam Patris ex alloquio, ubi ad lucem fidei mentis oculos advertere cœpiſſet, diu multúmque religione Catholica ponderata, tandem non

modò

modò victas veritati manus dedit, fidem Catholicam professus publicè; sed conversionis suæ historiam, motiváque publicæ Luci vulganda conscripsit. Submiserat optimus Princeps humanissimis ad Universitatem datis literis librum eum, cui titulum fecerat: *Speculum Veritatis, Christiani Wilhelmi Marchionis Brandeburgici, in quo hostoria, & vera relatio, Christiana etiam motiva, & rationes comprehenduntur, quibus singulari Dei gratiâ hæresim Lutheranam, quâ à puero educabatur, abjuravit, & sese Veritati Catholicæ Ecclesiæ adjunxit.* Non probatus is duntaxat, sed & approbatus à Facultate Theologica cum sequenti censura: *Præsens Tractatus, cui titulus est: Speculum Illustrissimi D.D. Christiani Wilhelmi Marchionis Brandeburgici &c. &c. per aliquot designatos Doctores Theologos accuratè revisus est, & nihil in eo repertum, quod bonis moribus, fidei Catholicæ, aut doctrinæ Sanctorum Patrum repugnaret, quin imò dignissimus, ut ad fructus, quod speramus inter Acatholicos uberes producendos, quamprimum edatur 27. Novembris 1632.* Quanto is Catholicorum gaudio vulgatus, tanto mœrore ab Acatholicis exceptus: nec defuit Coppenhagii in Dania Lutheranæ Theologiæ Professor, qui adversùs speculum Serenissimi Marchionis non tam rationes, quàm convitia, & calumnias datis in lucem pagellis effutiret. Edidit Catholicissimus Princeps in plagiarium An. 1637. Apologiam, qua & opposítas invictis disjecit rationibus, & veritatem Catholicam novis argumentis propugnat. Nec constantiùs minùs Serenissimos inter agnatos, dum eos inviseret, religionem suam tuitus; ea in fide, quam & assumpserat, & gloriosè propugnabat, demum Anno 1650. defunctus.

Hæc ubi pro religione gererentur; vindicata quoque in Cives Academicos, Typographos, Bibliopolas, Bibliopegásque, atque ipsos in Studiosos, Criminum capitalium reos, jurisdictio: eam Senatus Civicus ad-

 versùm

versùm iterata Anno 1628. Decreta; hanc Supremus Urbis Viennensis militiæ Præfectus Joannes Christophorus L. B. à Loëbl ibat imminutum. Cæsaris igitur authoritate Universitatis carceribus redditus est Joannes Finkius, J. U. Studiosus, qui quòd ebrius Civem cultro transfixisset, ab Universitatis Consistorio capitis damnatus, jámque 18. Februarii Academico in foro ictum carnificis expectaverat, cùm eidem clementia Cæsaris vitam, libertatémque indulsit. Mensis autem Decembris 30. die ad Consistorium Bibliopolæ, Typographíque adesse jussi, haud gravatè nominibus Universitatis matriculæ inscriptis, juramentum subjectionis præstitêre. Quam utramque Cæsaris resolutionem Codex Austriacus recitat.

Ab An. 1633. usque ad An. 1636.

SUblato Gustavo Rege, divisis veluti in alveos Suecorum, Suecísque Fœderatorum viribus, varium, & Catholico fœderi minus propitium gestum bellum, Bernardo Vinariensi Saxonico, Gustavo Hornio, Joanne Bannerio, quibus Saxo Elector, Lunæburgensis Dux, Galliæ Rex, cæteríque Protestantes Principes seu copiis, seu auxiliis accessêre. Nulla ferè per Germaniam Provincia, urbs nulla, quæ aut clades, aut belli furorem non sentiret. Auxerat mali vim occulta Supremi Exercitûs Cæsarei Præfecti Wallensteinii, Ducis antehac fidi, & fortunati, cum hostibus, ùt ferebatur, conspiratio, quæ extremam rebus Cæsareis allatura fuisset ruinam, nisi certioribus, quàm ut dubitari possit, deprehensa argumentis ipsa cum Wallensteinii cæde Egræ 25. Februarii Anno 1634. esset extincta. Ab ejus obitu res fœderis Catholici nonnihil restitui cœpêre; renunciato à Cæsare totius Exercitûs Imperatore Ferdinando Hungariæ, Bohemiæque Rege. Is ut victoriarum poneret rudimenta, conjunctis Bavarorum viribus Ratisbonam, post bimestrem obsidionem, 26. Julii subegit; ac mox 6. Septembris celeberrimam illam

de

de Vinariensi, Hornióque ad Nördlingam, quâ post 8. horarum pugnam cæsa omnino 14000. Suecorum, Duces complures, quos inter & Hornius, & Crazius nuper à Bavaro ad Suecos transfuga, cum omnibus impedimentis capti, Cæsarianis non plus mille ducentis desideratis, retulit victoriam. Ea ex hostium clade non modò Würtenbergica Regio, Suevia, Franconia, Bavaria, Palatinatus inferior, Silesiáque suos ad Dominos rediêre, sed Protestantes quoque Imperii plerique Principes, civitatésque Liberæ, Saxonicus præcipuè Septemvir, deserto Suecorum fœdere Cæsareis partibus accessêre ipso Saxone Cæsarearum copiarum Ductore una cum Serenissimo Rege nominato. Et profectò nec tanta ex clade, An. 1634 undique acceptâ, Sueci vires ampliùs collegissent, nisi Galliarum Rex publicato in Cæsarem bello, quod antehac pecuniis, subsidiisque gesserat, viginti armatorum millibus Suecis subvenisset, illatisque ad inferiorem Rhenum copiis victoriarum cursum stitisset.

Interea ad Annos hosce, quibus pestiferæ luis periculum, metúsque non semel Scholarum aditus clauserat, haud multa singularis memoriæ digna Academicæ tabulæ annotârunt. Illud Anno 1633. authoritate Cæsaris ad preces Universitatis, cui dies D. Colomanni, deligendo novo Rectori antehac designatus, ob autumnales studiorum ferias perquam erat incommodus, statutum: ut posthac Academica inaugurandi novi Literariæ Reip. principis Comitia aut in diem D. Leopoldo sacram, aut certè in aliquam illi Festo proximam, indicerentur. Natio autem Hungarica eodem anno illud sanè, ùt Acta Artistica referunt, singulare habuit: quòd plurium annorum neglectam D. Ladislai tutelaris sui celebritatem eo splendore 27. Junii egerit, qua solemnius nihil ab hominum memoria ulla Natio spectavit. Hungariam enim ut sibi officiis omnibus demereretur Cæsar, cum Hungariæ Rege, Regináque, atque prolibus Serenissimis. omni-

omnisque aulæ comitatu solemniis Nationis ad D. Stephani præsentem se exhibuerat, ad aram sacris operante Eminentissimo Cardinale à Dietrichstein; de laudibus verò Divi Tutelaris Ladislai, P. Joanne Rumer Academici Societatis JESU Collegii Rectore perorante.

Anni 1634. initio, 25. scilicet Februarii, in trium celeberrimorum, sub ipsa Universitatis nostræ initia, Theologorum, *Jordani de Saxonia*, *Thomæ de Argentino*, & *Gregorii Ariminensis*, ex S. Augustini Eremitarum Familia exuvias inquisitum ea occasione; quòd ejus Ordinis Religiosi Reformati, quos Discalceatos dicimus, quibus Monasterium illud cum Templo Aulico à Cæsare nuper An. 1630. traditum fuerat, commodiorem in formam veteris Ecclesiæ situm cuperent restitutum. Eminebat ipsa in Ecclesia solido è Lapide prædictorum Theologorum sepulchrum, Epitaphio afforis inciso, ex quo unâ eâ in urnâ tres laudati Theologi reconditi legebantur. Remoto igitur sepulchrali lapide, præsentibus Stephano Zwirschlag, Theologiæ Doctore, Canonico ad D. Stephanum, & Casparo Plazer, J. U. Doctore, Consistorii Episcopatûs Viennensis Syndico, Cineres examinati; reperta duorum capitum crania, & ferè majora ossa omnia pro duobus corporibus; de tertio cadavere præter ossiculum exiguum, quod ad tertium quoddam cranium pertinere videbatur, inventum omnino nihil. Ex quo illud pro Historica Virorum laudatorum luce confectum: aut Jordani cadaver Viennæ tumulo illatum non esse; aut, quod pluribus videbatur, eo à tempore, quo Beatos inter haberi cœpit, clam alio translatum.

Alius Facultatem Theologicam occupaverat sub finem prædicti Anni labor: ferebat anno illo Augustissimus Cæsar legem, ne quispiam seu Christianorum, seu Judæorum suprà sex pro centum census emerent; acquievêre Christiani; Judæi verò oblato Cæsari libello supplici ea se exemptos Lege rogabant. Remiserat

Judæo-

Judæorum postulata Religiosissimus Cæsar ad Universitatis Consistorium eo mandato: ut Facultati Theologicæ examinanda traderet, ac conceptam desuper sententiam, judiciúmque ad sese referrent. Terna illi quæstionis statum in capita divisêre: *1mò*, an Sacratissimus Cæsar per sanctionem nuper editam justè, & juri congruenter Judæis sub pœna probibuerit, ne ex mutuo plus, quàm sex in centum accipiant? *2dò*: An legem latam, qua parte Judæos tangit, mitigare possit? *3tiò*: An hic, & nunc propter rationes, in libello eorum supplici allatas, id Cæsarem facere expediat? discussis singulis omni accuratione in sequentem sensum Facultas Theologica respondit: *1mò*: Legem Cæsaream justissimam esse, omnisque Juri, Divino scilicet, & humano, naturali positivo, Canonico, & Civili maximè consentaneam: ac proinde potuisse, & necessariò etiam debuisse à Cæsarea Majestate ferri. *2dò*: Postulatis Judæorum nihil omnino concedendum esse, nec mitigandum ob rationes gravissimas. *3tiò*: Rationes Judæorum in libello allatas nullius esse ponderis. Quæ omnia gravissimis probata rationibus, legibúsque ad Aulam sunt remissa.

Majores eidem Facultati creavit molestias sub anni 1635. initium Censura Libri Matthiæ Ceschi, Itali cujusdam Medici, cui titulum præfixerat: *Oleum Dei ad omnium morborum curationem conducens*, quem in latinum ex Italico versum prælo Viennensi præparabat; eo in tractatu cùm non modò plures propositiones superstitiosæ, & sanæ doctrinæ adversæ notarentur, sed revelationes quoque à Deo de confectione illius Olei sibi factas immisceret, rejiciendum librum, aut certè emendandum censuit. Invenerat tamen Author apud Excelsum Regimen, qui patrocinium libri susciperent, novámque exigerent à Facultate Theologica censuram; at sententiæ illa suæ institit, constantiáque effecit, ut fraudes illæ supprimerentur.

Quo

Quo loco, quantóve in honore Austriacos apud Principes adhuc esset Academici Senatus splendor, & dignitas; hoc, si alio unquam, tempore maximè patuit. Contigit, ut An. 1634. Viennæ Reverendissimi Principes Imperii, & Episcopi, Herbipolitanus, & Osnabruggensis Theophoricæ solennitati Cæsarem publica in supplicatione comitaturi, adessent. Monitus inde Rector Magnificus Stephanus Zwirschlag, Theologiæ Doctor, simul, & ad D. Stephani Canonicus, ut eum in Ecclesia S. Stephani locum, quo aliàs Academicus consideret Senatus, prælaudatis Præsulibus concederet. Id non humaniter minùs, quàm constanter abnuit, nihil obmovente Cæsare; cujus jussu sejunctus à choro locus Reverendissimis Episcopis, ubi sacris adessent, adparatus est. Nec in ipsa quidem supplicatione Rector Magnificus à dextra Proto-Mystæ Theophori, quam ut aliàs, ita & tunc proximè ambiebat, se dimoveri passus est. Idem honor anno insequenti 1635. Academicis delatus est; ubi enim die ipso Paschatis Augustissimus Imperator cum Rege Filio, Serenissimísque conjugibus, atque Casimiro Poloniæ Principe eadem in D. Stephani æde sacris interfuisset; locum tapete stratum Senatus Academicus suis in subselliis obtinuit ex parte Principis opposita.

At non in Ecclesiis solùm suus Literariæ Reipublicæ Patribus habitus honor; sed in Aula quoque. Venerat anno eodem 1635. Viennam magno, splendidissimóque apparatu Maximilianus Bavariæ, post sterile triginta aliquot annorum cum Elisabetha Lotharinga connubium, ad secunda, & feliciora cum Maria Anna Ferdinandi Cæsaris, & Soceri filia transiturus vota; 15. Julii Serenissimi Sponsi felici fœdere à Dietrichsteinio Cardinale in Sacello Lauretano apud Ecclesiam Aulicam juncti. Hæc ipsa nuptialia inter solemnia suum ad alloquium Serenissimi Sponsi Academicum admisêre Senatum, à quo non vota minùs, quàm Literarium munus,

munus, Librum Hymenæo Austriaco-Bavarico à Rhetorices, Poëseósque Societatis Jesu Professoribus inscriptum, per Rectoris Magnifici manus gratiosè excepêre. Nec suis pro viribus Societatis Jesu Collegium deerat partibus, exhibito in Neo-Nuptorum honorem Dramate, cujus Argumentum: *Rebecca cum Isaco desponsata*; & quamvis ipso in rriclinio, quòd Theatrum aptius aliud adhuc deesset, in scenas fuerit prodeundum, ad id tamen spectaculum non Sponsi modò, sed Augustissimus ipse cum Augusta Imperatrice, Regina Hungariæ, Leopoldo Archiduce Filio, Cæcilia Renata Filia, Alberto Maximiliani Electoris Fratre, Casimiro Poloniæ Principe, Palatino Neobugico Duce, refertissimâque Procerum Coronâ, pro ea, qua incredibili in Societatem erant, clementia, confluxêre.

Aderant sub ipsas nuptias etiamnum Viennæ Herbipolitanus, & Osnabrugensis Sacri Antistites; qui cùm à Magisterii Philosophici Candidatis ad Literarii honoris theatrum invitati, gratiosè præsentiam suam adpromisissent, occasione illa Senatum interPhilosophicum mota quæstio: liceátne jure suo Facultati Philosophicæ, quemadmodum cæteris, ipsa in æde D. Stephani suos creare Doctores? jure suo id Facultatem facturam, & usu veteri, & ratione comprobatum; non tamen Promotores ad id factitandum esse adigendos; quando juxta Pragmaticam Sanctionem Philosophicis in promotionibus mos Societatis observandus, & Cæsareo ex Privilegio Academici in Collegii Auditorio promotiones eas habere sit concessum.

An. 1636.

Reportatis superiori anno de Imperii hostibus à Ferdinando III. lauris Imperiale diadema, Comitiis in Ratisbonensibus, quæ ætate, viribúsque gravescens Augustus Imperator præter alia Imperii negotia, deligendo præcipuè Romanorum Regi sub æstatem indixerat, Electores innexuêre; dum è castris, quæ su-

premus

premus Exercitûs Cæsarei Bellidux ad Rhenum habebat, evocatum, 20. Decembris, nequidquam Ludovico Carolo Palatino Friderici, Regii Bohemiæ tituli usurpatoris, filio, Gallóque ob captivum adhuc Viennæ Treviensem Electorem, reclamante, in Romanorum Regem solemni ritu inaugurârunt; diverso interim Marte per totum annum in Marchia, Westphalia, Burgundia, & Belgio fœderatis copiis decertantibus.

Administrabat interea suprema cum potestate Austriam Serenissimus Archidux Leopoldus Guilielmus, Episcopus Passaviensis, cujus nomine duo ad Universitatem transmissa ab Excelso Regimine Decreta, quorum altero sententiam rogata est: an è Reipublicæ utilitate futurum censeret, Tabernam illam Interrogationum, vulgo Fragambt, quam Joannes quidam Angelus de Sumaron, Hispanus gente, secundùm Parisiensem formam meditabatur, porrecto eam in rem Cæsari libello, quo & facultatem ejus sibi rei expetebat, & unà totius negotii formam, & officiorum rationem pluribus exponebat. Altero verò Theologicæ Facultatis mens, & opinio desiderata est: fásne esset salvâ Principis conscientiâ, ut commune minuti æris Zehner, Batzen, Halbbatzen, und Zweyer, quod aliquot ab annis exterorum è Principum terris in Austriam illatum perquam copiosè fuerat, pretium, & valor minueretur; etsi fortasse, id quod futurum omnino prævidebatur, gravius aliquod damnum inde apud subjectam plebem emergeret, apud quam potissimùm monetæ hujus usus in quotidiano commercio vigeret, nec ferè aliud apud eandem æs reperiatur, quo tributis, exactionibúsque Principis satisfacerent? Utrique non eruditè minùs, quàm fundatè satisfecit Universitas. Et primò quidem, haud sibi è Reipublicæ commodo futurum, ajebat, videri, ea, quâ ab Authore designata erat, methodo, officii illius Interrogatorii, institutio. Deinde, licèt Principis, & Reipub-

licæ

licæ cessuram emolumento illam minoris monetæ, valorísque imminutionem judicaret, Christianæ tamen charitati adversam videri; maximè si uno veluti ictu ad minus pretium redigerentur: Ad hæc pauperes præcipuè, & ferè solos damnum subituros, in cujus manibus eæ pecuniæ circumferantur: neque è justitiæ fore legibus, si eo rigore posthac ab iisdem Steuræ exigerentur, quo vigente adhuc communi pretio pecuniæ exactæ erant. Optimum igitur videri, si nunc quidem comuni eæ monetæ pretio in Steuras reciperentur ab ærarii Regii Præfectis, in exteras dein Provincias, ubi suum valorem haberent, expendendæ; & cavendum unà, ne posthac ejus sortis æs in Austriam inveheretur.

Non lectionem modò Scripturæ sacræ publicam ab Universitatis Senatu sibi conferri, sed & ad Disputationem pro ingressu Facultatis Theologicæ admitti Libello supplici petebat P. F. Paulus de Tauris Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Lector Theologiæ in Conventu ad D. Hieronymum, quem vel Quardianus ipse totius Conventûs nomine plurimùm commendabat. At utriusque tulit repulsam, quòd Universitas Lectores Ordinum, Doctores publicos non agnosceret; ad hæc Ordo ille speciatim dignitatibus, prærogativis, ac publico Doctoris Titulo, ut ex eorum Papalibus Bullis constat, se se abdicâssent; atque vel ea de causa non modò nunquam in Universitate Viennensi, sed nec aliis publicis in Academiis Doctorum insignibus sint ornati.

Sub hæc 12. Martii supremum clausit diem Amplissimus Universitatis Cancellarius. Laurentius Arup SS. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Viennensis Præpositus, & S. C M. Consiliarius, postquam in quintum ferè annum Universitatis ab Cancellis magna sui commendatione sedisset. Suffectus demortuo est ex nominatione Cæsaris Tobias Schwab J. U. Doctor, Ecclesiæ ad D. Stephanum Decanus, & jam à Kleselii

Romam

Romam discessu Episcopatûs Viennensis Officialis Vicarius Generalis: qui posteaquam per Decretum Cæsareum Universitati de more pro Cancellario præpositus, & intimatus esset, Authoritate Apostolica per Celsissimum, & Reverendissimum Principem Antonium Episcopum Viennensem in Gathedrali D. Stephani Ecclesia feria 2da Pentecostes, præsente Rectore Magnifico, Senatu Populóque Academico, in Præpositum solemni ritu est inauguratus.

An. 1637.

LUctuosus sanè non Universitati modò, sed & Austriacis terris, atque orbi ipsi Christiano Annus hic illuxerat ex morte Augustissimi Cæsaris Ferdinandi II, quam, peractis ex sententia Comitiis Ratisbonâ Viennam 8. Februarii redux, decima quinta ejusdem, ipsâ tunc Dominicâ Sexagesimæ, sub horam nonam matutinam sanctissimè, posteaquam 58. annos, menses septem, dies ferè sex vixisset, obivit: Princeps nulli pietate, sapientiâ, vitæ sanctimoniâ, justitiâ, munificentiâ, regnandi artibus, rebúsque gestis secundus; Religionis præprimis Catholicæ Zelo maximus; cui non reductam modò mirâ, afflictissimam sæpe inter fortunam, constantiâ avitam, verámque Religionem Austriacæ Provinciæ, regnáque Lutheri erroribus potissimam partem antehac depravata, sed & Imperium eandem veteri in statu conservatam, auctámque debent. Vix adiit anno 15to. à morte Serenissimi Parentis Caroli Interiorum Austriæ Provinciarum Dominatum, cùm cura rerum omnium prima conceptum Lauretana in domo Sacramentum, quo sese vel cum vitæ discrimine hæresim è Styria, Carinthia, Carniolia ejecturum obstrinxerat, exequi; nec rationibus ullis, periculísque à Sanctissima sententia sese dimovéri passus est, dum Provincias suas Interiores ferè ex integro iterum Catholicas conspiceret. Austriam, Bohemiámque hæres adiens, seditiones, extremáque priùs fere-

bat

bat discrimina, quàm libertatem Confessionis Augustanae à Maximiliano II, patruo primùm concessam, ac à Rudolpho, Matthiáque permissam, confirmaret. Devictis autem ad Albos Montes Seditiosorum turmis, fugatísque Tumultuantiũ Authoribus, non jam hæreditario solùm, sed vel armorum quoque jure Bohemiam suam, Austriámque invictâ constantiâ, clementiâque Catholicam effecit; útque in Imperio avita Religio restitueretur, Mandato jussit: bona illa, quæ post Pacem Passaviensem nullo jure heterodoxi occupâssent, Ecclesiasticis redderentur; nec legis gratiâ iis quidem factâ, qui hactenus Cæsaris partes secuti fuissent. Ut haud immeritò Carolus Caraffa ad Aulam Cæsaream per annos eos Nuncius, qui res pro Religione sub Ferdinando gestas, Commentariis publicis, complexus est, affirmare non dubitârit: *post Constantinum, Carolúmque Magnum non fuisse Imperatorem, cui res Catholica plus, quàm Ferdinando II. debeat.* Certè passim voces illæ à Religiosissimo Cæsare audiebantur: *malle se Provinciis, Regnisque decedere: solâ aquâ, & pane mendicato vitam trahere: solum cum conjuge, & liberis vertere; corpus in frusta concidendum dare &c. quàm ullam amplificandæ, reducendæque Orthodoxæ Fidei occasionem dimittere.* Huc infiniti propemodùm sumptus spectabant, quibus Religionem, & cum bonarum artium studio pietatem ibat promotum; operosum foret inire numerum domorum, donationúmque, quas ille aut religiosis, aut studiosæ juventuti alendis constituit, aut Facultatibus auxit: suos ille parochiis Catholicos restituit Pastores; sua Ecclesiasticis jura: in Austriam, aliásque hæreditarias Provincias Clericos Regulares S. Pauli; Camaldulenses; S. Francisci de Paula Monachos; Carmelitas Excalceatos utriusque sexûs; Benedictinos è Monte Serrato; S. Augustini reformatos Eremitas; Congregationis Hiberniæ Franciscanos induxit, aut inductos nulla non ope adjuvit. Sola omninò Jesu Societas undecim Cle-

mentissimo Cæsari debet noviter fundata, aut aucta domicilia: Viennense primò suum Academicum Collegium, cum ædificata à fundamentis hodierna in honorem SS. Ignatii, & Xaverii Ecclesia: Professorum Domos binas, Viennæ unam, Pragæ alteram; Probationis Viennæ, Brunæ, & Leobii; Collegia reliqua, nempe Labaci in Carniolia, Clagenfurti in Carinthia, Goritiæ in Foro Julio, Kutenbergæ, & Litomericii in Bohemia; Glagoviæ in Silesia. Nec Societatis Domus ferè ulla per Austriacam Provinciam, cui munificentia Cæsaris ære, fundísque non subvenisset. At verò haud minor Cæsaris in literas, literatósque cura, quas pariter cum Religionis studio ibat promotum; quandoquidem, & utriusque amorem altè à teneris imbiberat, noverátque Religionem à sana literarum doctrina fulciri; eum in finem Societatis Jesu Scholas Viennæ, Pragæque Universitatibus univit, nováque restauravit Sanctione, ex qua utrobique ea literarum studia sumpsêre incrementa, quibus florentissimam etiamnum utramque intuemur; Viennæ itidem, Pragæ, Græcii, Clagenfurti, Labaci, Olomucii, Tyrnaviæ, Gitzini domos aut erexit, aut ditavit, in quibus partim nobiles, patim inferiori Domo nati adolescentes pietate, & literis imbuerentur. Quid, quòd vel Ferdinandus ipse maximum literis pretium, honósque ? dum iis quinquennio integro post privatos aulæ Græcensis parietes publica Ingolstadiensi in Universitate esset excultus, Græciúmque reversum Archiducem Academicus Ingolstadiensis Senatus eo comitatus est elogio: *Ferdinandus Archidux Ingolstadium venit Grammaticus; Græcium redit Orator Eloquens, Mathematicus accuratus, Philosophus politices præclarus, Justinianus peritus.* Infinitus forem, si de singulari in Deum, cælitésque pietate, ob quam & Virgo sacratissima Swicardo Monguntino Antistiti, ut Ferdinandum in Romanorum Imperatorem constanter deligeret, autrix; & pendens è Crucis simulacro Salvator

iis

is verbis: *Ferdinande non te deseram*, solatus fuisse, ertur; si de singulari clementia, qua non populum nodò subjectum, etiam acatholicum, sed & hostes complexus est; si de profusa in bonos omnes munificentia; si de inaudita secundam inter fortunam modelia, atque inter adversam, qua vitæ ferè totius cursu actabatur, animi constantia; si denique de singulis Imperatoriis virtutibns referrem singula: complexus est eas Epitome P. Guilielmus Lamormaini sanctissimo Cæsari à confessionibus, & Kevenhillerus in Annalibus suis Ferdinandeis. Quò sanè haud mirum videri possit, tantas Ferdinandi virtutes, tot laurearum adversùs Religionis hostes conjuratos, fuisse feraces: ut demum & Regna, Provinciásque hæreditarias ex integro rursum veteri fidei restitutas, & tam numerosis hostibus superiorem se cernens, haud immeritò accinuerit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.* Tam præclarè igitur de Imperio, de Provinciis, de Religione, de Literis, de bonis omnibus merito Principi certatim undique, etiam ab ipsis hostibus, justis laudibus, sincero luctu, verísque lachrymis parentatum. Nulla enim per Austriacas ditiones Ecclesia; Religiosorum cætuum familia nulla; nulla literarum odæa, Gymnasiáve, â quibus fautori optimo posthuma doloris memoria habita non esset. Ab Universitate præcipuè Viennensi, Academicóque Societatis Jesu Collegio, erecto in æde D. Stephani, & ejusdem Collegii Ecclesia justi doloris castro, ibi 13tia Martii, hic 3tia Aprilis; utrinque laudes funebres Societatis Jesu Doctore perorante; ad D. quidem Stephanum coram Gelsissimo Principe, & Episcopo Viennensi, Senatu Academico, Civicóque, P. Carolus Mussart, S. Scripturæ Professor publicus, *de pietate Cæsaris in vita, & morte*, in Academico autem Societatis Collegio P. Gualterus Paulli, Theologiæ Professor, & Facultatis ejusdem Decanus differebat: *Num sperari possit, futurum, ut Cæsari Ferdinando II. Sanctorum*

honores decernerentur? A morte sanctissimi Principis, quemadmodum testamentô caverat, corpus, excisúmque cor Græcium deportata; illud ponè conjugem primam, Mariam Annam Bavaram, in Mausolæo Græcensi, apud Societatis Patrum Ecclesiam, quod à Ferdinando adhuc Archiduce cæptum, eam inde, in qua hodie visitur, in magnificentiam assurrexit: hoc ad Matrem in D. Claræ Sanctimonialium sacra æde compositum.

Temperaverat justissimum Provinciarum dolorem, Viennensiúmque desideria, quòd in Ferdinando III. Augustissimo Filio, nuper felicibus auspiciis in Romanorum Regem inaugurato, & à morte Patris Romanorum Imperatore, etiamnum viveret Ferdinandus II. Ne tamen novum Principem lætitiâ illâ, apparatúque, quo destinaverat, Vienna ex Comitiis Ratisbonensibus 22. ejusdem mensis Februarii reducem, exciperet, recèns luctus inhibuit. Dilatos igitur festos honores oportuit, dum haud paulò post à morte Parentis Pragam profectus, atque inde 10. Julii Viennam rediret. Novissimam multo auro, phrygióque labore divitem eam in rem umbellam Magistratus Civicus curaverat, sub qua à Rubra Porta ad cæmeterium usque D. Stephani Augustissimum Imperatorem deduceret; at quoniam certis de causis ad templum usque S. Stephani curru invehi Augustissimo placuit; ne sua Cives cum umbella obsequiis excluderentur, apud Rectorem Magnificum, Senatúmque Universitatis intercesserunt: sibi id gratiæ præstarent, ut à prima cæmeterii porta ad templi usque januam Cæsarem deducere liceret; neque id præjudicio Universitatis unquam cessurum, sese publicis literis contestaturos. Admiserat id amicitiæ causâ Senatui Civico Universitas; atque mox ubi ad templi januam deventum, suam sub umbellam quatuor Facultatum Decani Imperatorem excepêre ad medium usque templi deductum, reductúmque. Impetrata subinde est ad Augustissimum ad-

missio-

missionis dies. 22. Augusti, qua in Comitatu Senatûs, Populíque Academici Rector Magnificus, Leonardus Milgiesser, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, Serenissimi Leopoldi Guilielmi Archiducis Medicus, perpolito Cæsarem salutavit sermone, oblatóque, per Societatis Jesu Patres conscripto, gratulationum libro, multa benevolentiæ contestatione, porrecta ad osculum manu, â Cæsare sunt dimissi.

Cæterùm Imperii clavam vix tenuerat Ferdinandus III. mox ejus auspiciis Confluentia cum Hermonstainio castro, virtute Joannis Werdtii, qui ex humili fortuna per omnes belli gradus ad supremam Præfecturam eluctatus est, Gallo-Suecis erepta; exercitu, quem ad solvendam obsidionem Meleander, Hassicarum capiarum Dux, adproperaverat, internecione deleto. Galli cum Suecis post leviores pugnas ultra Rheni litora in fugam acti; Banneri denique legiones ex multis cladibus vix aliqua sui parte superstites, totâ Pomeranianâ à Cæsarianis, Saxonicísque copiis sunt profligatæ.

Interea jus, nominatióque Senioris Facultatis Theologicæ turbarum aliquid in Universitate dederat; cùm enim jam in duodecimum ferè annum in nominando prædictæ Facultatis Seniore constitutio Ferdinandi II. Cæsaris, anno 1625. edita, observaretur, mox à morte ejusdem violari cæpit; dum scilicet neglectâ Facultatis Theologicæ nominatione Stephani Zwirschlagii, cui juxta Ferdinandeam ordinationem omnes conditiones pro Senioratu competebant, Consistorium Academicum, viâ facti (verba sunt Actorum Facultatis Theologicæ) Reverendum P. F. Sigismundum Ferrarium D. Dominici Familia Scripturæ sacræ Professorem non modò Seniorem Theologicæ Facultatis declaravit, sed & ad sessionem in Consistorio admisit. Reclamatum non semel adversùs eam juris, ex nuperna Cæsaris Ferdinandi II. constitutione aquisiti, violationem à Decano, Facultatéque Theologica; at silere jussus Deca-

 nus

nus; nihilque aliud à Rectore Magnifico datum Facultati responsi, *quàm se semel pro semper inhærere Sanctioni Pragmaticæ, vigore cujus Lector Scripturæ sacræ veteris Testamenti ab Universitate constitutus, absque ulla electione Theologicæ Facultatis, Senior sit in Consistorio, ac proinde non obstante protestatione, & rationibus Facultatis Theologicæ R. Patri Sigismundo Ferrario competere, & manere Senioratum Facultatis Theologicæ in Consistorio.* Minùs æquam eam sententiam, & Cæsareæ constitutioni adversam tametsi Facultas adverteret, ferenda tamen interea fuerat, dum sese occasio offerret, rem omnem ad Cæsarem deferendi: Et obtulerat se ea annis abinde quinque, anno nempe 1642. dum Scripturæ sacræ Professor è Dominicana Familia thesibus suis non nomen modò Senioris Consistorialis, quo officio, ùt Acta Theologica annotant, anno 1638. sese abdicârat, sed & *Primarii Theologiæ Professoris* nomen rursùm præfigeret; ut ergo radicitùs Controversia ea tolleretur, impetrati à Cæsare Commissarii, qui juxta Sanctionem Pragmaticam, literásque Ferdinandi II. superiùs recitatas, deciderent; at commissionem Suecorum in Austriam irruptiones turbavêre, ut re indecisa, interea sua in possessione sacræ Scripturæ Professor omnino permaneret.

Ab An. 1638 usque ad 1640.

RESpectare rursum belli fortuna Suecos annis hisce cæperat, securitate nimiâ victorias Catholicorum corrumpente; Nam ubi Cæsariani Weimarium Rheinfeldâ, quam facturus sibi ad obsidendum Brisacum viam, mense Januario anni 1638. cinxerat, multa, insignique clade depulissent, & ab ea illata hostibus clade securiùs, ac res bellica poscebat, agerent; ex improviso à Weimario circumventi, & majore etiam, quam nuper Suecis intulerant, clade affecti sunt; cæsis, captisque Cæsareorum plerisque, paucis fugâ dilapsis; captivos inter primarii Exercitûs Catholici

lici Duces, Joannes ipse Werdtius, & Enckevortius, Lutetias Parisiorum velut in triumphum ducti. Secundùm eam victoriam Rheinfelda, Castrum Rotelense, & Friburgum Brisgojæ hosti dedita; ipsum denique Brisacum post varia, & hostibus haud incruenta certamina à Weimario, Gallicis copiis, & fortunâ adjuto, non tam armis, quàm fame mense Decembri ejusdem anni expugnatum, quod subinde Gallis venditum, continuam ad invadendam Germaniam viam stravit, interea haud paulò feliciùs Gallasio res Cæsareas in Pomeraniana procurante. Anno altero, nempe 1639. mors Bernardi Weimariensis, Ducis omninò suo tempore strenuissimi, quam pestifero calore correptus, Neoburgi Alsatiæ 18. Julii obiit, Brisacíque, ùt jusserat, tumulatus erat, victoriæ instar haberi poterat, quòd ab ejus morte potentissimo hoste Cæsareus miles ad Rhenum esset solutus. Exercitus igitur ferè omnis in Bannerium, alterum Sueciarum Legionum Ductorem, conversus est; cui adeò feliciter cedebant omnia, ut vastatâ Saxoniâ, Marchiâ Brandeburgicâ, subactísque haud paucis in Silesia, Bohemiáque oppidis, Pragam jamjam obsidione tentaret; à quo tamen consilio, & hyems jam propinqua, & Pragensium præsidiariorum constantia Victorem Ducem absterrebat.

Eas in belli necessitates cum à Cæsare undique fierent exactiones, etiam ab Academicis gratuita in communem patriæ hostem postulata est contributio; vocati à Rectore Magnifico Doctores singuli, opem suam, nomináque cùm haud illiberaliter obtulissent, exactionem tamen eam adversùs Universitatis jura videri cùm dicerent, apud Augustum Cæsarem effectum, ne singuli quidquam conferrent, sed ex Facultum ærario postulata æris summa penderetur.

Sub his bello gestis præter quorundam funera Universitas haud quidquam memorandum habuit; Primum, quod Styrenses in superiori Austria mense Julio anno 1638. tumulo intulêre, erat Magnifici Universi-

 tati-

tatis in eum annum Rectoris, Magistri nempe Petri Hoffmani, Gamerae Aulicae nuper Secretarii, atque sub annum hunc, Styram ad Praefecturam rei ferrariae promoti. Parentatum ejus animae à Senatu, Populóque Academico solemnibus in Ecclesia Cathedrali exequiis, de laudibus defuncti P. Carolo Kuglman è Societate Jesu ad confertam concionem perorante. Ab ejus morte à Decano Facultatis Theologicae, tanquam Seniore Universitatis, convocatus Senatus Academicus, dictúsque dies eligendi novi Rectoris è Facultate Philosophica, qui id muneris ad consuetum usque mutationis terminum sustineret. Statuta electioni dies 6. Augusti, quo concordibus Procuratorum votis in Rectorem electus est idem, qui vices antehac absentis Hoffmani subierat, Clarissimus Dominus Siess, AA. & Philosophiae Doctor, ac ad D. Stephani Canonicus, jam tertiùm Universitatis Supremus Praeses.

Rectorem Magnificum secutus est anno eodem, die 26. Decembris Christianus Schäffler è Sterzinga Tyrolensis, Philosophiae quondam Magister, & Collegialis, deinde J. U. Doctor, & Regiminis inferioris Austriae Cancellarius, atque apud Universitatem per annos omnino viginti octo Superintendens Caesareus. Viro & consiliis suis, & pronis, pro Academiae incremento, studiis de Universitate praeprimis merito Senatus, Populúsque ibidem ad D. Stephanum & exequiis, & Oratione funebri justa persolvit. Superintendentis vices subire ab Aula jussus est Perillustris Georgius Pacher J. U. Doctor, Regimini itidem inferioris Austriae, & Archiduci Leopoldo à Consiliis intimis sex Stipendiatorum An. 1643. in morte Fundator. At, cùm ob gerendorum munerum copiam id officii constanter recusâsset; demum è propositis ab Universitate Candidatis 10. Maji anno 1640. Carolus Perger Philosophiae, & J. U. Doctor, Consiliariúsque Regiminis, Caesareus Superintendens est renunciatus.

Majori luctu anno subinde altero, scilicet 1639. non Universitas modò, sed Vienna omnis defleverat Gel-

fissimum suum Principem, & Episcopum Antonium de Wolffrath, inopina morte 1. Aprilis sublatum. Pari is quoque virtutis, sapientiæque gradu, quo decessor Melchior Kleselius, ad sum̃a dignitatis culmina est evectus. Coloniæ Agrippinæ anno 1582. natus, absolutísque ibidem mansuetioribus studiis Romæ in Germanicum, sub Societatis Jesu Patrum cura, Collegium receptus est: ubi ea præstantis ingenii cum commendatione studiis Theologicis incubuit, ut non modò primùm Theologica placita dum propugnaret, Purpuratos, summæquæ Doctrinæ Ecclesiæ Principes, Baronium, & Bellarminum Antagonistas magna laude sustinuerit, sed eas quoque voces vatidicas Bellarmino, Cardinalitium Galerum Antonii capiti imponenti, expresserit: *ne extollere, si aliquando similis pileus, & sors aqualis obtigerit.* Theologicâ subinde Romæ purpurâ ornatum cum summa quæque expectarent, is meliori actus spiritu, se se Cisterciensium in Familiam ad Sanctam Crucem inferioris Austriæ abdidit; Claram Vallem in Gallias inde ad probandam Religionem missus, votis jam adstrictus, Runense primùm in Styria incolere jussus; inde Hilariensis ejusdem Ordinis Monasterii Abbas effectus, tamdiu muneri ibi praeerat, dum defuncto Cremifanensi Abbate Alexandro, Cæsaris Matthiæ commendatione, ab ejus Monasterii Religiosis Antistes postularetur. Ad summa Aulæ quoque officia adhibitus à Ferdinando II. Supremus Cameræ Aulicæ Præses, Consilii intimi deinde Director, ac post navatam præclaram in reformanda Austria operam, anno 1631. Episcopus Viennensis renunciatus est. Cujus munificentiæ hodiernam Episcopalem Aulam Antistites debent, refertámque præstantissimis libris, ac præcipuè 28. voluminibus Manuscriptis, quibus Documenta rerum sub Rudolpho, Matthia, ac Ferdinando gestarum, etiam secretissima, continentur, Bibliothecam. Præripuit virum Cardinalitiæ dignitati, majoribúsque adhuc meritis præmatura mors, quam sanctè

Romam discessu Episcopatûs Viennensis Officialis Vicarius Generalis: qui posteaquam per Decretum Cæsareum Universitati de more pro Cancellario præpositus, & intimatus esset, Authoritate Apostolica per Celsissimum, & Reverendissimum Principem Antonium Episcopum Viennensem in Cathedrali D. Stephani Ecclesia feria 2da Pentecostes, præsente Rectore Magnifico, Senatu Populóque Academico, in Præpositum solemni ritu est inauguratus.

An. 1637.

Luctuosus sanè non Universitati modò, sed & Austriacis terris, atque orbi ipsi Christiano Annus hic illuxerat ex morte Augustissimi Cæsaris Ferdinandi II, quam, peractis ex sententia Comitiis Ratisbonâ Viennam 8. Februarii redux, decima quinta ejusdem, ipsâ tunc Dominicâ Sexagesimæ, sub horam nonam matutinam sanctissimè, posteaquam 58. annos, menses septem, dies ferè sex vixisset, obivit: Princeps nulli pietate, sapientiâ, vitæ sanctimoniâ, justitiâ, munificentiâ, regnandi artibus, rebúsque gestis secundus; Religionis præprimis Catholicæ Zelo maximus; cui non reductam modò mirâ, afflictissimam sæpe inter fortunam, constantiâ avitam, verámque Religionem Austriacæ Provinciæ, regnáque Lutheri erroribus potissimam partem antehac depravata, sed & Imperium eandem veteri in statu conservatam, auctámque debent. Vix adiit anno 15to. à morte Serenissimi Parentis Caroli Interiorum Austriæ Provinciarum Dominatum, cùm cura rerum omnium prima conceptum Lauretana in domo Sacramentum, quo sese vel cum vitæ discrimine hæresim è Styria, Carinthia, Carniolia ejecturum obstrinxerat, exequi; nec rationibus ullis, periculísque à Sanctissima sententia sese dimoveri passus est, dum Provincias suas Interiores ferè ex integro iterum Catholicas conspiceret. Austriam, Bohemiámque hæres adiens, seditiones, extremáque priùs ferebat

bat discrimina, quàm libertatem Confessionis Augustanæ à Maximiliano II, patruo primùm concessam, ac à Rudolpho, Matthiáque permissam, confirmaret. Devictis autem ad Albos Montes Seditiosorum turmis, fugatísque Tumultuantiũ Authoribus, non jam hæreditario solùm, sed vel armorum quoque jure Bohemiam suam, Austriámque invictâ constantiâ, clementiâque Catholicam effecit; útque in Imperio avita Religio restitueretur, Mandato jussit: bona illa, quæ post Pacem Passaviensem nullo jure heterodoxi occupâssent, Ecclesiasticis redderentur; nec legis gratiâ iis quidem factâ, qui hactenus Cæsaris partes secuti fuissent. Ut haud immeritò Carolus Caraffa ad Aulam Cæsaream per annos eos Nuncius, qui res pro Religione sub Ferdinando gestas, Commentariis publicis, complexus est, affirmare non dubitârit: *post Constantinum, Carolúmque Magnum non fuisse Imperatorem, cui res Catholica plus, quàm Ferdinando II. debeat.* Certè passim voces illæ à Religiosissimo Cæsare audiebantur: *malle se Provinciis, Regnisque decedere: solâ aquâ, & pane mendicato vitam trahere: solum cum conjuge, & liberis vertere; corpus in frusta concidendum dare &c. quàm ullam amplificandæ, reducendæque Orthodoxæ Fidei occasionem dimittere.* Huc infiniti propemodùm sumptus spectabant, quibus Religionem, & cum bonarum artium studio pietatem ibat promotum; operosum foret inire numerum domorum, donationúmque, quas ille aut religiosis, aut studiosæ juventuti alendis constituit, aut Facultatibus auxit: suos ille parochiis Catholicos restituit Pastores; sua Ecclesiasticis jura: in Austriam, aliásque hæreditarias Provincias Clericos Regulares S. Pauli; Camaldulenses; S. Francisci de Paula Monachos; Carmelitas Excalceatos utriusque sexûs; Benedictinos è Monte Serrato; S. Augustini reformatos Eremitas; Congregationis Hibernicæ Franciscanos induxit, aut inductos nulla non ope adjuvit. Sola omninò Jesu Societas undecim Cle-

mentiſſimo Cæſari debet noviter fundata, aut aucta domicilia: Viennenſe primò ſuum Academicum Collegium, cum ædificata à fundamentis hodierna in honorem SS. Ignatii, & Xaverii Eccleſia: Profeſſorum Domos binas, Viennæ unam, Pragæ alteram; Probationis Viennæ, Brunæ, & Leobii; Collegia reliqua, nempe Labaci in Carniolia, Clagenfurti in Carinthia, Goritiæ in Foro Julio, Kutenbergæ, & Litomericii in Bohemia; Glagoviæ in Sileſia. Nec Societatis Domus ferè ulla per Auſtriacam Provinciam, cui munificentia Cæſaris ære, fundíſque non ſubveniſſet. At verò haud minor Cæſaris in literas, literatóſque cura, quas pariter cum Religionis ſtudio ibat promotum; quandoquidem, & utriusque amorem altè à teneris imbiberat, noverátque Religionem à ſana literarum doctrina fulciri; eum in finem Societatis Jesu Scholas Viennæ, Pragæque Univerſitatibus univit, nováque reſtauravit Sanctione, ex qua utrobique ea literarum ſtudia ſumpsêre incrementa, quibus florentiſſimam etiamnum utramque intuemur; Viennæ itidem, Pragæ, Græcii, Clagenfurti, Labaci, Olomucii, Tyrnaviæ, Gitzini domos aut erexit, aut ditavit, in quibus partim nobiles, patim inferiori Domo nati adoleſcentes pietate, & literis imbuerentur. Quid, quòd vel Ferdinandus ipſe maximum literis pretium, honóſque a dum iis quinquennio integro poſt privatos aulæ Græcenſis parietes publica Ingolſtadienſi in Univerſitate eſſet excultus, Græciúmque reverſum Archiducem Academicus Ingolſtadienſis Senatus eo comitatus eſt elogio: *Ferdinandus Archidux Ingolſtadium venit Grammaticus; Græcium redit Orator Eloquens, Mathematicus accuratus, Philoſophus politices præclarus, Juſtinianus peritus.* Infinitus forem, ſi de ſingulari in Deum, cælitéſque pietate, ob quam & Virgo ſacratiſſima Swicardo Monguntino Antiſtiti, ut Ferdinandum in Romanorum Imperatorem conſtanter deligeret, autrix; & pendens è Crucis ſimulacro Salvator

iis

iis verbis: *Ferdinande non te deseram*, solatus fuisse, fertur; si de singulari clementia, qua non populum modò subjectum, etiam acatholicum, sed & hostes complexus est; si de profusa in bonos omnes munificentia; si de inaudita secundam inter fortunam modestia, atque inter adversam, qua vitæ ferè totius cursu jactabatur, animi constantia; si denique de singulis Imperatoriis virtutibus referrem singula: complexus est eas Epitome P. Guilielmus Lamormaini sanctissimo Cæsari à confessionibus, & Kevenhillerus in Annalibus suis Ferdinandeis. Quò sanè haud mirum videri possit, tantas Ferdinandi virtutes, tot laurearum adversùs Religionis hostes conjuratos, fuisse feraces: ut demum & Regna, Provinciásque hæreditarias ex integro rursum veteri fidei restitutas, & tam numerosis hostibus superiorem se cernens, haud immeritò accinuerit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.* Tam præclarè igitur de Imperio, de Provinciis, de Religione, de Literis, de bonis omnibus merito Principi certatim undique, etiam ab ipsis hostibus, justis laudibus, sincero luctu, verísque lachrymis parentatum. Nulla enim per Austriacas ditiones Ecclesia; Religiosorum cætuum familia nulla; nulla literarum odæa, Gymnasiáve, â quibus fautori optimo posthuma doloris memoria habita non esset. Ab Universitate præcipuè Viennensi, Academicóque Societatis Jesu Collegio, erecto in æde D. Stephani, & ejusdem Collegii Ecclesia justi doloris castro, ibi 13tia Martii, hic 3tia Aprilis; utrinque laudes funebres Societatis Jesu Doctore perorante; ad D. quidem Stephanum coram Gelsissimo Principe, & Episcopo Viennensi, Senatu Academico, Civicóque, P. Carolus Mussart, S. Scripturæ Professor publicus, *de pietate Cæsaris in vita, & morte*, in Academico autem Societatis Collegio P. Gualterus Paulli, Theologiæ Professor, & Facultatis ejusdem Decanus disserebat: *Num sperari possit, futurum, ut Cæsari Ferdinando II. Sanctorum*

 honores

honores decernerentur? A morte sanctissimi Principis, quemadmodum testamentô caverat, corpus, excisúmque cor Græcium deportata; illud ponè conjugem primam, Mariam Annam Bavaram, in Mausolæo Græcensi, apud Societatis Patrum Ecclesiam, quod à Ferdinando adhuc Archiduce cæptum, eam inde, in qua hodie visitur, in magnificentiam assurrexit: hoc ad Matrem in D. Claræ Sanctimonialium sacra æde compositum.

Temperaverat justissimum Provinciarum dolorem, Viennensiúmque desideria, quòd in Ferdinando III. Augustissimo Filio, nuper felicibus auspiciis in Romanorum Regem inaugurato, & à morte Patris Romanorum Imperatore, etiamnum viveret Ferdinandus II. Ne tamen novum Principem lætitiâ illâ, apparatúque, quo destinaverat, Vienna ex Comitiis Ratisbonensibus 22. ejusdem mensis Februarii reducem, exciperet, recèns luctus inhibuit. Dilatos igitur festos honores oportuit, dum haud paulò post à morte Parentis Pragam profectus, atque inde 10. Julii Viennam rediret. Novissimam multo auro, phrygióque labore divitem eam in rem umbellam Magistratus Civicus curaverat, sub qua à Rubra Porta ad cæmeterium usque D. Stephani Augustissimum Impetatorem deduceret; àt quoniam certis de causis ad templum usque S. Stephani curru invehi Augustissimo placuit; ne sua Cives cum umbella obsequiis excluderentur, apud Rectorem Magnificum, Senatúmque Universitatis intercesserunt: sibi id gratiæ præstarent, ut à prima cæmeterii porta ad templi usque januam Cæsarem deducere liceret; neque id præjudicio Universitatis unquam cessurum, sese publicis literis contestaturos. Admiserat id amicitiæ causâ Senatui Civico Universitas; atque mox ubi ad templi januam deventum, suam sub umbellam quatuor Facultatum Decani Imperatorem excepêre ad medium usque templi deductum, reductúmque. Impetrata subinde est ad Augustissimum ad-

missio-

missionis dies. 22. Augusti, qua in Comitatu Senatûs, Populíque Academici Rector Magnificus, Leonardus Milgiesser, Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, Serenissimi Leopoldi Guilielmi Archiducis Medicus, perpolito Cæsarem salutavit sermone, oblatóque, per Societatis Jesu Patres conscripto, gratulationum libro, multa benevolentiæ contestatione, porrecta ad osculum manu, â Cæsare sunt dimissi.

Cæterùm Imperii clavam vix tenuerat Ferdinandus III. mox ejus auspiciis Confluentia cum Hermonstainio castro, virtute Joannis Werdtii, qui ex humili fortuna per omnes belli gradus ad supremam Præfecturam eluctatus est, Gallo-Suecis erepta; exercitu, quem ad solvendam obsidionem Meleander, Hassicarum capiarum Dux, adproperaverat, internecione deleto. Galli cum Suecis post leviores pugnas ultra Rheni litora in fugam acti; Banneri denique legiones ex multis cladibus vix aliqua sui parte superstites, totâ Pomeranianâ à Cæsarianis, Saxonicísque copiis sunt profligatæ.

Interea jus, nominatióque Senioris Facultatis Theologicæ turbarum aliquid in Universitate dederat; cùm enim jam in duodecimum ferè annum in nominando prædictæ Facultatis Seniore constitutio Ferdinandi II. Cæsaris, anno 1625. edita, observaretur, mox à morte ejusdem violari cæpit; dum scilicet neglectâ Facultatis Theologicæ nominatione Stephani Zwirschlagii, cui juxta Ferdinandeam ordinationem omnes conditiones pro Senioratu competebant, Consistorium Academicum, viâ facti (verba sunt Actorum Facultatis Theologicæ) Reverendum P. F. Sigismundum Ferrarium è D. Dominici Familia Scripturæ sacræ Professorem non modò Seniorem Theologicæ Facultatis declaravit, sed & ad sessionem in Consistorio admisit. Reclamatum non semel adversùs eam juris, ex nuperna Cæsaris Ferdinandi II. constitutione aquisiti, violationem à Decano, Facultatéque Theologica; at silere jussus Decanus

nus; nihílque aliud à Rectore Magnifico datum Facultati responsi, *quàm se semel pro semper inhærere Sanctioni Pragmaticæ, vigore cujus Lector Scripturæ sacræ veteris Testamenti ab Universitate constitutus, absque ulla electione Theologicæ Facultatis, Senior sit in Consistorio, ac proinde non obstante protestatione, & rationibus Facultatis Theologicæ R. Patri Sigismundo Ferrario competere, & manere Senioratum Facultatis Theologicæ in Consistorio.* Minùs æquam eam sententiam, & Cæsareæ constitutioni adversam tametsi Facultas adverteret, ferenda tamen interea fuerat, dum sese occasio offerret, rem omnem ad Cæsarem deferendi: Et obtulerat se ea annis abinde quinque, anno nempe 1642. dum Scripturæ sacræ Professor è Dominicana Familia thesibus suis non nomen modò Senioris Consistorialis, quo officio, ùt Acta Theologica annotant, anno 1638. sese abdicarat, sed & *Primarii Theologiæ Professoris* nomen rursùm præfigeret; ut ergo radicitùs Controversia ea tolleretur, impetrati à Cæsare Commissarii, qui juxta Sanctionem Pragmaticam, literásque Ferdinandi II. superiùs recitatas, deciderent; at commissionem Suecorum in Austriam irruptiones turbavêre, ut re indecisa, interea sua in possessione sacræ Scripturæ Professor omnino permaneret.

Ab An. 1638 usque ad 1640.

RESpectare rursùm belli fortuna Suecos annis hisce cæperat, securitate nimiâ victorias Catholicorum corrumpente; Nam ubi Cæsariani Weimarium Rheinfeldâ, quam facturus sibi ad obsidendum Brisacum viam, mense Januario anni 1638. cinxerat, multa, insignique clade depulissent, & ab ea illata hostibus clade securiùs, ac res bellica poscebat, agerent; ex improviso à Weimario circumventi, & majore etiam, quam nuper Suecis intulerant, clade affecti sunt; cæsis, captísque Cæsareorum plerisque, paucis fugâ dilapsis; captivos inter primarii Exercitûs Catholici

lici Duces, Joannes ipse Werdtius, & Enckevortius, Lutetias Parisiorum velut in triumphum ducti. Secundùm eam victoriam Rheinfelda, Castrum Rotelense, & Friburgum Brisgojæ hosti dedita; ipsum denique Brisacum post varia, & hostibus haud incruenta certamina à Weimario, Gallicis copiis, & fortunâ adjuto, non tam armis, quàm fame mense Decembri ejusdem anni expugnatum, quod subinde Gallis venditum, continuam ad invadendam Germaniam viam stravit, interea haud paulò feliciùs Gallasio res Cæsareas in Pomeraniana procurante. Anno altero, nempe 1639. mors Bernardi Weimariensis, Ducis omninò suo tempore strenuissimi, quam pestifero calore correptus, Neoburgi Alsatiæ 18. Julii obiit, Brisacique, ùt jusserat, tumulatus erat, victoriæ instar haberi poterat, quòd ab ejus morte potentissimo hoste Cæsareus miles ad Rhenum esset solutus. Exercitus igitur ferè omnis in Bannerium, alterum Sueciarum Legionum Ductorem, conversus est; cui adeò feliciter cedebant omnia, ut vastatâ Saxoniâ, Marchiâ Brandeburgicâ, subactisque haud paucis in Silesia, Bohemiáque oppidis, Pragam jamjam obsidione tentaret; à quo tamen consilio, & hyems jam propinqua, & Pragensium præsidiariorum constantia Victorem Ducem absterrebat.

Eas in belli necessitates cum à Cæsare undique fierent exactiones, etiam ab Academicis gratuita in communem patriæ hostem postulata est contributio; vocati à Rectore Magnifico Doctores singuli, opem suam, nomináque cùm haud illiberaliter obtulissent, exactionem tamen eam adversùs Universitatis jura videri cùm dicerent, apud Augustum Cæsarem effectum, ne singuli quidquam conferrent, sed ex Facultum ærario postulata æris summa penderetur.

Sub his bello gestis præter quorundam funera Universitas haud quidquam memorandum habuit; Primum, quod Styrenses in superiori Austria mense Julio anno 1638. tumulo intulêre, erat Magnifici Universi-

tatis in eum annum Rectoris, Magistri nempe Petri Hoffmani, Gamerae Aulicae nuper Secretarii, atque sub annum hunc, Styram ad Praefecturam rei ferrariae promoti. Parentatum ejus animae à Senatu, Populóque Academico solemnibus in Ecclesia Cathedrali exequiis, de laudibus defuncti P. Carolo Kuglman è Societate Jesu ad confertam concionem perorante. Ab ejus morte à Decano Facultatis Theologicae, tanquam Seniore Universitatis, convocatus Senatus Academicus, dictúsque dies eligendi novi Rectoris è Facultate Philosophica, qui id muneris ad consuetum usque mutationis terminum sustineret. Statuta electioni dies 6. Augusti, quo concordibus Procuratorum votis in Rectorem electus est idem, qui vices antehac absentis Hoffmani subierat, Clarissimus Dominus Siess, AA. & Philosophiae Doctor, ac ad D. Stephani Canonicus, jam tertiùm Universitatis Supremus Praeses.

Rectorem Magnificum secutus est anno eodem, die 26. Decembris Christianus Schäffler è Sterzinga Tyrolensis, Philosophiae quondam Magister, & Collegialis, deinde J. U. Doctor, & Regiminis inferioris Austriae Cancellarius, atque apud Universitatem per annos omnino viginti octo Superintendens Caesareus. Viro & consiliis suis, & pronis, pro Academiae incremento, studiis de Universitate praeprimis merito Senatus, Populúsque ibidem ad D. Stephanum & exequiis, & Oratione funebri justa persolvit. Superintendentis vices subire ab Aula jussus est Perillustris Georgius Pacher J. U. Doctor, Regimini itidem inferioris Austriae, & Archiduci Leopoldo à Consiliis intimis sex Stipendiatorum An. 1643. in morte Fundator. At, cùm ob gerendorum munerum copiam id officii constanter recusâsset; demum è propositis ab Universitate Candidatis 10. Maji anno 1640. Carolus Perger Philosophiae, & J. U. Doctor, Consiliariúsque Regiminis, Caesareus Superintendens est renunciatus.

Majori luctu anno subinde altero, scilicet 1639. non Universitas modò, sed Vienna omnis defleverat Gel-

fiffimum fuum Principem, & Epifcopum Antonium de Wolffrath, inopina morte 1. Aprilis fublatum. Pari is quoque virtutis, fapientiæque gradu, quo deceffor Melchior Klefelius, ad fuma dignitatis culmina eft evectus. Coloniæ Agrippinæ anno 1582. natus, abfolutisque ibidem manfuetioribus ftudiis Romæ in Germanicum, fub Societatis Jesu Patrum cura, Collegium receptus eft: ubi ea præftantis ingenii cum commendatione ftudiis Theologicis incubuit, ut non modò primùm Theologica placita dum propugnaret, Purpuratos, fummæquæ Doctrinæ Ecclefiæ Principes, Baronium, & Bellarminum Antagoniftas magna laude fuftinuerit, fed eas quoque voces vatidicas Bellarmino, Cardinalitium Galerum Antonii capiti imponenti, expreſſerit: *ne extollere, fi aliquando fimilis pileus, & fors æqualis obtigerit.* Theologicâ fubinde Romæ purpurâ ornatum cum fumma quæque expectarent, is meliori actus fpiritu, fe fe Ciftercienfium in Familiam ad Sanctam Crucem inferioris Auftriæ abdidit; Claram Vallem in Gallias inde ad probandam Religionem miffus, votis jam adftrictus, Runenfe primùm in Styria incolere juffus; inde Hilarienfis ejusdem Ordinis Monafterii Abbas effectus, tamdiu muneri ibi præerat, dum defuncto Cremifanenfi Abbate Alexandro, Cæfaris Matthiæ commendatione, ab ejus Monafterii Religiofis Antiftes poftularetur. Ad fumma Aulæ quoque officia adhibitus à Ferdinando II. Supremus Cameræ Aulicæ Præfes, Confilii intimi deinde Director, ac poft navatam præclaram in reformanda Auftria operam, anno 1631. Epifcopus Viennenfis renunciatus eft. Cujus munificentiæ hodiernam Epifcopalem Aulam Antiftites debent, refertámque præftantiffimis libris, ac præcipuè 28. voluminibus Manufcriptis, quibus Documenta rerum fub Rudolpho, Matthia, ac Ferdinando geftarum, etiam fecretiffima, continentur, Bibliothecam. Præripuit virum Cardinalitiæ dignitati, majoribúsque adhuc meritis præmatura mors, quam fanctè ut

ùt vixerat, anno ætatis 58. oppetiit. Triduanas ad D. Stephanum exequias Universitas invitata condecoravit; Academicorum nomine Celsissimum Principem Oratione soluta, ligatáque P. Martino Klingenberger è Societate Jesu die exequiarum tertia deplorante.

Auctam novâ Principis Imperii dignitate Sedem Antonius Philippo Friderico è Comitibus de Breüner Canonico, Suffraganeo Olomucensi reliquerat, in quam, jam Authoritate Apostolica confirmatus, 26. Decembris ejusdem anni, ipso scilicet D. Stephani Cathedralis Ecclesiæ Patroni die, solemni ritu est inductus, Senatu, Populóque Academico suis in subselliis novo Urbis Episcopo prima honoris obsequia deferente.

An. 1640.

Effecêre fortunati Superioribus duobus annis hostium progressus, ut Cæsar anno hoc & bellum acrius susciperet, & reducendæ in Germaniam pacis consilia, postulante id per suum Oratorem sumo Pontifice, majori contentione agitaret. Indicta igitur sub mediam æstatem Ratisbonam Imperii Comitia, in quibus de reducenda pace tractaretur; Exercitui Cæsareo, cujus præfecturâ, post toties adversam belli fortunam, sese Gallasius abdicârat, summa cum potestate præesse jussus Imperatoris frater, Leopoldus Guilielmus, Episcopus Passaviensis, adjunctis, qui Archiduci à Consiliis, & armorum Imperio essent, Octavio Piccolomineo, & Melchiore Hazfeldio. Et feliciùs omnino cessêre belli, quàm pacis consilia; profecto enim ad Ratisbonensem Conventum Cæsare, tametsi Electores per se, aut Oratores suos adessent, ac in alterum usque annum pacis rationes agitarent; hostium tamen protervia pacem frustravit. Dum interea lustrato ad Taborem in Bohemia exercitu, ubi in Bannerium motum, cæsæ primùm funditùs decem hostilium equitum turmæ, inde Colino, Regio-Græcio, Glumisia, Leutmerizio, Brandisio, atque totâ Bohe-

miâ

miâ Bannerius suis cum copiis exactus, in Thuringicis, Brunsvicensibúsque hybernis Bohemiam respectavit. Ad Rhenum quoque non infeliciter res adversùm Weimarianos gestæ; ipso Königsmarchio, qui à morte Weimariensis Ducis præfecturam susceperat, totâ Franconiâ, Bavarorum, Saxonúmque viribus ejecto.

Ut Divinum fortunatos in bellorum, pacisve eventus placaretur Numen, ipsam ante armorum, Comitiorúmque expeditionem, indictæ ad D. Stephani 40. horarum preces, quas pondus habuisse victricia per Bohemiam Cæsaris arma docuêre. Distributæ Ordinibus singulis horæ, Senatui præcipuè, Populóque Academico: initium comprecationis ante velatum sub pane Deum factum 25. Aprilis, duæ in dies Academicis destinatæ horæ; matutinum sub tempus ab hora nona ad decimam, post meridiem verò à tertia ad quartam usque. Diei primæ hora matutina Rectori Magnifico, Senatuíque Consistoriali; pomeridiana Decano, Facultatíque Theologicæ attributa; binæ diei secundæ binis Facultatibus Juridicæ, & Medicæ obvenêre; ad diei tertiæ horam matutinam Facultas Philosophica; ad pomeridianam Pro-Decanus cum Rhetoribus, & Poëtis comparere jussi. Tum, ubi ultimâ horâ pietati finis imponendus erat, Universus Senatus, Populúsque Academicus longo ordine, quinque Sceptra Pedellis præferentibus, ad eandem ædem processerat, Augustissimo ipso Cæsare cum Aulæ comitatu, à Rectore Magnifico invitato, magno pietatis sensu Devotionem eam claudente.

Dum hæc pro pace, salutéque Patriæ aguntur, anno demum hoc altiùs simultatum, controversiarúmque flamma, quæ à morte Ferdinandi II. Senatum inter Academicum, & Societatis JESU Collegium enascebatur, erupit. Causa ferè Jurisdictio in Studiosos Societatis Scholas adeuntes, quam Rector Magnificus sibi majorem adversùs Sanctionem Pragmaticam arrogabat, fuit. Cùm enim annis hisce haud paucæ à

tenuioris fortunæ Scholaribus concitatæ essent rixæ, concussiones, nocturni tumultus, & præ primis nuperrimè Judæorum vexatio: rem non modò Senatus Academicus ad Commissarios Cæsareos, atq ue inde ad Excelsum Regimen detulit, invidiam omnem in Societatis JESU Collegii Superiores conjiciens, sed & facto ipso Jurisdictionem in Societatis Studiosos exercere occepit, conjectis, inconsulto Collegii Rectore, non semel in carceres, vocatísque ad quæstionem iis, qui rei deferebantur. Adversùm ea tunc quidem haud aliud à Societatis JESU Collegii Rectore actum, quàm, quòd se ab objectis in Decreto Excelsi Regimidis purgaret, ostenderétque ex Sanctione Pragmatica, qua ratione Rectori Magnifico jus in Scholares Societatis couveniret, recitato illo ex §. 2. Num. 3. *Eidem Reverendo Patri Rectori omnis Cura Disciplinæ, totáque correctio Studiosorum Scholariúmque, qui Reverendorum Patrum Lectiones audiunt, aut in Seminariis degunt, adeóque omnis ea authoritas, quam in illos habuit ante unionem, relinquatur: Si quis tamen contra Studiosorum præfatorum aliquem lege, & judicialiter volet agere, remittetur ad tribunal Magnifici D. Rectoris, qui omnes causas, & querelas de talibus ad sese delatas ad R. P. Rectorem diriget, primò sine strepitu judicii componendas; & actiones hujusmodi ad tribunal contentiosum non prius recipiet, quàm ex R. P. Rectore Collegiii intellexerit, causam, & negotium aliter, quàm viâ juris componi non potuisse.*

At non acquievit Societatis Juri Rector Magnificus Joannes Bāptista Pinelli, Philosophiæ, & U. J. Doctor, Excelso Regimini à Consiliis, Programmate in nocturnos Scholasticos Grassatores, etiam eos, quos Sanctio Pragmatica immediatè Societati subjicit, ad Collegii portam affigi jusso. Paucis inde diebus, quòd Collegii Rector Philosophiæ Auditores duos, attentati duelli reos, Scholis ejecisset, ne jurisdictionem Socie-

tatis

tatis agnoſcere videretur, adversùm Sanctionem Pragmaticam, quâ expreſsè §. 2. N. 6. cavetur; *ne excluſi è Societatis Scholis ad Studium Juridicum, Medicúmque admittantur*, triduano priùs carcere caſtigatis, ultrò poteſtatem adeundi Scholas Juridicas fecit. Neque hìc adhuc Academicorum in Societatem conatus ſtetit; ſed conſcripto exaggeratis rationibus, querelísque libello, Univerſitatis nomine, à Cæſare flagitandum putavêre, ut omnem ſibi in omnes tam Patrum, quàm alios diſcipulos jurisdictionem non civilem minùs, quàm criminalem, abſque ullo à Collegii Rectore dependentia, comitteret; tum enimverò Univerſitatem omni curâ invigilaturam quieti publicæ, ut omnis querelarum quarumcúnque fibra radicitùs præcidatur. Porrectus tamen libellus ille Cæſari non eſt, ſed ad Aulæ ſolùm Cancellarium delatus; jactatum tamen paſſim malevolorum famâ: futurum certò, ut Ferdinandus III. Sanctionem Pragmaticam à Ferdinando II. erectam reſcinderet. Erat ſub annum hunc Collegio Societatis JESU regendo R. P. Guilielmus Lamormaini, nuper Ferdinando II. à ſacris Confeſſionibus, iteratò admotus; qui, ut controverſiarum, rumorúmque finem faceret, procurato ſibi libelli ſupplicis Univerſitatis exemplo, Cæſarem, priuſquam ad Ratisbonenſia Comitia abiret, quæ in Societatem cuderentur, edocet, ac juxta in memoriam revocat benigniſſimam promiſſionem illam, quâ jam ab Imperii ſui initiis Sanctionem Pragmaticam piiſſimi Progenitoris ſe confirmaturum magna animi propenſione receperat. Annuit Collegii Rectoris poſtulato Clementiſſimus Imperator, & ſubſcriptum 4. Maji anni hujus 1640. quo Sanctionem Pragmaticam in omnibus confirmat, ejusdémque ſtrictiſſimam obſervationem injungit, utrique Rectori, Univerſitatis nimirum, & Collegii, Decretum transmitti curat, cujus tenorem ad calcem Sanctioni Pragmaticæ annexam recitamus.

At novæ

At novæ rurſum inde turbæ. Nam ubi P. Collegii Rector libello ſupplici ad Cæſarem retuliſſet: videri ad reſecandas impoſterum controverſias, ampliorémque, quid Univerſitas, quid Collegium Academicum juris habeat, notitiam neceſſarium, ut Sanctio Pragmatica Ferdinandi II, Suæque Majeſtatis Confirmatio typis excuderentur, pluriúmque, quorum intereſt, ad manus habeatur; facultatem haud gravatè obtinuit, Cæſare ipſo ad libellum ſupplicem in hæc verba ſubſcribente: *poſſunt inprimi in hoc memoriali nominata inſtrumenta. Ferdinandus.* Et ſudabant jam mediam ferè partem, ab ea facta poteſtate, laudata inſtrumenta ſub prælo; cùm Rector Magnificus rem ſubodoratus, exemplaria omnia eò uſque excuſa auferri Typographo, húncque cuſtodiæ tradi, jùbet ea de cauſa: quòd ſibi de profecta à Cæſare poteſtate haud quidquam conſtaret; nec liceret, Rectore Magnifico non approbante, quidquam typis in lucem vulgari. Aberat tum jam Imperator Ratisbonæ; quare, ne vel authoritati Cæſareæ, vel juri ſuo quidquam officeret Collegii Rector, conſuluit Sanctioris Conſilii, cui gubernatio Auſtriæ in abſentia Cæſaris incumbebat, Præſidem, Chriſtophorum Comitem Kevenhillerum: Rectoríne Magnifico conceſſio Cæſareâ manu ſcripta ſit exhibenda? vetuit ille exhiberi eam vel Rectori Magnifico, vel Senatui Academico; ſed illâ inſpectâ, quem à Secretis habebat, Carolum Gattermayr, ad Rectorem Magnificum ablegans nunciat; ne impediret Collegii Rectorem in dictorum inſtrumentorum impreſſione; ſcire ſe etenim id Imperatorem velle, ut illa typis vulgentur. At ne his quidem imperiis acquievit Rector Magnificus, ad ipſum Cæſarem ſeſe recurſurum potiùs, reſpondens, quàm non traditâ ſuas in manus licentiâ Cæſareâ poteſtatem inſtrumenta excudendi faceret. Diſplicuit ea tergiverſatio Excellentiſſimo Comiti, & pro ſuâ Authoritate Exemplaria detenta extorqueri jamjam paraverat; cùm

commo-

commodùm Joannes Pinelli Officio suo abierat, substituto ex Suffragiis Academicorum, Excellenti Domino Guilielmo Managetta, à quo Fasces adeunte non modò Instrumenta restituta, publicatáque sunt, sed simultates omnes cum Academico Societatis Jesu Collegio terminatæ, conquievêre.

Novum anno hoc adepta est Universitas Cancellarium, Amplissimum Joannem Augustinum Zwerger, Philosophiæ, & J. U. Doctorem, Logicæ quondam in Academia stipendiatum Professorem, nuper ad Præpositi Cathedralis Ecclesiæ dignitatem authoritate Cæsarea evectum: posteaquam nempe Reverendissimus Tobias Schwab, & dignitatibus illis, & vivis 1. Februarii anni præsentis, excessisset.

Eo quoque titulo Domui Austriacæ felix annus isthic, quòd Ferdinando Cæsari ex Maria Hispana 5. Idus Junii in festo Primi, & Feliciani, faustissimorum nominum die, horâ quartâ matutinâ Viennæ natus sit magnus olim, & felicissimus futurus Imperator Leopoldus; eadem die ab Episcopo Viennensi Philippo Friderico è Comitibus de Breüner sacris undis ablutus, ùt Urbem Viennensem, ita absentem Ratisbonæ Cæsarem Parentem, & ingentibus spebus, & lætitiâ recreabat.

An. 1641.

ADerat etiamnum Comitiis Ratisbonensibus Cæsar, cùm Bannerius per hyberna Brunsvicensia novis copiis auctus primo Vere per Thuringiam, Misniámque in Palatinatum Superiorem sese effundens, occupato Chamo, aliísque Oppidis Regionem Universam cædibus, ac rapinis devastabat; inde Legionum partem ad ipsa Ratisbonensia mœnia promovet, Cæsarem, congregatósque pacis studio Imperii Ordines procul dubio intercepturus, si omissis populationibus, integras Exercitûs Vires uni Urbi, nondum ad obsidionem sustinendam providæ, impendisset. At, dum

moras

moras nectit, Piccolomineus in Schlangii Suecici Ducis copias, quas ad Neoburgum habebat, invectus, quatuor millia, sed exercitatissimorum militum, ad unum internecione delet, Schlangio ipso, Marchione Durlacensi, Kinskio, cæterisque Ducibus, ac Tribunis Ratisbonam in triumphum abductis. Fugâ post eam cladem Bannerius in inferiorem Saxoniam dilapsus, haud diu pòst, X. nempe Calendas Junii, Halberstadii arma, & vitam militarem posuit.

Hostili ea iterum in Imperium irruptione, cùm hostes satìs ostenderent, quæ eis ad arma ponenda mens, animúsque foret, omissis Ratisbonæ pacis tractatibus, de continuando, promovendóque bello actum quidem, sed sub autumnum haud magno operæ pretio ex Conventu discessum. Excepit reducem Vienna Imperatorem 23. Octobris multis gratulationibus, ac more aliàs usitato.

Interea dum Cæsar Ratisbonæ adesset, Viennæ solemnitatem festi Pentecostes, ac subsequam inde supplicationem Theophoricam præsentiâ suâ, publicáque pietate Augusta Eleonora Vidua, Archidux Leopoldus Guilielmus Supremus Cæsarei exercitus Præfectus, Dux Lotharingiæ Nicolaus Franciscus, cum lectissima Conjuge, ornavêre. Aderat & more usitato die illo à prandiis decantatis vesperis, sermoníque Academico de S. Spiritu, Senatus Populúsque Academicus, sub quibus cùm cæterarum Facultatum Decani, proximum à Theologico locum ante alios ejusdem Doctores primo in Subsellio occuparent, res ad controversiam non levem spectabat; sed authorum ipsorum arbitrio facilè terminatam, ultro fatentium: nihil sibi in eum locum juris esse, quòd eam solennitatem Theologica duntaxat Facultas adornaret; nec errore se fuisse lapsuros, si perspectam ampliùs rei æquitatem habuissent.

Itaque ut erroribus ejusmodi caveretur, procedendi, præcedendíque ordinem in Actibus, & Conscessi-

ſeſſibus publicis, juxta Univerſitatis Statuta, obſervatáſque hactenus conſuetudines, deſcribendum ſuſcepit Magnificus Rector Guilielmus Managetta, Facultatum Senioribus in laboris partem vocatis: hunc non multò poſt in certa diviſum capita, probatúmque à Senatu Academico publicæ lucis fecit, miſſis ad Facultates ſingulas aliquot exemplaribus. Oppugnârunt nonnihil eum ordinem Societatis JESU Doctores; utpote non conſulto Rectore Collegii confectum, & pauca quædam cum Pragmatica Sanctione pugnantia continentem. Acquievêre tamen pacis ſtudiò, ea ſolùm adjecta proteſtatione: *In quantùm Sanctioni Pragmaticæ, & acquiſito per eam Societatis Juri non adverſaretur.* Libuiſſet in Academicorum gratiam, quoniam pluribus ad manus non eſt, ordinem illum conſpectui noſtro inſerere, niſi amplior operis moles obſtaret.

Illuſtravit anno hoc Univerſitatem, acceſſione ſua ad Facultatem Theologicam, Reverendiſſimus D. F. Benedictus de Pennaloſa Mondragon, Ordinis S. Benedicti de Monte Serrato, Cœnobii ejusdem Familiæ Pragæ in Emmaus, & alterius nuper anno 1633. à Ferdinando II. Cæſare extra Scotenſem portam fundati, Abbas vigilantiſſimus. Creatus is erat Hiſpalenſi in Academia, jam 27. ante annos Theologiæ Doctor, eandémque in Monſerratenſi Hiſpaniæ Monaſterio annis compluribus profeſſus eſt. Profectus inde in Orientales Indias, annis 12. ſalutis animarum procurandæ operam impendit. Inde redux coronam auream, pretioſiſſimis gemmis ornatam, Philippo IV. Hiſpaniarum Regi attulerat, quam Religioſiſſimus Princeps Monſerratenſi B. Virgini voluit dicatam. Ducendis inde Familiæ ſuæ in Bohemiam, Auſtriámque coloniis delectus, non virtutibus modò ſuis commeruit, ut ſuis præeſſet, ſed & Sapientiæ famâ Univerſitatem noſtram, cui ſub hæc tempora plerique Inferioris Auſtriæ Prælati, Epiſcopus item Neoſtadienſis Joannes Thuanus, erant adſcripti, voluit ornatam.

vatè pacis conditiones admittente. Id emolumenti Danicum bellum Cæsari attulerat, ut ea, quæ nuper Sueci, per Saxoniam, Silesiam, Moraviámque occupaverant, pleraque facilè reciperet; exacturus haud dubio ea occasione Suecum è Germania, nisi Gallasius ex Cæsaris mandato Danis opitulaturus, dum in Alsatia morosus hæret, insigni clade à Dorstensonio affectus, in Bohemiam usque pulsus fuisset; qua Cæsareorum clade Gallis promptum fuerat, ut Duce Anguiensi, qui nuper à Mercio, Bavarísque Uberlinga, Friburgóque magna suorum strage erat repulsus, Philippopolim, cæterásque Rheno adsitas Urbes cum ipsa Moguntia victricibus armis ad deditionem adigerent.

Dum hæc triennio isto armis gererentur, res Universitatis satis pacatum tenuêre cursum; illud majorem animorum motum excitaverat, quod nonnemo, insigne aliàs Facultatis Theologicæ Membrum, publicâ in Thesium de gratiæ Efficacia, quam à Scientia Media dependentem asserebant, propugnatione, sententiam eam sub excommunicatione prohibitam, typis dari nequaquam potuisse, palàm proclamaret; nec multò post tempore Theologica inconsulta Facultate Theses aliàs imprimi curaverat, quibus eam inseruerat conclusionem: *Secundùm fidem Catholicam firmiter credendum est, quod omnes præter solum Christum, ex Adam derivati peccatum originale contrahant.* Offenderat utraque censura haud leviter non Facultatem modò Theologicam, sed piorum ferè omnium aures; tum quod utramque de Efficacia gratiæ sententiam, edito post tot disputationes Summis coram Pontificibus Decreto, Paulus V. doceri permisisset, prohibuissétque, ne alterutra injustis Censuris afficeretur; tum quod Bullis Pauli V, & Gregorii XV. esset interdictum, publicè asserere, Beatissimam Virginem peccatum originale contraxisse; imò recitata priùs sententia, ferè iisdem verbis concepta, à tribus Pontificibus, Pio V. Gregorio XIII; & nuperrimè in edita ab Urbano VIII. Bulla

Bulla esset rejecta, & gravissimis affecta censuris. Eos super excessus cum Facultas Theologica cogeretur, quamquam graviùs in reum advertendum plerisque videretur, id tamen datum, & spectatissimæ, ex qua erat, Familiæ, & præclaris cæterùm viri meritis, ut revocatis suis assertionibus, veniam ab iis, quos læsisset, postularet.

Publico Senatûs Academici Consulto 26. Octobris anno hoc 1643. Statutum; ut posthac haud minùs apud Universitatis tribunal, quàm aliis in Dicasteriis à Festo S. Colomani, usque ad D. Leopoldi feriæ essent. Bina quoque ab Excelso Inferioris Austriæ Regimine ad Universitatis Consilium anno 1644. transmissa sunt Decreta; unum sub mensem Aprilem, quo, ùt Acta Facultatis Theologicæ ajunt, ratio, modúsque, quo obviari possit iis, qui post enormes excessus ad Loca Ecclesiastica, vel Monasteria, ac etiam Regum, & Principum Legatorum ædes confugiendo, non sine detrimento boni communis, & pessimo aliorum exemplo, justæ punitioni sese subducunt, postulabatur; Alterum Mense Julio, quo sensum, suffragiáque circa abrogationem aliquorum Festorum antiquorum, novorúmque subrogationem, exegit. Utrumque ad Facultatis Theologicæ forum est relegatum; quæ datis primùm eas super quæstiones Commissariis, pleno dein consessu easdem discussit, eruderavítque, ac suis firmatam rationibus sententiam Excelso Regimini remisit.

Ut crescente rursum undique per Austriam Religione Catholica, & Superum favores, & Viennensium in Cœlites affectus, Celsissimus Viennensium Episcopus Fridericus Philippus Breunerus augeret, nuper pias Sanctorum Martyrum Chrysanti, Marcelliani, & Cyriacæ exuvias à Summo Pontifice non impetravit modò, sed & Viennam transmissa receperat; ergo, ut religiosissimâ pompâ in D. Stepheni ædem importarentur, indicta Ordinibus omnibus supplicatio, Senatu, Populóque Academico quoque in pietatis augmen-

tum vocato. Quinta Junii anno 1644. piæ Sanctorum Martyrum Sarcinæ ex Monserratensi Cœnobio levatæ fuerunt; præcedebant Viennensis populus, Religiosorum Familiæ, Clerus, tum Rector Magnificus cum quatuor Decanis, suis quisque insignibus ornati; Sacras penes exuvias Augustissimus ipse Cæsar, cum Aulico comitatu, pedes ibat; eo ordine per Scotensium portam ad D. Stephani ædem processum est, ubi etiamnum Sanctorum eorum ossa pretiosis inclusa cistis, & pietati Viennensium, & patrocinio asservantur.

Sub his Viennensium pietatis Studiis, 29. Julii Romæ Urbanus Summus Pontifex, meritis, & ætate, quam ad 76. annum produxerat, gravis ad superos abiit; posteaquam viginti duobus ferè integris annis Ecclesiam Universam administrâsset. Ei suffectus est 15. Septembris ejusdem anni, Joannes Baptista Pamphilus, Pontifex dictus Innocentius X. Cujus miti animo, & ingenio concussa Gallico, Suecicóque bello Germania multùm visa est indigere.

An. 1645.

CAlamitosus rursum Austriæ hic annus, Suecis post adeptam ad Janckoviam haud procul Thabore de Cæsarianis victoriam, rapinis, incendiis, & omni scelerum genere inferiorem transdanubialem Austriam vastantibus. Ubi enim sub anni hujus initia Cæsar ipse Pragam profectus Exercitum reparâsset, eidem Serenissimum Fratrem Leopoldum Guilielmum, adjuncto Hazfeldio Comite, iterum præfecerat cum mandatis; Dorstensonii conatibus, sancitâ cum Danis pace, totis copiis rursus Bohemiæ, Silesiæ, Moraviæque sub hyemis initium imminenti, obsisterent; Pridie Nonarum Martii ad Janckoviam ab utroque exercitu manus consertæ sunt, Cæsareis demum in fugam effusis; quamquam hostibus, cruenta sanè ea existeret victoria, haud paucioribus è suis desideratis. Patuit ab inde victori Bohemia, Moravia, ac transdanubialis Inferior

Austria,

Austria, plurimis propugnaculis, & oppidis continuato victoriæ cursu; & præcipuè Steinio, ac Crembsio, decem dissitis Viennâ milliaribus, ipso Annunciationis B. V. Festo deditione captis: pari fato Corneoburgum subactum, Suecorum copiis ad pontes usque Viennenses excurrentibus. Tumultuatum undique Viennæ, & ceu hostis ad mœnia jam consisteret, præcipiti fuga Viennensium plerique dilapsi, Cæsareis ipsis prolibus Gracium Styrorum transportatis. Et verò ne repentinæ hostium incursioni pateret Vienna, lectæ Viennensium juxta è tribubus cohortes, ac ex Mandato Aulico Academicus quoque conscriptus manipulus, cui singulis è Facultatibus sui assignati Tribuni, déque commeatu provisum. At abscessit brevi panicus timor; cùm Dorstensonius præter eas copias, quas præsidio captis in Austria Urbibus reliquerat, plerásque secum in Moraviam expugnandæ demum Brunæ abripuisset, eo quidem rerum eventu, ut non modò Brunæ, & cœlitùs, & immortali Souchii dexteritate defensæ, obsidionem solveret, sed & ignominiæ hujus impatiens militarem præfecturam ultrò abjiceret, & in Wrangelium transferret. Accesserat id quoque erigendis Austriacorum animis, quod interea, & Cæsareus esset restauratus exercitus, & læta à Mercio, Werdtióque Bavaricarum copiarum Ducibus, adversùm Gallos ad Mergenthemium victoria nunciaretur.

Subsecuta eam in Austriam Suecorum invasionem haud levius malum, sub Julium Mensem, lues pestifera, quæ magnam sanè Austriacorum, Hungarorúmque, à quibus in Austriam progressa erat, partem ad anni hujus prope finem est depopulata; è solis Viennensibus in dies singulos triginta ferè, quadragintáve absumptis. Grassante hoc malo factum, ne ludus literarius consueto post ferias autumnales tempore pateret; non impedita tamen novi Magistratûs Academici fuit creatio, quæ anno hoc primùm in Academi-

 carum

carum Societatis JESU Scholarum Aulâ amplissimâ est instituta.

Ab An. 1646. usque ad An. 1648.

RESpiraverat iterum anno 1646. Vienna Crembsio, Steinióque, quod Buchemius Comes arctissimâ coronâ per hyemem cinctum tenebat, 6. Maji deditione receptis, totâ inde Austriâ pulsis Suecorum copiis, Conversa igitur omnis armorum vis in Franconiam, Sueviam, Bavariámque, quam Gustavus Wrangelius, Dorstensonio in Suecici exercitûs Præfectura suffectus incassùm Archiduce Leopoldo cum Hazfeldio, Bavaricísque Legionibus obsistentibus, invaserat: jámque Suecicus turbo occupatâ Nördlingâ, Reinâ, Donawerdâ; Frisingáque direptâ, Augustam Vindelicorum unde viginti diebus, multa suorum clade, obsidione presserat; dum ad proximum adventantis cum exercitu Archiducis Leopoldi nuncium, obsidionem solvit; nec quidquam aliud præter rapinas magnificè eo anno â Wrangelio gestum.

Anno tamen insequenti, ut expeditiones suas Wrangelius mutaret, sub veris initium Sueviam permensus usque Bodamicum lacum pervolavit, ubi Brigantio, munitissimo naturâ loco, ingentíque omnium ferè Suevorum Procerum thesauro, quem illuc securitatis causâ conduxerant, cum Meinaugiâ potitus, Lindovium obsidione cingit, quâ tamen Urbe ab ejus Præfecto Comite Waldeggio strenuè est rejectus. Jámque iterum Bavariæ imminebat hostis, dum Bavariæ, Coloniensísque Electores, seu pacem adproperaturi, seu irruptionem prohibituri, peculiares cum hoste inducias pepigêre. Ergo Wrangelius per Franconiam in Bohemiam cum exercitu regressus, Egram, ne planè inglorius esset, expugnavit. At mox ab hoc fœdere, quòd Cæsarem illud graviùs ferre intelligeret, Bavarus ad Cæsareas partes discessit; quo illud effectum, ut, & Bavarus nonnullas Sueviæ urbes hosti adi-

sti adimeret; & recedentem è Bohemia in Hassiam Wrangelium Holzapfelius & Melander, qui nuper Gallasio Cæsarearum copiarum Duci suffectus est, insecuti, Marburgum Hassiæ expugnarent.

Læta quoque tristibus Augusta in aula miscebantur; vivis enim Lincii, superioris Austriæ Metropoli 13. Maji, An. 1646. excessit Augusta Imperatrix Maria Aña, Hispaniarum Infans, fœcunda Ferdinandi IV. Leopoldi dein Magni Cæsaris, ac Mariæ Annæ Hispaniarum Reginæ, Mater, inopinâ catharri defluxione, partui proxima, oppressa. E Matre mortua excisa proles Mascula, quæ Sacro Fonte abluta, mox parentem in cœlos subsecuta fuit. Augustum funus ubi secundo Danubio 27. ejusdem mensis Viennam tenuit, è ripa fluminis humeris primorum Austriæ Procerum ad Cathedralem S. Stephani; inde ab Austriæ Prælatis, omnibúsque Viennæ Ordinibus, iisdem Proceribus bajulis, ad novum Cæsaris Matthiæ apud RR. PP. Capucinos Mausolæum est deductum. Consuetum non modò Universitatis Proceres ea funebri in pompa tenuêre locum, Decanis Canonicorum D. Stephani, Rectore Magnifico Celsissimi Viennensium Pontificis latus dextrum stipantibus, sed ad ipsum quoque Capucinorum templum iisdem specialis pullo instratus tapete locus assignatus. Leniendo nonnihil dolori Austriacis, sed Cæsari præcipuè fuit, læta Serenissimi Ferdinandi IV. in Bohemiæ Regem 5. Augusti ejusdem anni inauguratio, quam anno sequenti 16. Junii in Regem Hungariæ est consecuta.

Nondum Cæsar Posonium ad comitia, quæ deligendo in Regem Serenissimo Filio indicta erant, descenderat; cùm singulare pietatis Austriacæ specimen edidit, dum, quod diu jam mente conceperat, Colossum Marmoreum Immaculatæ Virgini dedicavit, Divámque Parentem adversùm hostium incursus peculiarem Archiducatûs, Austriacæ præprimis Domûs, Patronam publicâ Sacramenti Fide delegit. Juverit

 ad im-

ad immortalem, Pietate, & Justitiâ Imperium, Regnáque administrantis Cæsaris memoriam, rem gestam ex P. Zachariæ Ignatii Trinckelii, Societatis JESU, Viri Theologicâ, Asceticâque Doctrinâ celeberrimi, eo tempore Domûs Professæ Præpositi, Historia, quam Schönleben L. IV de Immaculatæ Virginis Conceptione ferè integram inseruit, breviori calamo referre.

Steterat jam colossus ille, per ejus ferè anni hyemem erectus, eo in loco, quo etiamnum ante Domûs Professæ templi frontispicium in amplissimo Urbis foro conspicitur, elegans, & arte omni, & magnificentiâ absolutus. Moles inferior tota solido è lapide excisa, quam circumducti quaterna in latera coronant cancelli, & modico ab eadem intervallo divisi angustam in circuitu viam aperiunt. Basi, quâ parte coëuntibus lateribus in angulos acuitur, quatuor insistunt Geniorum simulacra, qui caput galeà, umbone pectus, lævam clypeo, ac ense dextram armati, ictum singuli in subjectum pedibus monstrum evibrant, singulis clypeis sua incisa lemata, uni: *Ipsa conteret*: alteri, *Conculcabis*: tertio: *Ambulabis super*: quarto, *Non pro te lex.* E media mole in proceram, & parem propè cum ædibus vicinæ Religiosæ domûs assurexit altitudinem columna marmorea, cujus in vertice ingentis magnitudinis ex eodem lapide insistebat Statua, quæ sine macula Conceptam DEI-Parentem Virginem, antiqui serpentis caput victore calcaneo proterentem, & velut è specula in suorum salutem excubantem, repræsentat. Basis parti meridianæ incisa Epigraphe, quam Augustissimus ipse Imperator in hæc verba conceperat:

DEO Opt. Max.
Supremo cœli, Terræque Imperatori,
per quem Reges regnant.
Virgini DEIparæ
Immaculatè conceptæ,

per

per quam Principes imperant;
In peculiarem Dominam;
Auſtriæ Patronam,
ſingulari pietate
ſuſceptæ,
Se, Liberos,
Populos, Exercitus,
Provincias
confidit, donat,
conſecrat,
& in perpetuam rei memoriam
statVaM hanC
eX Voto ponIt
FerdInanDVs tertIVs AVgVſtVs.

Qua ex inſcriptione conjicere licuit, quo Cæſaris optimi pietas ſpectaret. Ut tamen conſilia ſua communi Subditorum aſſenſu comprobaret, vocatis ad aulam Auſtriæ Ordinibus, Senatu Urbico, Religioſorum Superioribus, Epiſcopo, Cleróque Viennenſi, quid mentis ſuæ eſſet, clementi oratione refert: deliberatum nempe ſibi, privato ſemper ab ſe honore, cultam Immaculatæ DEI-paræ Conceptionem, in publicam etiam venerationem promovere; eam in rem erectam à ſe Statuam, quam etiam ſolenni ritu à Pontifice vellet dedicatam: Velint proinde, jubeántque diem Decembris octavam Immaculatæ Conceptioni ſacram, non ſolùm feſto ritu ab univerſis Auſtriæ Statibus celebrari, quod jam pridem glorioſæ memoriæ Auguſtiſſimus Parens Ferdinandus II, decreviſſet; ſed pridiano etiam jejunio anteveniri, ac omnium voto Auſtriæ Patronam dici. Ivêre facilè communi conſenſu eam in ſententiam, in quam piiſſimum Imperatorem præiviſſe multa laude deprædicabant.

Dicta

Dicta igitur Dedicationi dies XVIII. Maji ejusdem anni 1647. Quæ ubi illuxisset, Ordinum omnium, Statuúmque, quà Religiosorum, quà sæcularium refertissima ex Templo Aulico Augustinianorum ad Domûs Professæ S. J. deducta est supplicatio, quam Imperator Filio Ferdinando jam Bohemiæ Rege, filiâ Mariâ Annâ, Hispaniarum Regi desponsatâ, Pontificiæ Sedis, Hispaniarum, & Reipublicæ Venetæ, Legatis, totáque Aula comitantibus, multo pietatis sensu, pedes sequebatur. Ut ad laudatam Ecclesiam deventum, habitus ad refertissimam, Augustámque concionem à P. Joanne Gans S. J. Theologiæ Doctore & Cæsari à Confessionibus, ornatissimus de laudibus immaculatæ Conceptionis sermo, quem certa omnino impetrandæ in Auditorum animis per ejusdem patrocinium tranquillitatis spes insequi est visa. Dictionem sacra summam ad aram Liturgia excepit Celsissimi Viennensium Antistitis; jámqu ead eam partem deducta erat, qua pacis osculum præsenti Principi deferri consuevit, cùm Augustissimus ipse Imperator, toto oris, corporísque habitu ad pietatem, demissionémque composito, ad cancellos summæ aræ progressus, humi sese provolvit, donec Divina hostia per Pontificantem absumeretur. Tum gladio posito, intra cancellos concedens, ante latentem sub pane DEum, quem Pontifex manu tenens Cæsari obvertebat, prostratus, supra Evangeliorum librum, quem nominatus Conscientiæ arbiter tenebat, sequentem voti formulam voce, quam circumfusus populus facilè perciperet, est auspicatus:

OMnipotens sempiterne Deus, per quem Reges regnant, in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura regnorum: Ego Ferdinandus coram Divinâ tuâ Majestate humiliter prostratus, meo, meorúmque Successorum, & Inclytæ hujus Provinciæ Austriæ nomine, Immaculatam filii tui Matrem semper Virginem MARIAM, hodie in peculiarem Dominam, & Pa-

& Patronam hujus Archiducatûs invoco, & aſſumo; inſuper voveo, ac promitto ejusdem Immaculatæ Conceptionis feſtum, quod cadit in diem 8. Decembris, ſolenniter etiam quoad forum in hac Provincia quotannis prævio, more Eccleſiæ conſueto, jejunio in ejusdem perviligio celebrandum. Te deprecor, ſupreme cœli, terræque Imperator, qui, quod Matri tuæ impenditur, tibi impenſum reputas, votum hoc meum, quod ſuggerere clementer dignatus es, benigno favore proſequere, atque ad protegendum me, Domum meam, Populósque mihi ſubjectos dexteram tuæ majeſtatis extende, Amen.

Finierat, & conſcriptam Cæſarea manu voti formulam conſcientiæ arbiter ad feræ poſteritatis memoriam in Profeſſorum Domo aſſervandam receperat; cùm de Pontificis manu Sacram Synaxim accepit Imperator, eo pietatis ſenſu, Deum hoſpitem adorans, qui affluum quoque populum ad lacrymas cieret. Exactum jam erat Sacrificium: ſed necdum pietatis officia terminata. Priori igitur ordine, comitiváque in publicum forum è templo ad erectum Immaculatæ Virginis trophæum proceſſum; accedit vicinior coloſſo Sacrorum Pontifex, & conceptis eum verbis, ſolitóque Eccleſiæ Catholicæ ritu, DEI, Immaculatæque Virginis Matris honori conſecrat, dedicátque; collecto tota urbe ſymphoniarum choro Lauretanas Laudes Auguſtiſſimæ cœlorum Reginæ decantante.

Hæc matutina diei illius pietatis officia: cùm novam ſub meridiem Auguſtiſſima Imperatrix Vidua Eleonora eſt exorſa; mandavit enimverò poſt ſolis occaſum, ita forum omne illuſtrari, ut nulla circum pateret feneſtra, quæ non gemino luminari præfixa Auguſtæ Domûs inſignia aſpicientibus exhiberet. Cancellos deinde, qui Coloſſum ambiunt, totidem reſplendere lampadibus, quot ipſi columnellis aſſurgunt, ac demum tralucidis lucernis, in vaſtæ magnitudinis

coronam

coronam eleganter ductis, Statuam ipsam redimiri. Valuit ea quidem res ad amænum oculorum spectaculum, ad quod urbs omnis effundebatur; sed ad incendenda præcipuè novæ pietatis officia, ad quæ meritò Augustus iterum Imperator, Eleonora Vidua, Regiæ Proles Ferdinandus, & Maria Anna obductis jam cælo tenebris, Majestatis suæ lucem referrent; Tenuit in alteram noctis horam pompa, neque priùs spectatorem dimisit, quam ei post imploratum musico concentu per Augustos Virginis Titulos Cœli Præsidium, Pontifex manu, vocéque benedixisset.

Sic terminatus est dies ille perpetuâ apud posteros luce fulsurus: At verò ne uno die nata denasceretur sequentibus veneratio; placuit sacratissimo Cæsari, ut posthac occidentis hebdomadæ vesper, hoc est Sabbathi crepusculum, decantato Lauretanæ Virginis Encomiorum syllabo, & dictis per Sacerdotem de B. Virginis Immaculata conceptione, pro Imperatore, pro Pace, orationibus, ante Marianum eundem colossum celebretur. His addi voluit pervigilia, festósque omnes Augustissimæ Virginis dies, quibus sanctiùs terminandis post decantatas sub meridiem in Domûs Professæ Ecclesia Vesperas sese Augustissimi Cæsares præsentes sistere perpetua lege consueverunt. Atque ne ullo unquam piissimo à Cæsare constituta devotio tempore deficeret, sanxit æterna fundatione 600. annuos Rhenenses, ex quibus 240. Musices Directori, ac duodenis vocibus, in stipendium cederent: alii decem supra ducentos in Musicæ instrumenta, & organum impenderentur; quinquageni Curatis, ac facigeris ad aram Statuæ adstituris: centenis denique emeretur majoris Campanæ pulsus, quo populus ex D. Stephani turri ad dictam solennitatem evocetur.

Dicatus erat Colossus Marianus ritu, ùt meminimus, nunquam antehac Viennæ spectato; cùm abinde die altera, vigesima ejusdem mensis, qui erat Dominica quarta post Pascha, summa in D. Stephani tem-

plo

plo de novo erecta Ara, ab eodem Celsissimo Viennensium Antistite est consecrata, Divóque Ecclesiæ Patrono Proto-Martyri Stephano, cùm vetus S. Marco Evangelistæ sacra esset, dedicata. Inchoatum jam erat opus, ad miraculum usque Magnificum, Anno 1640; cum demum Anno hoc 1647. est absolutum. Constat Ara tota ex marmore nigro è Polonia advecto, variis lemniscis, scalprique artificiis; tum & undecim eleganter albo è marmore excisis statuis discriminata; Imago verò D. Proto-Martyrem saxis obrutum artificioso penicillo, super tabulam, ex stanno fusam, exhibet; illud Jacobi, hæc Tobiæ Pock, celeberrimorum eo tempore artificum, opus: stetit structura Aræ omnis 25497. florenorum impendio, quod suo ex ærario Mæcenas, & Antistes in Ecclesiam suam munificentissimus, Celsissimus & Reverendissimus Princeps, Philippus Fridericus è Comitibus de Breuner liberaliter persolvit. Erectum quoque ea occasione supra chorum, ad summam aram accedentibus dexterum, Senatûs Civici impendio, Oratorium, excipiendo Cæsari destinatum; est illud arculariorum operosus è ligno labor, aureis lemniscis, copiosisque in omnem partem vitris, & bicipite superiùs eminente Aquilâ instructum.

Cùm ea Aræ, Oratoriique erectione non pauca Cathedrali in æde essent innovata; Universitatis Proceres animis pendebant, quemnam deinceps Senatus Academicus locum Principem haberet, occuparétque? indictus eam in rem Consistorialium Conventus, non paucis eam in sententiam abeuntibus: honoratiorem locum eum videri, quem hactenus in Universitatis ad D. Stephanum stationibus Consul, Magistratúsque Viennensis occupârat; cùm dextro cornu summæ aræ situ suo corresponderet. Evicêre tamen potiora suffragia, veterem Rectori Magnifico, Proceribúsque, ac cæteris Facultatibus locum esse retinendum; iis quidém de causis, Verba Actorum Universitatis refero: *quòd nem-*

pe

pe ibidem non tam Oratorium Cæsareum, recèns extructum sit, quàm etiam, quòd Magnificus Rector cum suis Pontificem sacra facientem semper in conspectu suo haberet. Accederet & hoc, quod illum locum Universitas à tempore, quod hominum memoriam superat, suâ frequentiâ fecerit celebriorem; ac quasi jure suo tanquam digniorem hactenus vindicarit; quo in latere non tantùm hujus primariæ ædis Præpositus, relicto in opposito Decano, sedem tenuerit, sed etiam Domino Imperatori antehac illis diebus, qui rogationum dicuntur, ingredienti semper is locus designatus, ac præparatus fuerit; ne dicamus, quod in præsentia Cæsaris, & ejusdem Aulæ plerumque Aurei Velleris Equites, & aliæ primariæ dignitatis Proceres eum, qui ex adverso est, locum occupare soleant, quibus cedere Magnifico Domino Rectori minùs honorificum; obsistere verò non parum invidiosum foret.

Priusquam hæc ad D. Stephani ædem agerentur, ut cum nova D. Proto-Martyri sacra Ara, cultus etiam splendórque Tutelaris ejusdem Ecclesiæ, & Viennensis Urbis Patroni augeretur, jam sub anni hujus 1647. principium Religiosissimus Antistes ab Universitate postulabat: communi consensu decerneret, se posthac festum Divi Proto-Martyris Diem solemni pompa, ac pari cum cæteris Academicis Festis ritu, in Cathedrali æde acturam. Re ad singulas ab Senatu Academico Facultates relata; & quòd nova, & multum incomoda videretur, ex Facultatum omnium sententiâ postulationi optimi Principis est intercessum: juverit causas rationésque utriusque ex literis ampliùs recensere:

Philippus Fridericus DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Viennensis, Sac. Rom. Imperii Princeps, &c.

„ REquirit à Nobis jure suo Pastoralis sollicitudo, ut „ mentis oculos quaqua versùs studiosè conver-
„ tamus,

„ tamus, & si qua sese offerat Divinæ Gloriæ propa-
„ gandæ occasio, eam obviis ulnis amplectamur. In-
„ ter cætera verò, uti par est, nobis cordi esse sinimus
„ Cultum Proto-Martyris Stephani, præcipui hujus
„ Urbis, & Cathedralis Ecclesiæ Tutelaris, ac Patro-
„ ni. Et, ut ingenuè fateamur, tenuit nos sæpè ad-
„ miratio, quod, cùm Antiquissima, & Celeberri-
„ ma hæc Universitas ab ipso suæ fundationis exordio
„ peculiari affectu inter alios Cœlites prosecuta sit, cùm
„ sacram ejus Ædem delegit ad præipuas functiones,
„ cùm in eadem primarios gradus Academicos vel pe-
„ tere, vel conferre, cùm festivioribus anni festivitati-
„ bus, suâ præsentiâ tam Magnificus Dominus Rector,
„ quàm totum Venerabile Consistorium cohonestare,
„ cùm denique dies Nationum Patronis sacros, publico
„ Conventu, & oratione etiam celebriores reddere lau-
„ dabiliter consueverit, nunquam eis in animum inci-
„ derit (quod tamen æquissimum videri debuit) soleñi-
„ ssimum hunc diem festum, quem Cæsares Augustissi-
„ mi, Reges, & Archiduces Serenissimi præsentiâ suâ
„ etiam non invitati quot annis cohonestare assolent,
„ aliqua grati animi significatione publicè venerari,
„ maximè, cùm non ita pridem à sancta Sede Apo-
„ stolica plenariam peccatorum Indulgentiam, eo
„ die sacram Proto-Martyris ædem more Ecclesiæ
„ consueto invisentibus, impetraverimus. Quare no-
„ strarum partium esse duximus, paternè, quod faci-
„ mus, Magnificum Dominum Rectorem, totúm-
„ que Venarabile Consistorium requirere, & adhorta-
„ ri, ut re maturè deliberata statuant in grati animi si-
„ gnum futuris temporibus, hoc festo die cum Aca-
„ demicis insignibus solemniter comparere, & brevi
„ etiam peroratione Divum Tutelarem honorare.
„ Quod si, uti confidimus, constituerint, & Deum
„ sibi propitium facient, qui in Sanctorum suorum
„ honoribus honoratur, & nos toti Universitati in

Q perpe-

„ perpetuum obſtringent. Datæ in Curia Noſtra Epi-
„ ſcopali 2. Januarii 1647.

Addictiſſimus
Philippus Epiſcopus Viennenſis.

Ad humaniſſimas eas literas poſt maturam, multámque deliberationem demum Univerſitas ita reſpondit:

Illuſtriſſime, Excellentiſſime, atque Reverendiſſime Princeps, & Domine.

„ EX litteris Illuſtriſſimæ Celſitudinis Suæ ſub ini-
„ tium hujus anni ad nos tranſmiſſis intelleximus
„ Reverendiſſimam, ac Illuſtriſſimam Celſitudinem
„ Suam ſæpe admiratam fuiſſe, cur Univerſitas ab
„ ipſo ſuæ fundationis exordio feſtum S. Stephani Pro-
„ tomartyris (quod more Cæſarum, Regum, ac Ar-
„ chiducum æquiſſimum videri debuiſſet) publico
„ conventu non celebrârit? in cujus tamen Eccleſia
„ tam ſupremos Academicos gradus conferre, quàm
„ Facultatum, & Nationum Patronos publicis, &
„ ſolennibus pietatis officiis ſoleat cohoneſtare; pro-
„ inde nos requirere, & adhortari, ut re maturè de-
„ liberata, ſtatueremus in grati animi ſignum, futu-
„ ris temporibus, hoc feſto die, cum Academicis in-
„ ſignibus ſolenniter comparere, & brevi etiam pero-
„ ratione Divum Tutelarem publicè honorare. Quæ
„ res, cùm altiore indagine, & pleniore diſquiſitione
„ opus habere videretur, quatuor Facultatibus pro vo-
„ to, & informatione commiſſa eſt, id quod maxi-
„ mè cauſa fuit (cùm illæ rariùs per annum conven-
„ tum agere ſoleant) cur Illuſtriſſimam Celſitudinem
„ Suam, quamvis inviti, retardati hactenus reſpon-
„ ſi moleſtiâ afficere coacti ſimus. Et quamvis hunc
„ Illuſtriſſimæ Celſitudinis Suæ ſingularem Divinæ
„ Gloriæ propagandæ zelum non ſolùm in laude po-
„ nendum,

„ nendum, ſed etiam vel maximè admiratione di-
„ gnum exiſtimemus. Attamen quominùs huic pe-
„ tioni annuere poſſimus, inter ea plurima, quæ ob-
„ ſtare videntur, hæc pauca Celſitudini Suæ perpen-
„ denda proponere judicavimus.

„ Et primò quidem, quòd Facultates Univerſi-
„ tatis adhuc ante ducentos viginti annos præter ſolen-
„ nia Eccleſiæ feſta, nullo Pontificum, aut Archiducum
„ juſſu, ſed motu proprio ſibi tantùm celebria Patro-
„ norum feſta ſingulariter peragenda conſtituerint,
„ quod exemplum Academicæ Nationes paulò pòſt
„ imitatæ, peculiares etiam Patronos publica pietate
„ ſibi quot annis celebrandos delegerunt; quod inſti-
„ tutum poſtquam Thomas ab Haſelbach Theologiæ
„ Profeſſor Patribus Conſilii Baſileenſis reluliſſet, con-
„ ceſſerunt, ut Univerſitas Doctoratûs promotiones
„ in æde S. Stephani exerceret, atque in Majoribus
„ Eccleſiæ feſtis, Nativitatis, Paſchatis, Pentecoſtes,
„ & Corporis Chriſti ſolenni Academicorum præſen-
„ tia publicam pietatem adaugeret. Et licèt ſequen-
„ tibus temporibus poſt erectum Viennæ Epiſcopa-
„ tum, ejusdem ſacer Antiſtes Georgius Univerſitatem
„ ad Feſtum omnium Sanctorum (in quorum hono-
„ rem Cathedrale templum primitus erat dedicatum)
„ in ſocietatem celebrationis invitâſſet, atque Univer-
„ ſitas ob plures, eásque prægnantes cauſas eidem an-
„ nuere non potuiſſet, Epiſcopus à proproſito deſiſte-
„ re nolens, eam cauſam ad Maximilianum I. provo-
„ câſſet, Cæſar tamen Opt. ab intentata novitate Uni-
„ verſitatem abſolvit, & liberam fore decrevit.

„ Urſit ejusdem, & aliorum inſuper feſtorum ſo-
„ lenni Rectoris ac Facultatum frequentiâ celebran-
„ dorum negotium Joannes Faber, & Fridericus Nau-
„ ſea Clariſſimi, qua voce, qua ſcripto, Catholicæ Fi-
„ dei Propugnatores Epiſcopi, ſicut etiam Emi-
„ nentiſſimi Cardinalis Kleſelii Anteceſſor Caſpa-
„ rus apud Carolum Archiducem ſub Rudolpho II.

Q 2 „ Impe-

„ Imperatore, Austriæ Gubernatorem, sed irrito co-
„ natu. Nam Ferdinandus Primus in reformatione
„ Universitatis, anno 1554. publicata, titulo de Sta-
„ tionibus, sequentibus verbis hoc solùm decrevit:
„ Stationes tam Universitatis, quàm singularum Fa-
„ cultatum, & Nationum solennes, quæ in æde S.
„ Stephani fieri solebant, etiam deinceps, tum pro
„ Ecclesiæ, tum etiam Universitatis dignitate illic po-
„ terunt conservari; qua informatione Carolus Archi-
„ dux ab Universitate acceptâ, die 26. Februarii anno
„ 1578. rescripsit; se Uninversitatis informationi pe-
„ nitùs aquiescere. Nam ejusdem Universitatis gra-
„ tus animus erga Martyrum Primicerium S. Stepha-
„ num satis colligi ab optimo quoque potest ex fre-
„ quenti Doctorum Academicorum in ejus Basilica
„ frequentia, toties per decursum anni, scilicet duode-
„ cies singulari solennitate repetitâ. Hisce accedit,
„ quod cùm pridiè Nativitatis Dominicæ omnes Aca-
„ demici ex præcepto Fundatorum interesse tenean-
„ tur Civici Magistratus renovationi, qua major diei
„ pars consumitur, & immediatè sequenti die non
„ minùs manè, quàm vesperi Natalitia Redemptoris
„ celebrare consuêrit, nimis quàm onerosum foret
„ Universitati, etiam tertio die per publicum Conven-
„ tum in templo comparere, Medicis præsertim, at-
„ que Theologis, qui tam à morborum curis, quàm
„ confessionibus excipiendis cum corporis, & ani-
„ marum damno Rectori adesse, vel neglecti officii
„ suspicionem incurrere, deberent.

„ Præterea major in Oratoris constituendi condi-
„ tione foret difficultas, cùm pridie Nativitatis Re-
„ ctor ipse coram Excelso Regimine, in pervigilio ve-
„ rò S. Stephani quispiam Theologorum habeat pero-
„ rare.

„ Quòd si tertia die alia esset facienda oratio, sæpe
„ duo vel tria onera unam, eandémque Facultatem
„ occu-

„ occuparent, aut confunderent Harmoniam hacte-
„ nus laudabiliter conservatam.

„ Occurrit insuper non leve novitatis tœdium,
„ quod peracto majoris Missæ officio Imperator (qui
„ festivitati D. Proto-Martyris interesse solet) cum to-
„ ta aula, recedente plebe, domum properat, quem
„ Episcopus cum Clero, & Universitatis Magistratu
„ ad usque templi limina solet comitari, absoluta hoc
„ modo Festi solennitate, & Ecclesiâ hominibus va-
„ cuâ, superesset hoc unum, ut Rector, & Decani
„ cum Pedellis ad subsellia reversi, in summa frigoris
„ molestia usque ad duodecimam soli audirent Orato-
„ rem, vel si in vesperum oratio differenda foret, ma-
„ jorem utique ex multiplici actuum frequentia Aca-
„ demici molestiam persentiscerent. Ut taceamus
„ fieri facilè posse, ut ipsa Academia apud imperitum
„ vulgus, aliósque, maximè hoc sæculi fastu, non le-
„ ve periculum habeat minus æstimandi Academicos
„ Fasces, si toties, scilicet intra triduum quater, aut
„ quinquies, in publicum comparendum foret. Quæ
„ vel singulæ rationes, aliis omissis, apud Illustrissi-
„ mam Celsitudinem Suam tantùm, utì speramus,
„ pondus habituræ sunt, ut nobis, quòd minùs hac
„ in re postulatis annuere possimus, in vitio nec po-
„ ni possit, nec debeat. Cæterùm, si quod Illustris-
„ simæ Celsitudini Suæ in alia quavis occasione gra-
„ tum officium à nobis exhiberi placuerit, id omni-
„ bus modis confectum iri non tam pollicemur, quàm
„ lubentes exequemur. Datum Viennæ 5. Julii,
„ anno 1647.

N. Rector, & Consistorium Uni-
versitatis Viennensis.

Nec dum à sacris Divorum solennitatibus recedi-
mus; nam singularem sui memoriam Festum D. La-
dislai, Inclytæ Nationis Hungaricæ Tutelaris, depo-
scit.

ſcit. Habuit ea anno hoc 1647. jam altera vice, & rebus Divinis, & Panegyri de ſanctiſſimo Hungariæ Patrono præſentem Auguſtiſſimum Cæſarem cum Archiduce Filio, Bohemiæ Rege, proximùm ad capeſſendam Hungariæ Coronam deſcenſuro. Quorum ut Inclyta Natio præſentiâ gauderet, ſolennitas in 30. Junii, quæ tunc Dominica erat, eſt translata, ad aram eodem Gelſiſſimo Viennenſium Antiſtite ſacra faciente; quibus finitis Illuſtriſſimus Georgius de Homona perpetuus Comes in Unguar, Philoſophiæ in Academico Societatis Jesu Collegio Auditor, de laudibus Divi Regis peroravit multa laude, & manuum oſculo à Cæſare, Regéque donatus.

An. 1648.

Tuliſſe Auguſtum Cæſarem pietatis ſuæ in Immaculatam Virginem fructum creditum eſt, dum anno hoc perniciosum illud jam triginta annorum Germaniæ, & Religionis bellum conſenuit, ſubſcriptâ à Principum Legatis, quorum intererat, 24. Octobris Monaſterii Weſtphalorum pace, quam demum varia per eam æſtatem armorum fortuna conciliâſſe videbatur. Nam Wrangelius reſciſſas à Bavaro inducias vindicaturus, dum more ſuo maturiùs, cum Turenio, *Gallicarum* copiarum Duce, ad Lycum adproperat, *inſigni* ad Auguſtam Vindelicorum adversùm Cæſareos, Bavaricis ſubſidiis adhuc cunctantibus, potitus eſt victoriâ, Melandro exercitûs Duce, haud paulò poſt ex accepto vulnere Auguſtæ defuncto. Graſſantem inde impunè per Bavariam Suecum, Gallúmque feliciùs, reparatis copiis, Piccolomineus, Werdtiúsque rejecêre, nunciatâ inſuper per Cæſareum exercitum victoriâ, quam Lambojus Weſtphalici Circuli copiarum Dux de Haſſo retulit, ipſo Erneſto Haſſiæ Landgravio capto. Interea dum profugum è Bavaria hoſtem Cæſarei inſequuntur, Königsmarchius occaſione uſurus, eâ felicitate cum Legionibus in Bohemiam è ſuperiori

Pala-

Palatinatu penetrat, ut primo impetu arcem Pragensem, & quam vocant Parvam Urbem, occuparet; quo minùs in veterem Urbem eluctaretur, virtus Gubernatoris Comitis Colloredii, qui collecto ex Academicis manipulo, vocatóque in subsidium, cum Equitum turmis, Buchemio eandem strenuè propugnabat, inhibuit: jámque majora in Königsmarchium parabantur, cum caduceator pacem Monasterii conclusam referens partes ambas ab armis, hostilíque machinatione revocavit.

Fervente adhuc Marte ad secundas Imperator transierat nuptias, ductâ Lincii 2. Julii in Augusti tori consortem, Mariâ Leopoldinâ, Leopoldi Patrui Archiducis, & Tyrolensium Principis Filiâ; inde Viennam reversus, ut cœli Reginam, quam adeò beneficam esset expertus, jurato superiori anno cultu ampliùs demereretur, primum Immaculatæ ejusdem Conceptionis festum 8. Decembris in æde D. Stephani celebrandum duxit, vocatâ tum primùm per Decretum Cæsareum, ad accersendum festo splendorem, præter Senatum Civicum, Universitate; cujus imperio obsecuti Rector Magnificus cum quatuor Facultatum Decanis, suas induti Epomides, ad majorem Ecclesiæ portam se se stitêre, Cæsarem non modò ingredientem, Ecclesiam, sed ad offertorium quoque procedentem, comitati.

Interea utroque Academiæ Principe An. hoc orbata est Universitas, Magnifico nempe Rectore, Bernardo Holer, J. U. Doctore, antehac Codicis, & Juris Canonici Professore, postea Fisci Austriaci Advocato, & sub ipsum hunc annum renunciato Regiminis consiliario; tum Amplissimo Cancellario, Joanne Augustino Zwerge, ad D. Stephani Præposito: obierat ille supremam diem 2. Junii; hic 3. Sept. suo à nomine stipendii Fundator. Utriusque funus ad D. Stephani elatum, & Viris de Universitate optimè meritis ritu solenni parenta-

rentatum, perorante de Rectoris laudibus Societatis JESU Rhetorices Professore.

Ab obitu Rectoris Magnifici â Decano Facultatis Theologicæ P. Bernardo Geyer, è Societate JESU, ex more coactus Academicorum Conventus, postulatúmque: quidnam circa creationem novi Rectoris observandum? tum cujus nomine Edictum electionis proponendum videretur? Cùm potioribus Suffragiis (incassum reclamante Petro Hilger Juris Decano, qui electioni præsidendi munus ad ejus Facultatis Decanum, è qua Rector Magnificus demortuus fuisset, pertinere contendebat) ad primum responsum: *Servandum esse ritum, & morem veterem, qui ex integro descriptus habebatur in Protocollo sub N. 8. ad Annum 1532, quo Laurentius Moz utriusque Juris Doctor, tum Rector Magnificus, fatis concesserat: de altero in eam itum sententiam: ut quamvis, tam in electione novi Rectoris anno 1532, quàm 6ta Augusti Anno 1638, post obitum Magnifici Petri Hoffmani, factâ, Edictum convocationis nomine Decanorum, & Procuratorum emanâsset, quia tamen videbatur Seniorum authoritas esse neglecta, hinc convocatio illa Venerabilis Consistorii nomine posthac fieret.* Septima igitur dicti mensis Junii die, horâ 3. pomeridianâ è Domo Universitatis ad aulam Academicam itum, præcedente spectabili P. Decano Facultatis Theologicæ, insignibus Rectoris Magnifici induto, quem â sinistris Academicus S. J. Colegii Rector, tum ex ordine Decani, Seniores, Procuratores, cæteræque Facultates deducebant. Ubi consedêre, multáque in laudem demortui â spectabili Decano Thelogiæ dicta sunt, depositis ab eodem Rectoratûs insignibus, electionis novæ potestatem fecit, dicto priùs â Procuratoribus Nationum Juramento, quo se, dum antehac eligebantur, obstrinxerant. Illi ergo, versâ suffragiorum urnâ, in residuum ejus anni tempus Rectorem Magnificum, Michaëlem Wirsing, J. U. Doctorem, & in Excelso Regimine Consiliarium unanimi consen-

consensu delegerunt, electúmque Procurator Austriacus festivo clamore promulgavit.

Veterem controversiæ materiam, â morte Cancellarii, moverat Capitulum ad D. Stephanum, quod datis ad Universitatem literis, vigore Bullæ Urbani VI. jus sibi asserebat, vacante Cancellarii munere nominandi quempiam è gremio suo Pro-Cancellarium Universitatis. Res ea, ubi Academico in Senatu est pertractata, in hanc responsum est, ut Acta Universitatis habent, sententiam: *Capitulum non amplius esse, si quod etiam habere se putet, in possessione prætensi juris, cùm praxis ferè perpetua contrarium ostenderet, uti cæteris prætermissis exemplo recentissimo sit Magnificus D. Mannagetta, qui à Rectore Magnifico, & Consistorio constitutus sit Vice-Cancellarius in promotione Medicorum, mortuo Reverendissimo Kleselio; & iterum mortuo Reverendissimo Cancellario Arup, Kleselii Successore, sine reclamatione Capituli, adeò ut res non sit ampliùs in statu integro, ideòque nihil ei concedendum esse.*

Utriusque funus jam sub anni hujus initium 22. Februarii præcesserat beata mors R. P. Guilielmi Lamormaini è Societate JESU, cujus singularia in Societatem, Universitatémque, quam collapsam propè, procuratâ à Cæsare Ferdinando II. Unione, restituerat, merita non abs re gratam à nobis postulant memoriam. A morte P. Martini Becani ad curandas animæ rationes â Ferdinando II. assumptus, easdem tantâ prudentiâ 16. annorum cursu moderabatur, ut eidem non tribueret modò omnia Cæsar, sed & ùt Patrem filius coleret. Obiit non minùs meritis, quàm ætate gravis Viennæ in Domo Professorum.

Sub Novembrem ejusdem anni ex nominatione Cæsaris in Præpositi ad D. Stephanum dignitatem, Cancellarisque Universitatis munus suffectus est Magnificus Stephanus Zwirschlag, Cathedralis ejusdem Ecclesiæ antehac Chori Magister, tum Canonicus, Philosophiæ, & Theologiæ Doctor; Vir & Scientiis, & ge-

rendarum rerum promptitudine præstans. Eodem ferè tempore, hortatu Rectoris Magnifici Michaëlis â Wirsing, â Consistorio Academico statutum esse, Acta Universitatis meminerunt, ut posthac dies, post commemorationem fidelium defunctorum proxima, Anniversaria pro defunctis Academicis, sumptibus ærarii Universitatis colatur, ritúque aliis solennitatibus recepto Senatus, Populúsque Academicus funebribus in æde Cathedrali interesset. Ea ex occasione haud multo post hymnus ille, ùt vocant, gradualis, qui etiamnum in Anniversario multa aurium suavitate decantatur, compositus est, quem ob veteris styli candorem, Virorúmque præclarorum memoriam, in Academici Lectoris gratiam recitâsse non displicebit.

Rudolphus quartus Archidux fundator Athenæi,
Triumphet cum exercitu cœlestis aciei.
O ita post hunc præcipuus immaculatæ Matris
Assertor, lætus videat vultum æterni Patris.
Sic Thomas Haselpachius, & Doctor Argentinas,
Jajus, Petrus Canisius, & anima Becani,
Ederi, Fabri, Nauseæ, manes Theologorum,
Christus Redemptor collocet in cœtu electorum.
Seldius, Cantiuncula, & Brassicani fratres,
Juristarum Specimina, secundum Legem, *Debes:*
Et, Legem, *vasa collige*, paragrapho *citaris:*
Tribunal summi Judicis adorent in Tiaris.
Tandem Petri ab Herberstorff, Urschenbecki, Geisleri,
Cuspiniani Spiritus, noxæ culpis purgati,
Et debito novissimi quadrantis persoluto,
Ad sempiterna gaudia perveniant optatò.
Sigismundus ab Herberstein, & Regiomontanus,
Peurpachius, & Stabius, & cum Gelte, Jordanus,
DEUS æternam requiem in lucis claritate,
Donet cum Sanctis omnibus ex Christi chritate.

Et

Et omnes Academicos jam ante nos trangressos
Æternitatis ostium, purgante flammâ fessos,
Concives cœli faciat, & socios Sanctorum,
Ut eum laudent perpetim cum choris Angelorum.

An. 1649.

DUm stabilitæ Pacis articuli, quæ ùt præjudicatur[i] Summo Sacrorum Antistiti parùm probabantur, â Legatis Partium Norimbergæ discutiuntur, definiuntúrque, Viennæ septimâ Augusti, ùt Acta Theologica annotârunt, sub 12. horam noctis ex puerperio, retentis secundinis, è vivis excessit Augustissima Imperatrix Maria Leopoldina, vix anni unius Augusti thalami consors. Mitigaverat nonnihil acerbum Augusto, Aulæ, Austriacorúmque vulnus, natus die eadem Archidux, cui Sacro in fonte ab Eminentissimo Cardinale ab Harrach datum Caroli Josephi nomen.

Quiescentibus interim, firmatâ pace armis, eo exarsit Cæsar amplificandi Deiparæ sine labe conceptæ honoris desiderio, ut nova identidem versaret consilia, quemadmodùm parem in Immaculatam Virginem cultum in Viennensi Universitate procuraret; ne Domestica, inferior in Dei Matrem studio, exteris Academiis esset, quas Virgineo Conceptui devotissimas esse constabat: Sic Coloniensis & Moguntina apud Surium de rebus memorab. Anno 1051. Parisiensis apud Gordonum, & Canisium L. 1. Deip. c. 7. Salmanticensis, Toletana, Complutensis, Cæsar Augustana, Ilerdensis, Tarraconensis, Barcinonensis, Hispalensis, Valentina, & aliæ per Hispanias Academiæ apud Barbosam ad Sess. 5. Concil. Trid. in Remiss. & Balth. Parenn. in c. 28. perpetuo jam olim Decreto sanxerunt: neminem ad capessenda Academici honoris insignia admittendum, qui non dicto priùs juramento polliceretur, se singulari in Virginem affectu ejusdem Immaculatam Conceptionem asserere, & pro virili propugnaturum. Ad hæc certum erat, jam olim ab Universi-

tate Viennensi cultam esse Immaculatam Virginem, quando leges Theologicæ Facultatis hoc Statutum complectebantur: *In omni festivitate Virginis gloriosæ Missa fiat solennis cum Offertorio, præsente Rectore, cunctáque Universitate: Prima fiat in Festo Purificationis, in templo S. Stephani. Secunda in Assumptione Virginis, apud Fratres Ordinis B. M. de Monte Carmelo; Tertia in Annunciatione apud FF. Prædicatores; In Nativitate, in Monasterio Scotorum: In Conceptione in Capella B. Virginis in Littore &c.* Acriùs tamen incitabat Augustam pietatem tum propensior semper in hanc Immaculatæ Conceptionis partem Ecclesiæ sensus, quantumvis ea in controversia de fide definitum sit nihil; cum suprema sua in Universitatem authoritas, qua piam sententiam non minùs Universitati suæ tuendam, propugnandámque præcipere valeat, quàm Religiosarum Familiarum Præsides, vel ad docendas Angelici Doctoris, vel Scoti, aut alterius cujusvis Magistri opiniones suos obligare potuêre, Suadebat denique ratio; decere in ea potissimùm urbe, in qua & semetipsum Augustissimus Imperator ad Immaculatæ Conceptionis cultum, ac venerationem voto, & Proceres, populúmque suum jejunii præcepto volebat adstrictos, inconcussam omnino de Immaculata Conceptione Virginis vigere sententiam; ne, dum inter Sapientes plena est docendi libertas, populus quoque scindatur in partes, & inchoatæ nuper in Virginem religionis calor suffocetur. His rationibus, certus propositi sui, Imperator sub ipsum anni hujus principium ad Universitatem dedit sequentis tenoris Decretum:

„ QUæ nostra sit in Virginem sine originali macu-
„ la conceptam devoti animi inclinatio, ex eo
„ abundè intelligere potuistis, quod impetrato prope
„ hinc à biennio, omnium Ordinum consensu, eandem
„ nos in Archiducatûs nostri, & Sceptrorum, Corona-
„ narúm-

„ rúmque Tutelarem Patronam publico voto elege-
„ rimus, ejusdémque Immaculatæ Conceptionis Fe-
„ ſtum VIII. Decembris quotannis prævio jejunio ce-
„ lebrandum ſuſceperimus, ac ejusdem honori ere-
„ ctam in ſummo foro Statuam ſolenniter dedicaveri-
„ mus. Quoniam verò etiam propagari indies, &
„ videmus cum gaudio, & avemus quàm maximè
„ ejusdem Immaculatæ Conceptionis cultum, ac Reli-
„ gionem, ne quam fortè opinionum diverſitas, &
„ ſententiarum lites, apud imperitum vulgus pariat
„ confuſionem, aut voluntatum, animorúmque ſciſſio-
„ nem, ideò expedire judicavimus, ab Univerſitate
„ noſtra, quam ſanæ, probæque Doctrinæ parentem
„ agnoſcunt omnes, perennaturum Statutum erigi,
„ quod ad Magiſtratûs Academici inſtaurationem
„ quotannis dicto ſacramento innovetur, ut nemo in
„ Auſtriacam hanc Univerſitatem noſtram, ſive ad cu-
„ juscunque officii adminiſtrationem, ſive ad honoris
„ gradum in quacunque Facultate ſuſcipiendum ad-
„ mittatur, ſive in alia Univerſitate promotus in no-
„ ſtram aſſumatur, niſi priùs edito Juramento polli-
„ ceatur, ſe, donec aliter à Sede Apoſtolica determi-
„ natum fuerit, publicè, ac privatim velle piè tenere,
„ & aſſerere glorioſam Dei Genitricem Mariam abſ-
„ que Originalis peccati macula fuiſſe conceptam;
„ eandémque opinionem non modò in publicis Con-
„ cionibus, Lectionibus, Concluſionibus, aliisque acti-
„ bus publicis defendere, ac propugnare; ſed etiam
„ neque privatim dicto, vel ſcripto, vel quovis diſcur-
„ ſu in adverſum quidquam tractare, quod alias ſum-
„ morum Pontificum Conſtitutionibus cautum, & à
„ pluribus Univerſitatibus actitatum non ignoratis.

„ Quare mandamus tibi, Rector, & toti Acade-
„ mico Conſiſtorio, ut ejuſcemodi Statutum erigatis
„ quantocyus, Facultatibus, ac Nationibus intimetis, &
„ cum omnibus Facultatum Decanis, Procuratoribus
„ Nationum, omnibúſque Doctoribus, Magiſtris, Li-

„ centiatis

„ centiatis, Baccalaureis, & Universitatis membris, ac
„ subditis ad proximam Virginis ab Archangelo salu-
„ tatæ celebritatem juramentum in forma Universi-
„ tatis solenniter deponatis, idque revolutis annis sub
„ Magistratûs Academici renovationem, priusquam
„ primum Consistorium celebretur, renovetis. Præ-
„ cipimus insuper, ipso Deiparæ sine macula Concep-
„ tæ Festo à Theologica Facultate ejusdem honori
„ publicam in Basilica D. Stephani Orationem ad Aca-
„ demicos de more haberi, eodémque sub Vesperum
„ Die Virginis Lauretanæ encomia in summo urbis
„ foro decantari, ad quæ, suo spectabiles habitu, Uni-
„ versitatis Rectorem, Decanos, & Nationum Pro-
„ curatores comparere jubemus. Non intendimus
„ tamen hoc nostro sancito Ordini S. Dominici quid-
„ quam præjudicare, aut derogare; confidimus tamen
„ ejusmodi ab illis Subjecta Universitati, & Facultati-
„ bus præsentanda, quæ in præsenti causa id præstent,
„ quod in aliis per Christianum orbem Universitatibus,
„ simile Statutum habentibus, Ordo ille perinde, con-
„ stitutionibus suis, ac Pontificiis illæsis, præstare po-
„ test. Non dubitamus fore omnino, ut Rector, Con-
„ sistorium, ac tota Universitas, nostro, Hæreditarii
„ sui Principis ac Domini, Successorísque legitimi, pio-
„ rum Fundatorum obsequio se conforment; qua re
„ nostram quoque gratiam, ac favorem sibi indubita-
„ tè devincient. Viennæ 19. Jan. 1649.

Exceptum est id edictum debitâ à Rectore Magnifico, Viro & pietate, & meritis spectatissimo, Joanne Guilielmo Mannagetta, Medicinæ Doctore, & Cæsaris Archiatro, reverentiâ, relatúmque quantocyùs ad Academicum Senatum. Verùm, ut invito nemine, omnibus observanda, statuerentur, cum Facultatibus singulis Cæsareæ literæ sunt communicatæ. Indicta sæpiùs â Facultatum Decanis ea super re comitia, â Theologica præcipuè, in id intentâ, qua ratione Doctores è

Præ-

Prædicatorum Familia in acceptandam, propugnandámque piam Sententiam possent inclinari; impetrari tamen haud aliud potuit, quàm quòd contrariam Sententiam juxta Summorum Pontificum Decreta, nunquam se proposituros pollicerentur, responderéntque, id totum & se pro debita in Cæsaream Majestatem observantia præstituros, quæ in aliis Catholicis per orbem Christianum Universitatibus Ordinis sui Doctores juxta ejusdem Ordinis constitutiones, & Pontificum Decreta, præstant. Exierat interea Dies Annunciationi Virgineæ sacer, quem dicendo jurejurando Cæsar nominaverat; idcirco, etsi Hungariæ Comitiis Posonii distineretur, suæ tamen religionis memor, altero sub 3. Idus Aprilis expedito Decreto præcipit Universitatis Rectori: Senatum Academicum convocaret, communíque quantocyùs Senatûs Consulto Statutum, â se imperatum, confectum darent; Sacramento ad proximum D. Georgii festum sese devoverent; eodem denique inclinante die ad decantandas in Summo Foro Lauretanas Virginis Litanias Universitatis Doctores ornatu, & amictu Academico induti, comparerent.

Addidit ea Cæsaris constantia cunctantibus quidem stimulos, necdum tamen præfixo â Cæsare termino in imperatam formam poterat conveniri: ergo nonnisi 11. Maji ex sententia Facultatum perpetuum Statutum â Senatu Academico est confectum, cum quo, Universitatis nomine, P. Zacharias Trinckelius S. J. eo tempore Domûs Professæ Præpositus, ac Inclytæ Facultatis Theologicæ Decanus, ad Cæsaream Majestatem Posonium est ablegatus, ut confirmationem Statuti à Cæsare impetraret, postularétque diem, quo inter cantati sacri solemnia Rectori cum Academicis Proceribus in manus Universitatis Cancellarii juramentum esset emittendum, atque ipsam quo ue eam in solemnitatem præsentiam Cæsaris sollicitaret. Acceptus, auditúsque & prolixè, & clementer Univer-

sitatis

ſitatis Legatus ab humaniſſimo Cæſare, â lætitiæ ſignificatione haud ſibi temperante, quam ex profeſſo Academicorum in Immaculatam Virginem ſtudio percepiſſet; nec adpromiſit modò Cæſar præſentiam ſuam, ſed extemplo comprobationis, confirmationis Decretum, cui Statutum Academicum inſertum voluit, publicis litteris ad Univerſitatem expedivit ſequentis tenoris:

„ NOs Ferdinandus III. Divinâ favente clementiâ „ Electus Romanorum Imperator ſemper Au„ guſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dal„ matiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux „ Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Ca„ rinthiæ, Carnioliæ, &c. Marchio Moraviæ, Dux „ Lucemburgiæ, ac Superioris, & Inferioris Sileſiæ, „ Wirtembergæ, & Teckæ, Princeps Sueviæ, Co„ mes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Go„ ritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Rom. „ Imperii Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſa„ tiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis „ & Salinarum tenore præſentium notum facimus, „ quibus expedit Univerſis, comparuiſſe coram Nobis „ Honorabilem devotum nobis dilectum, Patrem „ Zachariam Trinckelium, Domus Profeſſæ Societa„ tis Jesu Viennæ Præpoſitum, Theologiæ Doctorem, „ & pro tempore ejusdem Facultatis Decanum, utpo„ te ab Univerſitate Noſtra Viennenſi ad Nos ablega„ tum, & Literis Credentialibus ſufficienter ab eadem „ proviſum, qui demiſsè Nobis expoſuit, qualiter „ ejusdem Univerſitatis Rector & Conſiſtorium, poſt „ omnium Facultatum informationes, & vota tam „ ſcripto, quàm vivâ voce prolata, tandem unanimi „ ſententiarum conſpiratione, juxta benigniſſimum „ Noſtrum placitum & mandatum, die decimâ nonâ „ Januarii currentis anni 1649. Viennæ emanatum, „ peculiare Statutum condiderint, perpetuis dein-

„ ceps

„ ceps temporibus valiturum atque obſervandum.
„ Cujus quidem Statuti Nobis ab eodem Patre Zacha-
„ ria Trinckellio reverenter exhibiti tenor eſt talis,

Statutum de Immaculata B. Virginis Conceptione ab Univerſitate impoſterum aſſerendâ, ex Mandato ſacræ Cæſareæ Majeſtatis factum in plena Conſiſtorialium, & è quatuor Facultatibus delegatorum Congregatione, unanimi omnium votorum conſenſu concluſum, 11. Maji, anno Domini M. DC. XLIX. & à ſac. Cæſ. Majeſtate, &c. Poſonii confirmatum 17. Maji.

„ FEſtum Beatiſſimæ Virginis MARIÆ abſque pec-
„ cati originalis maculâ conceptæ, tam ſingularis
„ Patronæ, ut alia Univerſitatis Feſta majora, poſt
„ præcedentis diei jejunium, deinceps quotannis pub-
„ lica chori & fori ſolennitate, ab omnibus membris
„ Academicis in templo ſancti Stephani celebretur,
„ & finito Sacro à Facultate Theologica in honorem
„ hujus tituli latina Oratio habeatur.

„ Eodem die abſolutis Veſperis, Rector & Deca-
„ ni, conſueto habitu ornati, ſubſequentibus Acade-
„ micis ad B. Virginis columnam, à ſac. Cæſarea Ma-
„ jeſtate ante Templum Domûs Profeſſæ Societatis
„ Jesu in foro erectam, procedant; ibique flexis ge-
„ nibus Litaniis Lauretanis interſint.

„ Nemo impoſterum ad gradum Baccalaureatûs,
„ Magiſterii vel Doctoratûs, aut alibi promotus in ali-
„ quam Facultatem recipiatur, nec ad Profeſſuram,
„ vel conſeſſum Conſiſtorii admittatur, niſi priùs ad
„ manus Reverendiſſimi Domini Cancellarii Acade-
„ mici præſtiterit ſequentis formulæ juramentum.

EGo N. ſpondeo, voveo, ac juro, me juxta Summorum Pontificum, Pauli V. & Gregorii XV. Conſtitutiones, publicè, ac privatim velle piè tenere,

& aſſe-

& asserere: Beatissimam Virginem MARIAM DEI Genitricem, absque originalis peccati macula conceptam esse, donec aliter à Sede Apostolica definitum fuerit, Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

„ In præsentatione Doctorandorum, post emissam „ Fidei Professionem, idem Juramentum juxta For„ mulam hìc præscriptam subnectatur.

„ Hoc ipsum Juramentum, Dominicâ infra Octa„ vam Corporis Christi, Reverendissimus Dominus „ Cancellarius Academicus, in templo Domûs Pro„ fessæ Soc. Jesu præsente sac. Cæs. Majestate, inter „ cantati Sacri solennia, post dictum à se symbolum, „ ipse primus flexis genibus ante altare Deo præstet. „ Postmodum ad ejusdem considentis manus, Rector „ suo ac totius Universitatis, similiter Decani Facul„ tatum, Academicâ togâ, & epomide ornati, suo, „ & suorum collegiatorum nomine, idipsum ritè præ„ stent. Tandem die ac loco designandis, reliqui Do„ ctores omnes & singuli, sive Facultati, quam pro„ fitentur, incorporati sint, sive extra Facultatum „ Collegia Universitatis matriculâ comprehendantur, „ coram ipso Domino Gancellario emittant.

„ Quæ omnia, ut in viridi posthac observantiâ per„ ennent, quotannis post instaurationem novi Magi„ stratus Academici, antequam primum Consistorium „ celebretur, Rector electus, Festo aliquo sibi com„ modo, in Æde sacra D. Stephani, præfatum Jura„ mentum, nomine totius Universitatis, in manus „ Gancellarii ejusdem Universitatis, inter Missarum „ solemnia; post Credo decantatum, ut prima vice „ factum, præsentibus omnibus Decanis, & Faculta„ tum Doctoribus, innovabit.

„ Cæterùm cùm Sac. Cæs. Majestas, clementissi„ mè Ordini S. Dominici nihil præjudicare, aut de„ rogare velit per suum Decretum hujus rei causâ ema„ natum, confidat tamen, uti sese etiam iidem Patres

„ bene-

„ benevolè obtulerunt, ejusmodi ab aliis Subjecta „
„ Universitati, & Facultatibus præsentanda, quæ
„ omne id in hac causa præstitura sint, quod in aliis
„ Catholicis Universitatibus simile Statutum habenti-
„ bus, Ordo illorum secundùm suas Constitutiones, &
„ Decreta Pontificum præstat. Censuerunt Faculta-
„ tes eosdem Patres nullo vigore præsentis Decreti,
„ Juramento in hac Causa obligandos esse, rogandám-
„ que suam Sac. Cæs. Majestatem, ut hoc Universitatis
„ Judicium, & Statutum clementissimè dignetur ap-
„ probare.

„ Humillimè Nobis proinde supplicans, ut supra
„ insertum Statutum majus robur, & firmitatem, se-
„ ræque posteritatis memoriam authoritate Nostra
„ Cæsarea, atque Archiducali benignissimè confirmare,
„ & ratificare dignaremur.

„ Cùm igitur Statutum hoc, Nobis volentibus,
„ à prænominata Universitate Viennensi ita factum, &
„ conditum sit, ex quo Nos specialem Beatissimæ Vir-
„ ginis MARIÆ in multis, & magnis Regnorum, &
„ Imperii Nostri difficultatibus opem, & patroci-
„ nium, eidem Virgini DEI-paræ Immaculatè Con-
„ ceptæ, in peculiarem Austriæ Patronam assumptæ,
„ Nos: Liberos: Populos: Exercitus, Provincias, &
„ omnia denique singulari pietatis affectu, & cultu de-
„ dicavimus, donavimus, & consecravimus, atque
„ in perpetuam ejus rei memoriam in Urbe Nostra
„ Vienna, conspicuam ante Templum Domus Pro-
„ fessæ Societatis Jesu, in publico ibidem foro colum-
„ nam ereximus, & Immaculatè Conceptæ Virginis
„ imaginem in supremo ejus columnæ vertice colloca-
„ tam, populorum devotioni proposuimus, nec non
„ solemni voto Nos, Nobisque subjectos Populos, ac
„ præcipuè quidem Austriacæ Provinciæ Ordines, at-
„ que omnes ejus, ac Civitatis Nostræ Viennensis In-
„ colas, atque inhabitatores universos, accedente, ac
„ præhabito eorundem libero consensu obligavimus,

„ præmisso Ecclesiastico de more Jejunio, ejusdem
„ Immaculatæ Conceptionis diem, octava Decem-
„ bris quotannis publicè, ac solenniter, etiam quoad
„ sorum, Festum agere, ut hæc ipsa pietas in subdito-
„ rum nostrorum animis solidiores radices ageret, &
„ omnis etiam, quæ ex diversarum opinionum, &
„ sententiarum, maximè inter Viros doctos, à quo-
„ rum sensu reliqui pendere solent, Propugnatione,
„ & Publicatione, sive ea in Ecclesiasticis Cathedris,
„ sive in publicis Scholis, sive etiam in privatis ser-
„ monibus, & scriptis fiat, facilè exoriri potest, per-
„ turbatio, dissensio, jurgia, & quæ inde consequitur,
„ DEI offensio, in terris nostris hæreditariis tollere-
„ tur.

„ Ideo animo bene deliberato, maturo accéden-
„ te consilio, déque nostra scientia, antedictum Statu-
„ tum ab Universitate Nostrâ Viennensi confectum be-
„ nignissimè approbamus, ratificamus, atque con-
„ firmamus, volentes, ac etiam authoritate Nostra
„ Cæsarea, & Archiducali firmiter statuentes, &
„ jubentes, ut Statutum istud perpetuis à modò, &
„ in futurum temporibus suum robur, & firmitatem
„ obtineat, atque ab omnibus piè, & sincerè, candidè
„ & inviolabiliter observetur. Harum vigore *Lite-*
„ rarum Manu propria subscriptarum, & sigillo No-
„ stro Cæsareo communitarum. Datæ in arce Nostrâ
„ Regiâ Posonii, die 17. Maji 1649.

Ferdinandus m. p.

Joannes Matthias Prickelmayr, m.p.
*Z*acharias Constantinus Kirchmayr m.p.

Redierat eo cum Decreto Religiosus Legatus, diémque præstando juramento Dominicam proximam Sanctissimæ T initatis, à Cæsare nominatam, adpromissámque præsentiam retulerat: at quoniam invalitudo, juxta & Regni negotia reditum Cæsaris Viennam dies

dies adhuc nonnullos inhibuêre, solennitas illa in Dominicam infra Octavam corporis Christi, qua latens sub pane Deus solita in Professorum Societatis Jesu templo supplicatione circumfertur, est tantisper dilata. Illuxerat jam duplici serenitate serenus dies; cùm sub horam sextam matutinam frequentissimo numero Academici omnes, ex Rectoris Magnifici jussu, ad Universitatis Domum convenêre, indéque suas Decani, ac Theologica Facultas omnis (nam nuper ex liberalitate præcipuè congregatorum tunc Viennæ ad Provincialia comitia Societatis Jesu Rectorum, qui è Facultate erant, cæterorúmque Facultatis membrorum pro Festo S. Joannis ante Portam Latinam pro singulis Theologiæ Doctoribus purpureæ procuratæ erant) induti epomoides, ad sacram Professæ Societatis Jesu Domûs ædem procesśêre: sub adventum Cæsaris, ubi, in Lythurgia sacra symbolum Apostolicum fuisset decantatum, P. Leonardus Bachinus Societatis Jesu SS. Theologiæ Doctor, & Augustæ Leopoldinæ à sacris confessionibus, sermonem facundissimum, quo concinnum sanctissimi Sacramenti cum DEipara Virgine Immaculatè concepta nexum exhibuerat, instituit. Vix ille peroravit, cum provolutus ad aram, qui solennitatem faciebat Universitatis Cancellarius, positis super libro Evangeliorum digitis, primus juramento sese obstrinxerat: tum eandem ad aram Rector Magnificus, sæpius laudatus Guilielmus Managetta cum Cæsareo Superintendente, ac Collegii Societatis Jesu Rectore, & quatuor Facultatum Decanis progressi, singuli in manus Amplissimi Cancellarii, Evangeliorum librum tenentis, in eandem formam suo primùm, tum suorum nomine juravêre, spectante desuper magno animi sensu Imperatore, totâque affluâ Universitate in genua provolutâ. Divino subinde peracto officio à Celsissimo Viennensium Antistite sacra hostia in supplicationem deportata, Cæsare cum Serenissimo Filio Leopoldo, comitante, quos, ùt erat congrega-

ea Universitas, pompâ omnino singulari, & in eam usque diem nondum visâ, est prosecuta. Dictus subinde ab Cancellario dies, quo singuli singulis è Facultatibus Doctores ad sacellum Domesticum convenêre, eodem juramento ex Statuti formula se se obstricturi.

Atque is primus quidem in Immaculatam Virginem ab Universitate publicus cultus fuit; cùm ex Statuti formula, & Festum ipsum ejusdem Virgineæ Conceptionis 8. Decembris primùm solenni ritu celebratum, Cæsare ipso ad Offertorium, ùt vocant, sub Sacra Celsissimi Episcopi Viennensium Lythurgia præcedente. De laudibus Immaculatæ Virginis latinâ facundiâ à P. Cornelio Gentiloti Societatis Jesu, Rhetorices Professore, peroratum: ipsum autem Juramentum de asserenda, tuendáque eadem Immaculata B. Virginis Conceptione à Rectore novo Magnifico, quatuorque Decanis tum suo, tum totius Universitatis nomine præstitum 27. Decembris, die nempe B. Joanni Evangelistæ Sacro; qui juri-jurando dies plerumque, ad annum usque 1656. est observatus, uteodem loco ampliùs referemus.

Memoriam sui peculiarem meretur Actus Theologicus anni hujus, quo 26. Augusti sex omnino ejusdem Religiosæ CistercIensium Familiæ in Antiquissimo, & Celeberrimo Campililiorum Cœnobio Professi; nempe Admodùm Reverendi, ac Religiosi P.P. Albericus Burghoff Prior; P. Guilielmus Glöckner Subprior; P. Edmundus Prym Vicarius in Tyrckniz; P. Malachias Rosenthall; P. Matthæus Kollweis; P. Hilgerus Burghoff, Theologici Doctoratûs Purpurâ à P. Matthia Bastianchitz Societatis Jesu Facultatis Pro-Decano sunt insigniti. Debuêre hi eum honorem, & præclaris in scientia Theologica meritis, & Reverendissimo Abbati suo, Ignatio è Baronibus à Crafft, Literatorúmque Fautori Studiosissimo. Cohonestârunt præsentiâ suâ Theologicum ad D. Stephani Theatrum Nuncius Apostolicus, Legatus Venetus, Prælati Campililiensis, Melicensis,

Scoten.

Scotensis, Montis Serrati; tum omnis generis, ac Nobilium frequentissimus numerus; illud præcipui decoris huic actui accesserat; quòd disputandi Theologici Problematis pars altera adversarium haberet, qui sub eos annos Viennæ aderat, Reverendissimum Joannem Caramuelem de Lobkovitz Mesrosensis Cisterciensium Cœnobii Abbatem, & Misiæ Episcopum, Virum & à Scientia Theologica, & editis libris celeberrimum.

Dederat horum Religiosissimorum Virorum in Theologiæ Baccalaureos superiori anno promotio occasionem Universitatis Cancellario, renovandi eam litem, quæ post impetratam ab Eminentissimo Kleselio Bullam Urbani VIII. jam frequentiùs commota erat; vi cujus, & promovendos ad Baccalaureatûs gradum, & repetituros ad Facultatem, tametsi id ea in Universitate, in qua Doctores creati fuêre, præstitissent, ad emittendam Fidei professionem in manus Cancellarii volebat esse obstrictos. Huic eorum postulato quamquam jam anno 1627. & 1631. ac iterum anno 1644. à Facultate fuisset contraventum; ne tamen controversiæ illi imposterum locus esset, Facultas ad dispiciendam Bullam Urbani, aquisitúmque inde Cancellario jus, 7. Januarii Conventum indixit, communique suffragio conclusum; nihil prætensi in Baccalaureos Juris Cancellario esse ob rationes, quas fusiori calamo Acta Theologica ad hunc annum annotârunt. Resuscitatam non semel quidem, & sequentibus annis hanc controversiam sub Cancellariatu Stephani Zwirschlag tum in Actis Theologicis, tum Philosophicis reperio; potissimùm ea occasione, quòd in Statuto Universitatis de Immaculata Conceptione expressè haberetur: *Nemo imposterum ad Gradum Baccalaureatûs, Magisterii, vel Doctoratûs, aut alibi promotus in aliquam Facultatem recipiatur, nec ad Professuram, vel consessum Consistorii admittatur, nisi prius ad manus Reverendissimi D. Cancellarii Academici præstiterit sequentis formulæ Juramentum &c.* At reclamatum

matum semper prætenso Juri de emittenda Fidei professione in manus Cancellarii ab iis, qui aut Baccalaureatûs gradum quacunque in Facultate, aut, qui jam aliunde in promotione sua, emissâ Fidei professione, ad Facultatem repeterent. Id certè à cæteris Facultatibus factitatum fuisse nunquam, Acta Theologica ad annum 1653. expressè docent.

Vacanti jam ab An. 1646. Superintendentis Cæsarei apud Universitatem muneri demum ab Aula An. 1649. admotus est Joannes Baptista Suttinger, J. U. Doctor, atque Excelsi inferioris Austriæ Regiminis Cancellarius actualis. Hac simul occasione ad Universitatem missum ab eodem Regimine, ut Acta Academica memorant, Decretum, quo Superintendenti Cæsareo in Consistorio Suffragii, votique jus concedendum, asserebatur. Reposuit ad id Universitatis Senatus: *Domino Superintendenti juxta instructionem Anno 1556. 19. Maji authoritate Ferdinandi I. factam, de jure votum in Consistorio non competere, eúmque id duntaxat per modum Consilii habere, si à Rectore Magnifico ejus judicium requiratur: istud ipsum Anno 1593, cùm controversia hac eadem esset mota, Superintendente tunc Carolo Stedele, 15. Februarii à datis desuper Commissariis Regiminis, esse confirmatum: Dominos quidem Superintendentes Schaffler, & Perger dedisse non semel vota sua in Consistorio, id tamen eos non jure suo fecisse, sed eis id honoris causâ esse permissum.*

Ab An. 1650. usque ad 1654.

Norimbergæ omnibus, quæ ad ictæ nuper pacis stabilitatem pertinebant, peractis, conventus Ordinum solutus est, celebrato prius exquisitissimis epulis, & non usitato aliàs triumphalium ignium apparatu, pacificationis fine. Inde Augustissimus Imperator ad reducendos in Ditiones suas pacis fructus conversus, præprimis de jungenda sibi tertia Conjuge mentem adjecit. Delecta multis de causis erat Cæsari Ma-

ri Ma.

ri Maria Eleonora Caroli II. Mantuæ Ducis Filia, quam Anno 1651. 2. Aprilis Neostadii Austriæ multâ pompâ tertiis nuptiis sibi copulavit. Inde Viennam redux, quod pridem meditatus est, stabiliendo in Ferdinando filio, jam Hungariæ, Bohemiæque Rege, Imperii Sceptro majoribus studiis occupabatur. Igitur Electorum Imperii votis ut præluderet Cæsar, ejusdem Anni mense Septembri Archiducem Austriæ designat, convocatis Inferioris Austriæ Ordinibus, qui fidei Sacramentum hæreditario Principi, vivo adhuc parente, jurarent; magno apparatu homagium more majorum præstitum. Anno subinde altero 1652. indictis jam Ratisbonam ad Kalendas Novembris Imperii Comitiis, cum Imperatrice, & Rege filio Pragam profectus, invitatos ad sese penè omnes habuit hospitio Electores, Palatinum nempe Carolum Ludovicum, nuper pace Westphalica in Ditiones, dignitatémque Electoralem, quâ Parens Fridericus hiemalis Bohemiæ Rex exciderat, restitutum, Moguntinum, Trevirensem, Saxonem, ac Brandeburgum, cum Maria Anna sorore, Maximiliani Bavari Septemviri, anno Superiori vitâ functi, viduâ. Procuratis jam Electorum animis, cùm Comitiorum dies graves, variásque ob causas differretur, Cæsar demum mense Decembris cum Rege Ratisbonam accessit. Agitatis Reipublicæ negotiis deligendo Romanorum Regi Augusta Vindelicorum nominata: ad quam posteaquam Septemviri, Legatíque convenissent, inito suffragandi more, communibus votis, Ferdinandus IV. Romanorum Rex 24. Maji Anno 1653. est nominatus, veterique ritu Ratisbonæ 18. Junii à Moguntino Electore Imperii Coronâ insignitus. Habitus haud paulò post idem honos Augustissimæ Imperatrici Mariæ Eleonoræ, dum eadem Corona 4. Augusti ab eodem Electore Pontifice ornaretur.

Interea, ut cum pace vetus Religio in totam reduceretur Austriam, quam non paucæ adhuc Protestantium reliquiæ incolebant, severè sanxerat religiosissi-

 mus

mus Cæsar, exilio multandos eos, qui ad Catholicos ritus transire detrectarent. Delecti eam in rem Commissarii complures, qui additis decem è Societate, aliisque Religiosorum Familiis, Austriam obirent, atque infelici lolio perpurgarent. Septingentos omnino à solis Societatis Operariis, eósque inter Pontis ad Leytham Dominum, Adamum Maximilianum Comitem Trautmanstorffium cum Dynastia tota, ad avitam religionem reductos lego. Datas quoque ex Cæsaris voluntate ad Universitatem literas 28. Novembris Anno 1652. Acta Universitatis memorant, quibus ei iteratò jus perquirendi in hæreticos Libros, Schediasmata, & ejusmodi seu doctrinæ, seu morum perversorum lucubrationes per omnes Viennensis Urbis officinas asserit, demandátque, accuratiorem in id muneris curam adhiberet.

Novæ literariæ coloniæ, ex Academici Societatis JESU Collegii Gymnasio in Professorum Domum ductæ, initium fecit Annus 1650, quo & Cæsaris voluntate, & Universitatis consensu (*sine quo Viennæ Scholas habere ex primævo Alberti III. Statuto, utriusque Ferdinandi I. & II. Sanctione licuit nemini*) Elementaris, & trium reliquarum Grammatices Classium illic ludum aperuit Societas. Plura erant, quæ illas Scholas suadebant: Tanta jam Scholarium in Academico Societatis JESU Collegio erat frequentia, quam unum non facilè caperet lycæum; longiùs præterea Occidentalis Urbis pars ab Academia distabat, ac ut imbecillioris ætatis juvenes binis quot dies vicibus sinè valetudinis dispendio, si pluvium præsertim cœlum, aut asperior bruma incidisset, scholas adirent. Ad hæc jam eam sibi literas hasce tradendi Provinciam RR. PP. Barnabitæ depopoſcerant, si eam Societas sua in Professorum Domo recusaret. Et aderat opportunè huic Societatis cœpto Excellentissimi Comitis Rudolphi à Teuffenbach, Aurei Velleris Equitis, & Generalis Cæsareæ militiæ Mareschalli munificentia, quæ am-

plum

plum æs, ex cujus censu Magistri alerentur, non adpromittebat modò, sed in fundationem reipsa offerebat. Sexta igitur Novembris die, D. Leonardo sacrâ, in vicinis, ruinosisque ædibus Scholæ primùm haberi cœptæ, dum post septennium demùm in coëmptum aliud, reparatúmque hodiernum Scholarum Domicilium, cum discipulis Religiosi Pædagogi transiêrunt. Agnoscunt etiamnum hodie Scholæ illæ Authorem in Cæsare, & Fundatorem in Excellentissimo illo Heroë, qui jam inde à Matthiæ Cæsaris temporibus pro Austriaca Domo non feliciter minùs, ac constanter depugnârat, perpetuâ grati animi memoriâ venerantur.

Biennio deinde ab erecto hoc Domûs Professæ Gymnasio, annò nimirum 1652. Convictores è veteri Provincialium Scholarum domo in novas itidem ædes, quas in hanc usque diem incolunt, commigrârunt. *Bursa* quondam *Rosarum* illic erat, humilésque præsidiariorum militum sub ipsis urbis mœnibus ædiculæ, è quibus in meliorem formam redactis tota hæc moles, quæ hodie visitur, surrexit. Binæ præterea aliæ Civium Viennensium Domus D. Barbaræ Sacello locum fecêre. Necessarios perficiendo novi hujus Convictorum Collegii ædificio sumptus RR. PP. Dominicani magnam partem, ex pacto, persolverunt; postquam iisdem Societatis Patres, initâ post annosam litem amicâ conventione, *Scholarum Provincialium ædes*, quæ ab Anno 1624. Ferdinandi II. concessione Convictoribus habitabantur, anno 1650. cessissent. Atque sic demum perpetuum nacti sunt domicilium Convictores, postquam ex aliis in alias semper ædes translati multis annis urbem percurrissent. Primùm enim in Collegio veteri PP. Societatis consedêre; inde in coëmptam à Ferdinando I. Provincialium domum, haud longè à Professorum Domûs templo dissitam, transierunt: mox à Maximilliano II. ademptis illis, quas Ferdinandus Parens dederat, ædibus, ad Socie-

tatis

tatis JESU Collegium reversi; iterum dein Bekianas, seu Bastanianas (Nunciaturam hodie) incolere jussi sunt; tum Harrachianam propè Scotenses domum; atque rursum Provincialem Scholam, Dominicanis adsitam, in domicilium obtinuêre; dum tandem in iis, quas hodie frequentes obtinent, ædibus stationem fixissent; ubi ad hæc usque tempora & literis, & pietate exculti, eos utrique Reipublicæ viros dedêre, qui & doctrinâ, & pietate, & sacris, & profanis non Austriæ modò, sed toti ferè Europæ notissimi.

Complura adhuc supererant, quibus jam inde ab edita per Ferdinandum II. sanctione Pragmatica Academicorum Societatis JESU Collegium Universitati obstrictum tenebatur; non, quòd executionem recusaret, sed, quòd temporum injuriâ, gravésque ob causas, præpediretur. Ergo, ut hæc etiam amicâ transactione componerentur, parti utrique visum dati utrimque rei tractandæ Commissarii sub Rectore Magnifico Joanne Managetta, qui Anno 1653. in eam perpetuo valituram convenêre transactionem, quam Sanctioni Pragmaticæ ad finem Opusculi nostri annectimus.

Publico huic Transactionis instrumento suum robur à Cæsarea approbatione, confirmationéque ut adderetur, rogatu Rectoris Magnifici R. P. Ferdinandus Herberstein, Collegii Academici Rector, Ratisbonam, ubi post Regis Filii inaugurationem componendis Imperii negotiis Cæsar versabatur, profectus est, facilisque ad Cæsarem aditu non modò approbationem eorum, quæ dicto Transactionis instrumento continebantur, impetravit; sed evicit etiam Patrum Societatis apud Cæsarem gratiâ; & potissimùm Principis ab Auersperg, Supremi Aulæ Regiæ Præfecti; Excellentissimi Comitis Curtii Imperii Pro-Cancellarii; & Illustrissimi L. B. de Goldegg, Aulæ Cancellarii Patrocinio, ut Cæsar apud Vicedominum Viennensem censum 10000. clementer in perpetuum pro auxilio Stipendiatorum transcriberet, & assignaret.

Con-

Confectis ex voto apud Cæsarem rebus P. Herbersteinius Viennam accelerat; jámque omnia, ut executioni, quæ transacta essent, darentur, spectabant, nisi moram nonnullam Rectoris Magnifici afflicta valetudo, cujus operâ rem omnem confectam volebat Cæsar, injecisset. Id ubi à Cæsare intellectum, dari literas ad Universitatem demandat, quibus Rectoris Magnifici munus eidem Joanni Guilielmo Managettæ in alterum annum, nempe 1654, prætermissâ Facultate Philosophicâ, ex qua eo anno Academicorum Caput deligendum fuerat, ex plenitudine suæ potestatis continuat, ut quo Rectore Magnifico, jurium Universitatis peritissimo, Transactio illa cœpta, eodem ad executionem promoveretur.

An. 1654.

QUi insolitos inter Lætitiæ apparatus Viennensibus Serenissimum Ferdinandum IV. Romanorum Regem inauguratum reddidit, eundem annus hic majores inter luctûs significationes sustulit è vivis. Redierant è clausis Ratisbonæ Comitiis Augusti Cæsares, factâque è navi, qua per Danubium defluebant, excensione, 24. Maji, ipsâ Pentecostes Dominicâ, Viennam ingressi sunt. Stabant ad Danubiale littus collectæ ex Viennensibus, Provincialibúsque Equitum Centuriæ, Aulæ Ministri, & Excelsum Regimen, à cujus Cancellario, Universitatis tum simul Superintendente, Joanne Baptista Suttingero Cæsar, atque Rex præprimis, multâ facundiâ salutatus. Ad Rubram subinde Turrim, ubi pontem sublicium Cæsares essent transgressi, à Magistratu Urbico, ejúsque Consule Thoma Wolffgango Buecheneggero; tum ad D. Stephani Portam majorem ab Universitatis Senatu, omnique Clero, ritu, moréque veteri excepti, sub umbella, quatuor Facultatum Decanis Bajulis, in ædem sacram sunt deducti. Reduces è templo terni triumphales arcus, ad Stock

in

in Eisen, in Foro Herbario, & Garbonariam plateam excepêre, Viennâ Universâ penè ad insaniam lætâ.

At vix ab eo lætitiæ die quadragesimus abierat, cùm morbillis, fatali Austriacis morbo, affectus Serenissimus Rex, 9 Julii extinguitur. Tanta calamitas, tam improvisa, Ferdinando Parenti tantùm non mortem accersisset, nisi Divinis nutibus assuetus, & suapte excelsus animus etiam fatis iis fuisset superior. Nec Viennam duntaxat, sed orbem omnem Christianum funestus hic casus alto mœrore defixit; Hanc, quòd, triumphales arcus, queis nuper Augustum exceperat, pullo vestitu, feralibus vexillis, in luctum indutos conspiceret; Illum, quòd spes suas in Ferdinando filio, qui ad rei Christianæ gloriam, & felicitatem adoleverat, cerneret inopina morte intercisas. Vitam ferè ad annum 21. deduxerat, quam An. 1633, ipsa natæ Virginis die erat auspicatus. Princeps ad magna, & heroica natus, factúsque, cujus adeò ætas Virtutum Principe dignarum viva imago, ut non nisi Virgineus Rex appellaretur. Illatum Cæsareo ad Capucinos Mausolæo 12ma Julii Regium funus, cùm subinde in Aulica Augustinianorum Ecclesia funebri pompa decentiùs est parentatum, de Laudibus Augusti P. Thoma Dueller è Societate JESU, Aulico Encomiaste, ultra duas horas perorante.

Quæ superiori anno in transactione constituta sunt, pleraque sub annum hunc in opus redacta. Traditum à R. P. Gollegii Rectore Facultatis Philosophicæ in usus supremum ea in Domo, quæ Dominicanorum Cœnobium ad finem Scholarum respicit, cubiculum, atriúmque; ponè, cubiculum aliud bene magnum. Bibliothecæ Academicæ cessit; sub cujus contignatione inferiori, Medicorum Auditorio, Anatomiæque locus est designatus. Inde ut Stipendiatorum seu *Bursistarum* res conficeretur, Seminarium S. Ignatii, in quod eodem hoc anno Pancratiani erant translati, iisdem quadraginta omnino Alumnis habitandum obtigit; eorum in

susteu-

ſuſtentationem annuos bis mille quadringentos florenos Univerſitas ſtipulabatur ita, ut mille ſexcentos annuatim veterum Burſarum redituum Superintendentes perſolverent; Sexcenti aſſignato à Cæſare cenſu penderentur: ac demum Academicum Collegium ſpontanea collatione ducentos reliquos conferret. Tenuit is Alumnorum numerus ad Annum uſque 1656, quo, dum Superintendentes ærarii defectum cauſantur, eosdem ad vigeſimum numerum imminui oportuit. Demum veteris Aurei Montis in vicem, Scholziana Domus in S. Joannis platea, quæ poſthac inhabitandis tenuioris fortunæ Studioſis inſerviret, iisdem omnino conditionibus, quæ in Transactione habentur, Univerſitati legitimè, juridicéque eſt conſignata.

Non abs re eorum, qui ex laudato Seminario ad utriuſque Reipublicæ commoda, dignitatéſque progreſſi ſunt, me facturum puto, dum ejusdem originem & incrementa repeto. Incolebant poſt abſumptum incendio Anno 1607. Societatis JESU in Foro Aulico Collegium, Convictores Beckianam Domum, cùm ob loci anguſtiam, creſcente Convictorum, Alumnorúmque numero, Illuſtriſſimi Cardinalis à Dietrichſtein interventu, Harrachiana Domus ad Scotenſe Cœnobium ſita Anno 1616. coëmpta, atque in eam Convictores, veteréſque Alumni inducti ſunt, Beckianis ædibus in Seminarium à Societatis Superioribus aptatis, in quibus tenuioris fortunæ juvenes alerentur; cujus ad atrium, quòd Sacellum D. Pancratio ſacrum exiſteret, Seminarium illud à S. Pancratio appellari cœptum. Translato ſubinde in veteres Academicarum Burſarum, & Collegialis Domûs ſtructuras Academico Societatis JESU Collegio, & Seminarium Pancratianum, Convictúmque commigrare oportuit. Divendito itaque Beckiano Domicilio, & Cæſaris, & Magiſtratûs Civici conſenſu, cujus benevolentiæ, gratificandíque ſtudio nunquam non plurimùm debet So-

cieta-

tas, in Seminariſtarum habitationem ternæ Civium domus ad partem Septentrionalem Collegii Academici ſitæ, paratâ pecuniâ comparatæ, atque in perpetuum ab oneribus exemptæ, Pancratianis incolis inſtructæ. Recepti in illud etiam Univerſitatis ſtipendiati fuêre; at haud multis poſt annis plerique, quod diſciplinæ impatientes eſſent, nec triginta florenorum ære ali poſſent, inde dilabebantur. Huic Pancratiano Seminario aliud ſubinde à R. P. Guilielmo Lamormainio additum, coëmptis pecuniâ, à Cæſare Ferdinando III. donô datâ, Parfueſſiana, & Schalauzeriana domo, cui à S. Ignatio nomen inditum. Floruit Seminarium utrumque ſuis ſub nominibus ad annum uſque præſentem 1654; cùm juſtas ob cauſas Seminariſtæ quoque Pancratiani ſuis ab ædibus in S. Ignatii Seminarium commigrare juſſi, utriuſque Sancti nomine retento. His, ut meminimus, Stipendiati Univerſitatis additi, ea lege, ut conſuetæ Seminarii Diſciplinæ haud minùs cæteris ſubjacerent, relicto ſolùm tum Univerſitati, cùm Cæſari, pro rata victûs ſolutione, ſuos Alumnos præſentandi jure.

Ab An. 1655. uſque ad An. 1658.

Auſtriæ per annos hoſce immodico luctu ab *obitu* Romanorum Regis confuſæ, licuiſſet haud dubiè ſereniorem frontem induere, dum delatis in Leopoldum Ignatium Sceptris, & Spebus recreari cæpit; niſi funus Auguſti Parentis Ferdinandi III. Imperatoris anno 1657. ſuprema denuo Officia poſtulâſſet. Agebat ætatis annum quintum decimum Archidux Leopoldus, alter ex Maria Hiſpana Ferdinandi III. Filius, ſpes unica regnorum: hunc, ut Imperii curis humeros ſenſim ſubmitteret, Parens Auguſtus anno 1655. 28. Januarii Auſtriæ Regentem dixit, adactis in ejus Fidem Ordinibus. Qui eundem Regem poſtularent, primi fuêre Hungari, ad quos, coactis Comitiis, ubi anno eodem Cæſar cum Filio profectus, 16. Maji eſt electus, ac ſubinde

ſuLinde 27. Junii more Majorum eſt coronatus. Addidit annus ſubſequens & Bohemiæ Sceptrum, Coronámque, quam Sereniſſimo Capiti Archiepiſcopus Pragenſis Cardinalis Erneſtus ab Harach 14. Septembris impoſuit, à cujus manibus eandem quatriduo ante Auguſta Maria Eleonora Imperatrix, & quondam Ferdinandus ipſe Cæſar, ac Ferdinandus IV. Filius acceperat. Auſtriacis his Regnorum Coronis una Imperialis adhuc deerat, quam, ut primo quoque tempore Filio parens Auguſtus procuraret, miſſis jam ad Electores Legatis, operam dederat; neque multum negotii fore apparebat, ſi pertexere telam licuiſſet.

Nam ea maximè molientem Cæſarem mors oppreſſit 2. Aprilis anno 1657 qua non parùm transferendi in Leopoldum Imperialis Sceptri negotia perturbata, & Auſtriacæ Provinciæ novo, incredibiliſque dolore concuſſæ ſunt. Obiit ætatis anno 49. Imperii ſuſcepti 20. Princeps verè Pius, & Juſtus, quibus virtutibus Imperium, Provinciáſque variam inter fortunam, & non ſemel adverſam, ſibi ſemper conſtans, gubernavit. Illud in Univerſitatem noſtram ſingulare; quòd non modò ejus incremento profuerit plurimùm, ſed pietati ejus debeat cultum illum, quem in annos ſingulos jurato de tuenda, propugnandáque Immaculatæ DEIparæ Conceptione Sacramento renovat. Adſtitêre, Chriſtianæ inter pietatis exercitia ſanctiſſimè morienti, terni è Societate Patres, Hermanus Horſtius Præpoſitus, Joannes Gans Cæſari à confeſſionibus, & Philippus Müller Regis Leopoldi conſcientiæ arbiter, omnes è Facultate Theologica Doctores; cujus poſterioris ſub ſacro Miſſæ Sacrificio ſub horam quartam matutinam, ubi ſacra Hoſtia elevatur, agonem ingreſſus, data ad finem Miſſæ ſolitâ benedictione, placidiſſimè expiravit. Regnis, Liberíſque, quorum tunc præter Regem Filium, decimum ſeptimum agentem annum; Maria Anna Philippo IV. Hiſpaniarum Regi anno 1649. deſponſata; Carolus Joſephus ex Leopoldina; Eleonora, Lotharing-

ringo dein ſecundis nuptiis jungenda; & Ferdinandus Aloyſius nuper 11. Februarii natus, ſupererant, curæ Leopoldi Guilielmi Fratris à moriente impensè commendatis. Nocte ipsâ, quam obitus Cæſaris ſub auroram ſequebatur, inopinum Cæſarea in aula exortum incendium, ad cubiculum cum nato nuper Archiduce Ferdinando decumbentis Imperatricis jam adrepebat; ſopita tamen flamma, quæ uni fors morti Cæſaris prælucebat. Elatum funus ad Cæſareum in Capucinorum Eccleſia Mauſolæum pompâ mediocri, Univerſitate, veteri ritu comitante. Majori ſubinde apparatu non ùt Juſtiſſimo tantùm Principi, ſed Amantiſſimo Patri parentatum undique; ſumptibus ſanè Academici Societatis Jesu Collegii magnificum, ejusdem in Eccleſia, erectum caſtrum doloris, ad quod triduò non Rector modò Magnificus cum Facultatibus, ſed Legati, nobilitásque omnis confluxerat. Ritu eodem juſta Cæſari perſoluta ſunt in æde D. Stephani, laudes Cæſareas, geſtáque magnifica P. Nicolao Avancino è S. J. tum temporis Collegii Academici Studiorum Præfecto Generali, inſigni, quâ pollebat, facundiâ celebrante. Præceſsêre Auguſtiſſimi funus binis abhinc annis, nempe 1655. ſummus in terris Antiſtes Innocentius X. & Auguſta Eleonora Ferdinandi II. Vidua; Hæc 27. Junii, die ipſo, quo Sereniſſimus Leopoldus Hungaricâ inſignitus eſt Coronâ, Viennæ vitam finiit; ejus funus ad Parthenonem D. Thereſiæ à ſe fundatam elatum, cor in Græcenſi Mauſolæo ad ſacras Ferdinandi II. Conjugis exuvias tumulatum: Ille ſeptimo Idus Januarii humanis ereptus eſt, vel ea de cauſa de Univerſitatibus omnibus bene meritus, quod Janſenianum dogma novis Decretis proſcripſerit, & condemnârit. Excepit Innocentium in Vicaria Chriſti in terris poteſtate Alexander VII. miro Purpuratorum conſenſu ad Vaticanum Solium 7. Idus Aprilis ejusdem anni evectus.

Medio ferè ante obitum anno, ut nuper à ſe cæptum, atque in Univerſitatem quoque inductum

Imma-

Immaculatæ Conceptionis cultum conservaret, augerétque piissimus Cæsar, motu proprio ad Universitatem Decretum expediri jussit, quo districtè mandat, ne quisquam posthac ullius Facultatis Decanus deligeretur, qui aut nollet, aut Statuto aliquo prohiberetur, in persona juramentum præstare de piè asserenda ejusdem Virginis immaculata Conceptione. Quod Decretum, ùt ad Academicum Senatum perlatum, quantocyus cum omnibus quatuor Facultatibus communicatum est sequenti tenore:

VOn deß Herrn Rectoris Magnifici, & Vener. Consistorii wegen Admodum Reverendo P. Nicolao Avancino è Societate JESU SS. Theologiæ Doctori, & in eadem Facultate p. t. Decano Spectabili, hiemit anzuzeigen. Von der Röm. Kays. auch zu Hungern, Böhaimb Königl. Majestät, Ertzherzogen zu Oesterreich Unsern Allergnädigsten Herrn, und Landsfürsten, seye unter gestrigen dato ein gar gemessenes, und ernstliches Decret an wolgedachten Herrn Rectorem, & Venerabile Consistorium ergangen dieses Inhalts. Demnach noch hievor in dem abgewichenen Sechshundert neun und vierdtzigsten Jahr auf Ihro Majest. gnädigstes Begehren ein gewisses Statutum in puncto Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ mit einhelligen Schluß, und Consens aller vier Facultäten allhier aufgericht, welches auch von Ihro Majest. durch ein ordentliches Diploma unter Dero Kays. Signatur gnädigst approbiert, und confirmiert worden, krafft welches Statuti der allhiesigen Universität zugethane Membra, und Officiales ein gewisses Juramentum derent wegen abzulegen verbunden seyn; und nun vorkommen, als solten sich bißweilen dieser Sachen halber, und sonderlich wegen ablegen deß jetzt berühr-ten Juramenti bey denen Decanis Facultatum Difficultäten ereignen: Ihro Kays. Majestät hingegen ihr dieses Werck in Ansehung ihres darauf solenniter getha-

nen Voti absonderlich hoch angelegen seyn lassen, und dasselbe ohne einige Hinderung in allweg observirt und beföirdert haben wollen.

Solchemnach seye mehr höchst ermeldt Ihro Kays. Majest. allergnädigster Willen, und Befehl Herr Rector, und Consistorium wollen auch ihres Orths hierauf bedacht seyn, und zu verhüttung aller weittern Difficultäten die Sachen dahin richten, damit bey einer, und andern Facultät in ihren vorgehenden gewöhnlichen Electionibus jedesmahls solche Decani erwählt werden, welch dem obberührten Statuto gemäss das vorgeschriebene Juramentum auf dem nechst herbeynachenden, und künfftigen Festagen der Unbefleckten Empfängnuss der Mutter GOttes MARIÆ unweigerlich, und selbst persönlich leisten, und ablegen mögen.

Wann dann solchen allergnädigsten Kays. Decreto ein allerunterthänigste Vollziehung zu leisten sich allweg gebühren will, zumahlen es zu grösserer Ehr der Glorwürdigsten Jungfräulichsten Mutter gereichen thut; als hat man ihme Herrn Decanum, immassen auch an der übrigen 3. Facultäten verordnete Herrn Decanos gleichsfalls beschehen, dessen hiemit erinderen wollen, der wird sich sambt seiner zugethanen Facultät dieser dess Herrn Rectoris, & Consistorii Verordnung gebührend, ober offt allerhöchst ernennten Ihro Kays. Majest. gnädigsten Befelch, gehorsambst zu accomodiren, und der Sachen recht zu thun wissen.

Ex Consistorio 3. Decembris 1656.

Johann Fridrich Mezger Syndicus, & Notarius.

An. 1658.

HAbet hic Annus faustissimum Hungariæ, Bohemiæque Regis Leopoldi I, in Romanorum Imperatorem

ratorem electionem, ab Octoviris Imperii 8. Julii Francofurti factam, vel ideò toti Christianæ Reipublicæ gratissimam, quòd acribus, & protracto, Candidatorum æmulatione, in sedecim menses Interegno finem imposuerit. Imperialibus 1. Augusti inauguratum insignibus, Vienna 1. Octobris excepit, eo majori suorum gratulatione, quantò propiùs timebatur, ne alibi deinceps, quàm ad Cæcii radices Cæsaris Regia esset. Deductus in Urbem Ordinum omnium pompâ est; plateæ triumphalibus undique arcubus superbæ, & noctes aliquot artifice igne lucebant conspicuæ. Nec postrema gratulationum pars Universitas; salutatum enim brevi oratione à Rectore Magnifico ad D. Stephani propilæa Cæsarem, ubi ritu veteri sub umbella in Ecclesiam deduxisset, dies quoque 15. Decembris dicta, quâ ex primævo Alberti III. Statuto Fidem, Officiáque novo Austriæ Regnanti Principi deferret. Processit die constituto Senatus, Populúsque Academicus ordine longo, Rectore Magnifico Literariam Rempublicam in gratiam, protectionémque Augustam multâ facundiâ commendante; Munus simul, Liber, *Effigies, ac Elogia quinquaginta Germanico Romanorum Cæsarum à Carolo Magno ad Leopoldum usque I. itidem Magnum*, P. Nicolai Avancini Generalis tum Studiorum in Academico Collegio Præfecti operâ, & labore, complexus, oblatus est. Placuisse Universitatis studia Principi exinde cognitum; quòd admissis, quotquot convenerant, ad manûs osculum Academicis, per Serenissimum Patruum Leopoldum Guilielmum favorem omnem Antiquissimæ Literariæ Reipublicæ addiceret, Oratorémque Magnificum torque aureo honoraret. Erat hic Magister Joannes Casparus Piripach, Artium, & Philosophiæ Doctor, Scholarum Civilium ad D. Stephani Superintendens, cui hoc muneris ob singularia sua in Universitatem merita, & gestum per annum illum, quo Leopoldus Cæsar renuntiatur, Re-

ctoris Officium, tametsi Fasces Academicos alteri jam tradidisset, est concessum.

Primæ Viennam reducis Leopoldi curæ, sociale bellum, quod obtritæ penè per Suecum Poloniæ calamitas jam superiori anno in se averterat, misso 16000. exercitu Polonis in subsidium, ac in fœdus Batavis, Danóque protractis. Nec infeliciter à Cæsareis res adversùs Suecum in Polonia gestæ, Hazfeldio, Souchio, & Montecuculio hostem infestum toto ferè Regno, quod ab anno 1655. inundaverat, exuentibus. Protractum inde bellum à Sueco in Daniam, Polono fœderatam, ac in annum sequentem continuatum eo successu, ut qui nuper Poloniâ Casimirum, nunc Fridericum Daniâ suâ propè omni depelleret. Utraque tandem Cæsari debuit, & Reges restitutos, & pacem anno sequenti, à morte Caroli Gustavi Suecorum Regis, non ingloriosam Olivæ coaluisse.

Tenuit interea alta quies res Academicas; id abdicatio Fascium Academicorum Magnifici Joannis Gaspari Pirpachii singulare habuit, quod eam ultra solidum aliàs tempus prolongârit; moræ causam prætexens: *Decere Rectoris Magnifici electionem Decanorum antecedere.* At reclamatum ab Universitatis Consilio; Statutúmque, veteri mori, & consuetudini insistendum; nec exemplum Piripachii præjudicio unquam esse posse. Discessurus etiam ad Ordinis comitia Bambergam P. Reinerius Pistorius ex Ordine Prædicatorum sacræ Scripturæ apud Universitatem Interpres, & Senior Facultatis Theologicæ, Academico in Senatu postulavit; liceret sibi P. Reymundum Pinsgerum ejusdem Ordinis utroque in munere substituere: ad quod eam tulit Universitatis Sententiam: *P. Reymundus legeret interea Scripturam Sacram, in Senioris tamen munus non se ingereret; non enim licere Seniori alicujus Facultatis sibi in Officio Senioris alium substituere.*

Ab An.

Ab An. 1659. uſque ad An. 1663.

AB Olivenſi pace per annos hoſce Cæſari pax fuit: at Domi noſtræ creatio Magiſtratûs Academici anno 1661. annuam ferè litem dedit. Ubi enim laudatus ſæpiùs Joannes Guilielmus Managetta geſto Rectoris munere ſe ſe abdicâſſet, factâ in alium transferendæ dignitatis poteſtate; trium Procuratorum calculo Faſces Academici eidem in annum ſequeutem, præteritâ Facultate Philoſophicâ, ex qua Literariæ Reipublicæ anno eo legendus Princeps erat, ſunt confirmati. Factæ adversùm Univerſitatis Statuta creationi Nationis Hungaricæ, qui tum Philoſophus erat, Procurator juxta, ac Facultas tota, porrectis non ſemel ad Senatum Academicum injuriæ querelis interceſſit; at cùm, quod è re ſua eſſet, reſponſi tuliſſet nihil, Actibus Academicis, quibus Rectorem Magnificum adeſſe contigiſſet, per anni decurſum abſtinuit ferè omnibus, ne præſentia ſua electionem ratam habere videretur. Ipſo etiam Immaculatæ Virginis Conceptæ feſto, quod offenſam Cæſaris, ſi abeſſet, vereretur Facultas Philoſophica, non ſuo ex ſubſellio, ſed è Sacrario ad Offertorium, ùt vocant, juramentúmque de tuenda pia ſententia, proceſſit. Controverſia ſubinde omnis ad Excelſum Regimen delata, addito libello ſupplici, qui, & Doctores è Facultate Philoſophica gerendis Academicis Faſcibus non inidoneos etiam complures recenſebat, & Cæſarum Decreta vilipendi, antiquiſſimas leges convelli, ipſum denique jusjurandum facto hoc violari, querebatur. Ad amicam compoſitionem remiſſæ ſunt partes ab Excelſo Regimine; quam haud gravatè Facultas iniviſſet, ſi conditiones æquiores pars altera obtuliſſet. Majori igitur æſtu jura ſua tueri Facultas in Aula Cæſarea; donec tandem anno ferè præterlapſo, 3. Decembris inſtrumentum pacis confectum; & novo Decreto Jura vetera, ne ulla Facultas in gerendis Academicis Faſcibus prætereatur, ab

Augusto Cæsare sunt roborata. Ad eas posthac evitandas turbas Academico Senatûs Consulto perpetua lege sancitum est: ut quoniam hactenus Procurator Austriacus Jurista Philosophum, & Philosophus Juristam Rectorem dixerat, posthac ea ex Facultate semper Nationis Austriacæ Procurator legeretur, ex qua anno illo Rector Magnificus renunciandus, cæteris Facultatibus in Procuratorum Officio veteri ordine subsequentibus.

Dum negatos sibi Academicos Fasces per annum ferè integrum jure prosequitur Facultas Philosophica, eosdem sub finem anni 1662. per Procuratorum suffragia delatos constanter recusat Matthæus Mauchter SS. Theologiæ Doctor, ad D. Stephani Canonicus; qui quòd ad accipiendum Academicum Magistratum rationibus persuaderi posset nullis, iidem Procuratores Petrum Vanthier Theologiæ itidem Doctorem, ejusdem Ecclesiæ Canonicum, Rectorem Magnificum secundis comitiis renunciavêre. Dubium verò illud, quod aliàs agitatum, nonnemo sub hoc tempus revocaverat: licerètne scilicet anno illo, quo Rector Magnificus Theologus esset, è Religiosis Mendicantibus Decanum legere eò, quòd splendidam eam dignitatem obire Religiosa modestia vetare videretur? facili ab præjudicio argumento est sufflatum: cur enim, quod cum laude hactenus factum est, deinceps prohibeatur?

Nondum controversiæ illæ exortæ fuêre; cùm Roma etiam de Dogmatibus quibusdam ex Apologia Theologorum Moralium excerptis, & Jansenii fermento corruptis, Academiæ nostræ sententiam exquisivit. Quæ autem propositiones illæ fuerint, quidque de singulis judicatum, Acta Theologica fusiùs descripsêre; nobis, quibus jam nec otium, nec tempus suppetit, indicasse sat erit, damnatas omnes, reprobatásque fuisse. Providit, & illud sapienter Facultas Theologica: ne ejusdem, qui recèns Rectoris Magnifici munus ex Facultate Theologica abdicavit, in De-

canum

canum legendi mos, jus legis aliquando, ut in Medica ferè acciderat, obtineret; facto igitur opposito consuetudinem, quam nonnemo prætendebat, correxit, & abrogavit.

Sub anni 1659. exitum, ipsis scilicet Kalendis Decembribus novum Superintendentem Universitas nacta est. Plures erant pro Magistratu isthoc ab Universitate Excelso Regimini submissi Candidati; ex Theologia Georgius Tasch, & Laurentius Aidinger, uterque ad D. Stephani Canonicus. Joannes Christophorus Hörman, Michaël Wirsing, Jacobus Tauvonatus, Joannes Otterstetter, & Nicolaus Hoche ex Juridica; Joannes Guilielmus Managetta ex Medica; Joannes Gasparus Piripach, & Michaël Ernestus Scholzen ex Artistica. Verùm cæteris palmam præripuit Christophorus Hörman J. U. Doctor, in Excelso Austriæ Regimine Consiliarius; dignus omnino, qui succederet Joanni Baptistæ Suttinger, munus hoc jam graviùs ferenti, ac propterea missionem ab officio impetranti.

Luctuosissima anno 1662. Cæsari, & bonis omnibus accidit dies 20. Novembris, quæ Reverendissimum, ac Serenissimum Archiducem Leopoldum Guilielmum Episcopum Passaviensem, Argentinensem, Olomucensem, & Wratislaviensem, Ordinis Theutonici Magnum Magistrum, Augustissimi Leopoldi Patruum, summâ Catholicæ rei jacturâ, sustulit. Deflevit justo luctu Optimum Principem Universitas, cui, & favores plurimos, & promotam rem literariam erectis Molshemii, Passavii, & Neostadii studiorum lycæis, debet in acceptis. Quanto porrò studio in Divum Austriæ Marchionem ferretur, vel moriens testatum fecit, tenerrimo animi sensu inde reportato, quòd, ùt Avancinus in vita refert, S. Leopoldi Anniversarium diem solemni; feriatóque cultu per totam Austriam obeundum impetraverit. Atque de hac per universam Austriam Festi promulgatione superiùs ad annum 1593. nos scripsisse Lector existimet, ubi in hæc

verba locuti sumus: *Injectam, nescio quas ob causas, moram demum annus 1662. sustulit, quo opera Leopoldi Guilielmi Pontificiâ Authoritate festa Choro, Foróque D. Leopoldi dies Austriæ dicta est.* Viennensi enim in Urbe, reliquáque Viēnensis Antistitis Diœcesi jam eodem anno 1593. D. Leopoldi diem festum, authoritate Joannis Caspari Neubeckii, tunc Viēnensium Episcopi, promulgatum fuisse, Acta Nat. Aust. testantur.

Triennio priùs, Anno scilicet 1659. 1. Augusti elatum quoque funus P. Matthiæ Bastiantsciz Societatis Jesu, viri, ùt Acta Universitatis loquutur, de litteris, de rebus, atque officiis litterariis, déque Facultate Theologica, totáque Universitate optimè meriti. Nam primus ab Academici Societatis Jesu Collegii cum Universitate unione Facultatis Philosophicæ Decanus, triginta sex annorum cursu constanter inter Academicos Philosophiæ, Theologiæque labores, aut officia vitam contrivit: tantam nactus Archigymnasii Jurium, Constitutionúmque notitiam, ut ab ejus consiliis ferè penderent, Senémque mitissimum amarent omnes. Contestata est suum in virum emeritum affectum Universitas, dum raro hactenus exemplo Sceptrum, Epomidémque Theologicam Tumbæ voluit impositam, Rectore ipso Magnifico cum quatuor *Decanis* funus in Professorum Domo condendum, *deducente*.

Commodo Studiosæ è Carniolia juventuti Anno 1661. locuples Stipendium, ex testamento Lucæ Knafftl, Artium Magistri, & Parochi in Ruspach, Natione Carnioli, accesserat, quo censum ex Domo sua, Viennæ prope Parthenonem S. Jacobi sitâ, & ex parato 4000. flor. ære in subsidium annuum Contribulibus suis in Universitate Viennensi conferri voluit. Anno autem ab inde altero ærarium quoque Universitatis haud mediocriter auctum est. Restabant jam ab annis compluribus contributiones Prælatorum Superioris Austriæ ex Statuto Ferdinandi I. Universitati persolvendæ; nec

parùm

parùm utraque ex parte pro juribus suis certatum; eam tandem Augustissimus Cæsar litem ex plenitudine potestatis, ùt Decreti Literæ 11. Augusti 1662. expeditæ habent, ita dissolvit; ut Prælati nunc pro semper 2000. Rhenenses; pro præteritis verò prætensionibus 1000. ærario Academico numerarent, liberi deinceps ab omni prætensione futuri.

Ab An. 1663. usque ad An. 1665.

ERupit An. 1663. plenis flammis primum sub Leopoldo Magno Cæsare bellum Turcicum, ex turbis Transylvanicis succensum, terribili centum millium exercitu Vezirio Pannoniam inundante. Et jam pars magna, vastatis Hungariæ Oppidis, Moraviæ sese infuderat, pars in Croatiam penetraverat, viam in Italiam, quoquo modo possent, rimaturi. Verùm præclara Nicolai Zrinii, aliorúmque Ducum virtus, trænum furori injecit; Montecuculus præcipuè, qui dictus à Cæsare Supremus Exercitûs Præfectus, in viam omnem nocendi Barbaris invigilabat. Præter bellicas cotributiones, quæ ab Universitate quoque exactæ fuêre, ad preces undique, & Viennæ cumprimis, recursum, sacro precandi ritu in aliud, atque aliud Urbis templum quot hebdomadis translato.

Et verò audiit precantium vota Deus, geminam Victoriam An. 1664. largitus est; alteram ad Levam, cæsis ex 20000. exercitu octo millibus Turcarum, cùm tamen nostrorum non nisi 7000. pugnâssent. Alteram 1. Augusti ad S. Gothardum periculi plenam; jam enim inclinatam, & dissipatam aciem Dux Montecuculus ægrè, sed tamen restituit, & tandem diu nutantem fortunam virtute impulit, cæsis facile sedecim Barbarorum millibus. Domitus hoc prælio hostis pacem, cujus nec mentionem ferebat priùs, cum Raningero Cæsareo Ablegato in 20. annos sancit. Quæ deinde utrique Aulæ probata, & unum post mensem vulgata.

vulgata, afflictas Regiones, trepidantémque Literariam Rempublicam recreavit.

An. 1665.

AB inita pace, Anno hoc Universitati non unum Austriacorum Principum funus lugendum erat; ipsum enim sub Hymenæum, quem cum Maria Hedwige Palatina Sulzbachensi Principe adornabat, abripuit inopina mors Sigismundum Franciscum, ultimum lineæ Tyrolensis Archiducem. Præmaturo subinde fato Philippus IV. Hispaniarum Rex 17. Septembris ereptus; utrosque año superiori 27. Januarii multo luctu præcesserat Carolus Josephus, Austriæ delitiæ, Leopoldi Cæsaris ex Maria Leopoldina Frater, vix nuper ex cessione Leopoldi Guilielmi Patavienses Infulas, summámque Ordinis Teutonici Præfecturam adeptus.

Principes Austriacos 17. Septembris consecutus est Universitatis Cancellarius, ac Præpositus ad D. Stephani, Amplissimus Stephanus Zwirschlag, Austriacus Ducumburgensis, SS. Theologiæ Doctor, Legatis 1000 florenis in duorum tenuioris fortunæ studiosorũ subsidium munificus Stipendii Fundator. Parentatum de Academia optimè merito triduanis exequiis in Cathedrali Ecclesia, laudes defuncti egregio sermone celebrante quodam S. J. Religioso, Theologiæ Auditore. Ab ejus morte renovata â Canonicorum ad D. Stephani Capitulo controversia de constituendo Vice-Cancellario vacante Præpositurâ: jure enim prætenso Vice-Cancellarium nominavit Capitulum, Petrum Vauthier SS. Theologiæ Doctorem, qui ipsis in exequiis Zwirschlagii, ac subinde in festo S. Ursulæ, locum Cancellarii occupavit. Indictum hac de causa 2. Novembris extraordinarium Consistorium, uti Acta Facultatis Philosophicæ memorant, in quo iterum prætensum ex Bullis Urbani V, & Urbani VI. jus discussum, ac adversùs Capitulum decisum est ob eas rationes, quæ integrè Actis Philosophicis insertæ sunt.

At litem

At litem planè sustulit novus Cancellarius 18. Octobris á Cæsare, tunc Æniponti commorante, nominatus, Amplissimus nempe Laurentius Aidinger SS. Theologiæ Doctor, Serenissimi nuper Archiducis Leopoldi Ignatii Instructor, Canonicus Viennensis, & Custos; cujus tamen nominatio non nisi 11. Novembris publicata, dum paucis post diebus Universitati præsentatus est.

An. 1666. & 1667.

UT duobus tantùm florentem surculis Domum Austriacam hæredibus augeret, & lætis recrearet Provincias spebus Cæsar, pacatis utcunque Regionibus ad nuptias animum adjecit, pactámque sociali fœdere Margaritham Philippi IV. Hispaniarum Regis filiam, conjugem duxit. Hæc ubi Viennam 5. Decembris incolumis appulit, tanto excepto est apparatu, ut Germaniam præ Hispania sua mallet. Et verò erat ab Avorum memoria magnificentissimum quid intueri: Octo Equitum millia obviam iverant, duo item nobilium Hungarorum, tygridum, leopardorúmque pellibus ad jucundum horrorem ornatorum, nudatis frameis, expansis versicoloribus vexillis. Sequebatur ingens civium multitudo, tum agmen 300. Proceres claudebant. Quamvis autem non postrema pompæ hujus pars Academici essent, id tamen magnopere illis doluit, quòd ingruens nox Basilicam D. Stephani Augustissimos Sponsos parata dictione á Rectore Magnifico non sineret salutari. Cæteri deinde dies inter gaudia, variáque spectacula extracti. Inter reliqua eminuêre ludi equestres, ad quos tota Universitas, conceptâ scripto humanitate invitata, comparuit. Id quoniam non exiguum Leopoldi Augusti in Universitatem affectum, existimationémque palàm facit, literas ipsas invitatorias recitare visum:

Der Herr Rector Magnificus wolle ihme belieben lassen denen Membris Universitatis durch die Pedel-

Ab An. 1668. usque ad An. 1670.

COmplurium funera biennium isthoc insigne fecerunt. Anni 1668. initio, 29. Januarii vivendi finem fecit Cæsareus in Universitate Superintendens, Joan. Christoph. Hörman. Ab ejus morte dum Candidati more veteri pro Superintendentis officio ab Excelso Regimine postularentur, Facultatum vota in partes scissa sunt. Medica enim, & Artistica non è Juridico tantùm, sed suo quoque è gremio; Thologica autem, & Juridica solùm è Juristis Candidatos nominârunt: Veteri, illi, mori insistendum, censuêre; hi, post Sanctionem Pragmaticam officium hoc ad solos Juristas redactum esse, satis ex §. 2. N. 5. colligi posse, arbitrati sunt. Renunciatus demum in Universitatis Superintendentem ab Aula fuit Joan. Thomas Molitor, J. U. Doctor, Regiminis Consiliarius, & tum Rector Magnificus, qui ubi 27. Novembris Fasces Academicos posuisset, eadem die à Commissariis Regiminis Superintendens est præsentatus.

Anno altero 1669. tumulo non sinè veris bonorum omnium lachrymis illatus est Celsiss. Princeps Fridericus è Comitibus de Breüner, Viennensium Antistes. Cujus funus ad Sacellum B. Virginis maximum deportatum, ibidémque conditum, Senatus populúsque Academicus comitabatur. Epigraphe tumbæ incisa Principis optimi Virtutes ita eloquitur:

Requiescit in hac tumba

Philippus Frider. ex Comitibus de Breüner, Episcopus Viennensis, S. R. I. Princeps, ætatis suæ anno LXXII. præfuit Ecclesiæ huic cathedrali annis XXX, insigni zelo, salutari verbo, & raro exemplo. obiit in Domino die 22. Maji, Anno 1669.

Orbata

Orbatæ Ecclesiæ de novo Pastore providit pia Leopoldi Cæsaris cura, dum eidem Wildericum L. B. de Walderdorff, Cathedralium Ecclesiarum Moguntinensis, Herbipolensis, & Spirensis respectivè Præpositum, & Canonicum, Imperii Pro-Cancellarium præfecit.

Hæc ipsa ante funera anno 1668. 9da Februarii intempesta nocte exortum est Cæsareo in Palatio dirum incendium, quod reflante vento, multa strage Cæsarea conclavia depascens, Urbem totam magno terrore complevit. Magnus stragulorum pretiosorum numerus, picturæ nobiles, tabulæ, supellex regia plurima, momento periit. Ipsa Augusta Ferd. III. Vidua ægrè è flammis eluctata, vixdum se, Archiducésque proles subduxerat, cùm tabulatum Conclavis magno fragore corruit. Sopitâ intra aulam flammâ grandium jacturarum sensum singulare propè prodigium extinxit. Post multos enim dies reperta est inter cineres sacrosanctæ Crucis genuina particula: Cujus arcula, cui inclusa erat, tametsi media sui parte esset combusta, crystallus diffracta, liquatum, quod circùm erat, aurum; ipsum tamen sacrum lignum nec corruptum ignibus, nec vitiatum. Erat ea particula illa, quam Austriaci Principes diu pro thesauro habuêre: Maximilianus I. difficillimis in expeditionibus, præliis, itineribus, bello, ac pace è collo suspensam gestavit; eandem Ferd. III. suis in expeditionibus comitem habuit, atque Norlingensi nominatim in prælio, quo harum contemptores religionum novi Evangelii asseclas illustri victoriâ profligavit. Leopoldus Imp. Novercæ Eleonoræ, è thesauro depromptam, utendam interea concessit, incredibili ejusdem solatio; unde haud minori gaudio tam miraculosè servato sacro pignore reperto, quàm dolore, postquam periisse credidit, affecta, in tam prodigiosæ rei memoriam Augustæ Crucigeratum Ordinem, lectissimis, nobilissimisque è Matronis instituit, quæ se *virtutis manci-*

 pia

pia vocarent, datâ in Ordinis Signum cuivis *cruce stellata.* Atque ut recèns institutum ad perpetuitatem fundaretur, à Clemente IX. P. M. editâ Bullâ Sodalitas illa confirmata, variáque Sodalibus privilegia, ac gratiæ concessæ.

Sopito illo in Aula incendio, haud levius anno 1669. Studiosos inter, & Judæos exarsit, inveterato in gentem perfidam odio ignem succendente, qui non nisi multo utrinque sanguine, ac demum pulsis hoc anno è Danubiali suburbio totáque Austria Judæis extingui potuit. Plurium, eorúmque gravium æquè, ac verorum criminum postulabantur Judæi, homines fraudum plenissimi. Nam præterquam quod nuperæ rixæ haberentur authores; crebra erat cum Turcis collusio; amplum, quod incolebant suburbium, commune sceleratis asylum, & iteratis seditionibus infame, fecerant; liberos Christianorum furto surripiebant, aut ab egenis nutricibus emebant; iisdem attributum est, quod superiore anno aulam corruperat, incendium: At hæc tametsi tam fœda essent, pænas tamen profuso auro, dolosísque artibus redemêre. Cùm demum Margaritha Imperatrix exilium toties meritum impetravit; Ex graviori enim morbo, ex immaturo partu contracto eluctata, ut sospitatori Deo gratam se exhiberet, multis precibus, quod dudum egerat, atque Austriæ Ordines, Collonitsiúsque Neostadiensis Episcopus sæpe incassùm tentârat, à Cæsare impetrat, ut Judæi, quorum ingens numerus, Viennâ, ac totâ Austriâ proscribantur: omnésque ad unum, sextum intra mensem, solum vertere jussi sunt. Suburbium, quod coluerant, Leopoldinæ Civitatis nomen accepit, à D. Marchionis Leopoldi honoribus dicato templo, quod eversæ in locum Synagogæ anno altero extrui cæptum, Cæsare ipso primum lapidem ponente. Non destitêre interim exules reditum, in Urbem saltem Viennensem, urgere multis causæ suæ faventibus. Super quo Facultatis quoque sententiam Aula petiit; cui illa

illa demum anno 1674. id præcisum, & multis rationibus fundatum dedit responsum; *reductionem hujusmodi nequaquam posse suaderi Augustissimæ Majestati, tametsi per eandem reductionem aliquod commodum temporale etiam certò, Provinciæ, Urbi, ac Cameræ aulicæ esset aquirendum.*

Vix binis abhinc annis Ecclesiæ clavum conscenderat optimus Pontifex Clemens IX. cum eandem rursùs morte abreptus deseruit anno 1669. 9. Decembris in Sanctorum societatem translatus, quorum honoribus mense Aprilis ornaverat Petrum de Alcantara Franciscani Ordinis Religiosum, & Magdalenam de Pazzis Carmeli Florentini Virginem.

Ab An. 1670. usque ad An. 1672.

Annus hic faustissimus Cæsari accidit, qui non tantùm eundem ab insidiis eripuit, sed& conjurationem maturè detexit. Quatuor factionis Architecti meritas sceleris pœnas anno sequenti 1671. resecto capite dederunt; Nadasdius Viennæ in curia urbana, Zrinius, & Frangepanius Neostadii 30. Aprilis fato, & pene horâ eâdem, & dein Tattenbachius Græcii Styrorum periêre. Tökölius in Poloniam profugit; Ragoczio, Matre deprecante, venia data. Multum quoque ad Cæsaris, Regnorúmque ejus securitatem contulit Eleonoræ sororis connubium cum Poloniæ Rege Michaële Coributo, qui in locum Joannis Casimiri, quondam Jesuitæ, at Reipublicæ causâ primùm ad Cardinalitios honores, dein post fratris obitum ad Regnum vocati, posthac in Gallia S. Germani Sacerdotio, Abbatis nomine, fruituri, suffectus erat. Regina, ipso adornati in Poloniam discessûs die, 8. Februarii, Academicis Magistratibus sese adeundi copiam fecit, non Doctoribus tantùm, sed affluenti etiam Juventuti Scholasticæ manu ad osculandum præbitâ. Iter, faustáque omnia vovente Rectore Magnifico, suum deinceps quoque Universitati favorem promisit.

Post multas quinque mensium suffragationes ad Apostolicum clavum prope invitus demum est evectus Æmilius Altieri, à Decessore suo, dum in extremis ageret, factus Cardinalis, óbque id ipsum Clementis X. nomine insignitus: Qui ut tam feliciter munus auspicaretur, quà alter clauserat, anno 1671. quinque Sanctorum titulo donavit, Cajetanum Thianæum, Philippum Benitium, Franciscum Borgiam Societatis Jesu, Ludovicum Bertrandum, Rosam Limanam. Eorum Apotheosis ubi Viennæ quoque innotuit, honores illis magnâ solennitate ab Urbe Viennensi, & eorum maximè sectatoribus sunt persoluti. D. Franciscum Borgiam utrumque Societatis Jesu Domicilium, Domus nempe Professa, & Collegium Academicum singularibus utrobique honoribus exornavit, Cæsare ipso cum Aula, & Senatu, ac Populo Academico supplicationem ad Domûs Professæ Ecclesiam 23. Augusti comitante. Novum, eúmque singularem Universitas D. Borgiæ honorem habuit, dum subinde 27. ejusdem mensis Academicum Collegium ejusdem Divi Apotheosim celebraret. De qua solennitate Nationis Hungaricæ Procurator, in ejusdem Nationis Actis sic habet: *Omnium autem cultum superavit veneratio D. Francisci Borgiæ S. J. Generalis, & quondam Gandiæ Ducis: in cujus honorem Excel. D. Paulus Spinola &c. Hispaniarum Regis Legatus ad Aulam Cæsaream, Academicum, & Cæsareum S. J. Templum hic Viennæ à summo usque ad imum, ipsos etiam fornices, pretiosis auro, & argento intertextis tapetibus ex holoserico, adeò omnem exsuperando fidem, exornavit, ut nullam partem muri in toto templo nudatam videre licuerit, & penè inter miracula mundi censeri potuerit.*

Desiit anno hoc esse inter vivos Magnificus Joannes Thomas Mollitor Juris Consultissimus, Excelso Regimini à Consiliis, ac Cæsareus apud Universitatem Superintendens, præter præclara merita, ab quinque

millium

millium florenorum fundatione in commodum Studiosæ juventutis facta memorandus.

Ab An. 1672. usque ad 1674.

EMersit anno hoc grande illud Gallorum in Batavos Bellum, quod universæ penè Europæ Principes in arma traxit. Et quoniam illud devictâ prope Bataviâ totâ etiam in Imperium transiit, Cæsaris socia cum fœderatis arma in Gallos excivit. Sub hunc ipsum bellorum apparatum plurimùm Cæsarem afflixit mors Lectissimæ Conjugis Margarithæ, fœminæ regiis dotibus, & pietate cumprimis Austriacâ, insignis, quæ ex febrili morbo, uterum gestans 1673. 12. Maji, sanctissimè obiit. Abstersis magno animo lacrimis, ne pendentes in se uno spes Austriæ protelaret Leopoldus, lustrato ad Egram 33000. exercitu, & Montecuculo in Imperium misso, ipse visitata Cellensi Virgine Græcium proficiscitur, ac in Eggenbergiana arce Claudiam Felicitatem in Sponsam ducit.

Vindicanda sub illum bellorum apparatum fuerat non tam Universitas, quàm Facultas Theologica ab ea accusatione, quam in eam Serenissimus Saxoniæ Elector Joannes Georgius adornaverat. Approbatum scilicet fuisse à Theologis Viennensibus librum illum querebatur, in quo acerba nimium non solùm adversùs Evangelicos, sed ipsum quoque Electorem effutirentur. Ad hæc; adduci eo in libro Epistolam quandam olim à Joanne Friderico Saxoniæ Electore ad Gulielmum, & Ludovicum Bavariæ Duces, scriptam de conversione ad orthodoxam fidem Joañis Saxoniæ Electoris (illius nempe ipsius, qui primus Lutherum foverat, & Augustanam confessionem amplexus fuerat) quæ, præterquam, quod esset injuriosa, illam omnino apochripham videri. At abundè à Theologica Facultate Electori satisfactum est, quando luculenter ostensum, ne verbo quidem Saxonum Electorum dignitatem fuisse læsam; si quæ acerbiùs adducta essent, id ne-

Id necessariò factum, ut calumniæ adversùm Pontificem, Catholicósque Principes Valentini Alberti Lipsiensis Professoris retunderentur. Ad hæc à R. P. Cornelio Gentiloto ejusdem Theologicæ Facultatis Decano impetratum est epistolæ illius, quæ in archivio Serenissimorum Bavariæ Ducum Monachii asservatur, exemplar fidimatum, ùt vocant, formæ sequentis.

Unser freundliche Dienst, und was Wir allzeit ehren, liebs, und guts, vermögen zuvor, Hochgebohrnen Fürsten, Freundlichen, Lieben Oheimen.

„ WIr geben Euren Beeden Lieben mit betrübten
„ Hertzen zu erkennen, dass der Hochgebohr-
„ ne, Unser Gnädiger, Lieber Herr, und Vatter Her-
„ zog Hannss, Churfürst zu Sachsen, &c. am Freytag
„ schirst, und den neunten seger, auf den Tag, als
„ ein Christlicher Fürst mit Todt verschieden, dess
„ Seelen der Allmächtige Vatter, durch Christum
„ unsern HErrn barmhertzig seyn vvolle; derselbe
„ unser lieber Herr, und Vatter seeliger Gedächtnuss,
„ ist hievor in seiner Schwachheit durch den Geist
„ GOttes angeregt, und dardurch hertziglich bewegt
„ worden, sich zu alter Christlicher Religion zu wen-
„ den, und mit der Mutter der heiligen Christlichen
„ Kirchen widerum zu vereinen, auch darauf nach
„ Christlicher Ordnung alle Sacrament, den Leib
„ Christi, die heilige Beicht, und Oellung, in hitziger
„ Lieb, und Demüthigkeit angenohmen, und em-
„ pfangen, und alsobald in seiner Lieb Fürstenthumb,
„ einen Druck aussgehen lassen, dass alle neugemach-
„ te Ordnung der Kirchen aufghebet, der Luther, auch
„ andere Prediger, und Anhenger der Secten verer
„ nicht gedult vverden sollen. Und in einen zierlichen
„ Testament, uns als seiner Lieb einigen Sohn mit die-
„ ser Condition beladen, dass uns die Erbhuldigung
„ der Unterthanen, und Regierung dess Fürstenthumbs

„ mit

„ nit verfolgen solle, biss so lang vvir mit unsern fürst-
„ lichen Würden, und Worten bestäten, und zusa-
„ gen, dass Wir seine Lieb letzten Christlichen Wil-
„ len in allen Puncten vollziehen vvollen &c. Und
„ Wir, GOtt zu Ehren, und den Zusagen nach, so
„ vvir Hochermeldten Unsern Herrn, und Vatter lei-
„ blichen gethan, uns dess schuldig erkennen, seynd
„ demnach in unsern Gemüth ernstlichen entschlossen,
„ vveiland Ihrer Lieb lezten Willen alles Fleiss zu
„ vollziehen, alle verführerische Secten, und Lehren,
„ darin leyder! Sein Lieb, Wir, und unsere Unter-
„ thanen betrüglich geführt vvorden, und uns gegen
„ Euer Lieb, und andern Christen Menschen darab
„ nicht vvenig geärgert haben, mit Wurtzel, und
„ grund gänzlich ausszureitten, deroselben Anhän-
„ ger, und Lehrer zu hassen, zu verfolgen, und ge-
„ mainer Christlichen Kirchen demüthiglich zu unter-
„ vverffen, und fürterhin mit Hülff dess Allmächti-
„ gen in unsern Fürstenthumb rechte, vvahre, Christ-
„ liche Religion zu erhalten. Und ob vvir diesen
„ Christlichen Werck zu schvvach, und uns etvvas
„ beschvvehrliches darunder begegnen möchte, vvol-
„ len Wir Euer Liebden, als unsere angebohrne Freund,
„ und Hochgerühmbte Fürsten, Liebhaber, und Für-
„ derer alter Christlicher Religion hiemit zum freund-
„ lichst ersucht haben, uns hiezu räthlich, und beysten-
„ dig zu seyn, und in der Noth nit zu verlassen, und
„ uns in unser Jugend, und unser Land, und Leuth in
„ solchen Befelch haben, vvie unser gar freuntlich,
„ und sonder Vertrauen zu Euer Lieb stehet. Wol-
„ len vvir uns entgegen mit all unsern Vermögen ge-
„ gen Euer Liebden also bevveisen, dass unsers Theils
„ die hochinnerlich und vertreuliche Vervvantung,
„ so vor Jahren, vvie Euer Liebden ohne Zvveiffel
„ vvissen, das Hauss Bayrn, und Sachsen gegen einander
„ gehabt, vviderumb erquickt, und freundlich er-

 „ halten

len alsobalden ansagen zu lassen, dass sie in loco consueto, oder in St. Michaëlis Pfarrkirchen, wo es beliebiger, sich versamblen sollen, zwischen 8. und 9. Uhren; darmit sie umb 9. Uhr auss Collegialiter, und zwar mit Epomide (weilen Ihro Mayestett auch der ganzen Hoffstatt die Galla ansagen lassen) sich zu dem Burg-Plaz verfügen mögen; damit ihnen in loco Universitati designato der vornehmste Orth möge eingeraumbt werden; wirdt auch von Hoff auss selbiger Plaz deputiret werden; welche aber Frauen, oder gewachsene Kinder haben, so mit Zetteln versehen, sollen gleich nachfolgen.

Paul Sixt Trauthson Graff zu Falckenstein.

Ex vicino igitur S. Michaëlis templo Magnificus Rector, 4. Decani, & Doctores alii, suis ornati insignibus, prælatis quatuor sceptris, ad amphitheatrum fori aulici processêre, ubi honoratiora etiam subsellia ad id consultò designata occupârunt.

Post profana sacrum quoque spectaculum exhibuit Augustus Cæsar, dum colosso Mariano, à Ferdinando Parente honoribus Immac. Virginis ex lapide erecto, novum, eúmque solidum ex aurichalco substituit. Ejus dedicatio ut ritu solenniore ageretur, 18. Decembris ad Ecclesiam Domûs Professorum S. J. omnium Ordinum supplicatio jussu Cæsaris deducta est, Universitate peculiariter ad eam solennitatem invitatâ. Datus Academico Senatui locus ad Evangelii latus, Canonicis adversum occupantibus. Peractis Divinis officiis novus Colossus à Reverendissimo Francisco Szegedi Episcopo Agriensi, Ungariæ Cancellario (Viennensis enim ægrè habebat) ex ritu Ecclesiæ consecratus est.

Interea in Universitatis Consistorio controvertendi materiam dedit substitutio in Vice Rectorem ab Academico hujus anni Principe, Paulo Zernitz SS. Theol. Doctore, ad S. Steph. Canonico per tempus Viennâ

Viennâ absfuturo, facta; Nominatum enim Vice-Rectorem, Petrum Vauthier SS. Theologiæ Doctorem & Cathedralem Canonicum adversùm Decani jura, ubi Facultas Theologica, è qua Rector anno illo fuerat, censuisset; rem omnem ad Universitatis Consistorium referebat: non tamen priùs decisam, quàm Magnificus D. Zernitz Rectoratu abiisset: tum enimverò sub Rectore novo Thoma Molitore Decanus vicit. *Videbant* enim Verba Actorum sunt, *veteri ex jure & usu esse vices Rectoris Magnifici, ubi eum abesse contigerit, ad ejusdem Facultatis, ex qua Rector Magn. esset, Decanum, si aliunde capax sit, pertinere.*

Romæ 22. Maji An. 1667. diem suum obiit Alexander VII. Pontifex Maximus, quem ineunte Junio Clemens IX. in cura pastorali secutus est. Academici verò luxerunt Magnif. D. Joan. Guilielmum Managettam, Austriacum Wilhelmspurgensem, Medicinæ Doctorem, & Cæsaris Archiatrum, ultimo Maji extinctum. Præclara Viri in Literas, Literatósque merita perpetuam meruêre memoriam. Septies omnino ad clavum Reipub. Literatiæ sedit Rector Magnificus, *vivum jurium Academicorum protocollum.* Vivit etiam post mortem in Laudatissima illa ab ære suo, cognominéque dicta *Fundatione Mannagettana*; cujus beneficio tot utraque Respublica Illustres viros numeravit, & etiamnum Universitas veneratur.

Vocato ad Neostadienses Infulas Laurentio Aidinger, qui biennio ferè ab Cancellis Universitati erat, Cancellarius, Præpositúsque ab Augustissimo Petrus Vauthier, Anno 1667. renunciatus est, officium istud ad obsidionem usque Viennensem gesturus. Gratulata est Universitas multa honoris significatione Episcopalem dignitatem emerito Cancellario, quem eo ægriùs dimiserat, quò arctiùs Virum Candidissimum, & insignis Doctrinæ, iam ab An. 1648. Theologiæ Doctorem creatum complectebatur.

Ab An.

Ab An. 1668. usque ad An. 1670.

Complurium funera biennium isthoc insigne fecerunt. Anni 1668. initio, 29. Januarii vivendi finem fecit Cæsareus in Universitate Superintendens, Joan. Christoph. Hörman. Ab ejus morte dum Candidati more veteri pro Superintendentis officio ab Excelso Regimine postularentur, Facultatum vota in partes scissa sunt. Medica enim, & Artistica non è Juridico tantùm, sed suo quoque è gremio; Thologica autem, & Juridica solùm è Juristis Candidatos nominârunt: Veteri, illi, mori insistendum, censuêre; hi, post Sanctionem Pragmaticam officium hoc ad solos Juristas redactum esse, satis ex §. 2. N. 5. colligi posse, arbitrati sunt. Renunciatus demum in Universitatis Superintendentem ab Aula fuit Joan. Thomas Molitor, J. U. Doctor, Regiminis Consiliarius, & tum Rector Magnificus, qui ubi 27. Novembris Fasces Academicos posuisset, eadem die à Commissariis Regiminis Superintendens est præsentatus.

Anno altero 1669. tumulo non sinè veris bonorum omnium lachrymis illatus est Celsiss. Princeps Fridericus è Comitibus de Breüner, Viennensium Antistes. Cujus funus ad Sacellum B. Virginis maximum deportatum, ibidémque conditum, Senatus populúsque Academicus comitabatur. Epigraphe tumbæ incisa Principis optimi Virtutes ita eloquitur:

Requiescit in hac tumba
Philippus Frider. ex Comitibus de Breüner, Episcopus Viennensis, S. R. I. Princeps, ætatis suæ anno LXXII. præfuit Ecclesiæ huic cathedrali annis XXX, insigni zelo, salutari verbo, & raro exemplo. obiit in Domino die 22. Maji, Anno 1669.

Orbata.

Orbatæ Ecclesiæ de novo Pastore providit pia Leopoldi Cæsaris cura, dum eidem Wildericum L. B. de Walderdorff, Cathedralium Ecclesiarum Moguntinensis, Herbipolensis, & Spirensis respectivè Præpositum, & Canonicum, Imperii Pro-Cancellarium præfecit.

Hæc ipsa ante funera anno 1668. 2da Februarii intempesta nocte exortum est Cæsareo in Palatio dirum incendium, quod reflante vento, multa strage Cæsarea conclavia depascens, Urbem totam magno terrore complevit. Magnus stragulorum pretiosorum numerus, picturæ nobiles, tabulæ, supellex regia plurima, momento periit. Ipsa Augusta Ferd. III. Vidua ægrè è flammis eluctata, vixdum se, Archiducésque proles subduxerat, cùm tabulatum Conclavis magno fragore corruit. Sopitâ intra aulam flammâ grandium jacturarum sensum singulare propè prodigium extinxit. Post multos enim dies reperta est inter cineres sacrosanctæ Crucis genuina particula: Cujus arcula, cui inclusa erat, tametsi media sui parte esset combusta, crystallus diffracta, liquatum, quod circùm erat, aurum; ipsum tamen sacrum lignum nec corruptum ignibus, nec vitiatum. Erat ea particula illa, quam Austriaci Principes diu pro thesauro habuêre: Maximilianus I. difficillimis in expeditionibus, præliis, itineribus, bello, ac pace è collo suspensam gestavit; eandem Ferd. III. suis in expeditionibus comitem habuit, atque Norlingensi nominatim in prælio, quo harum contemptores religionum novi Evangelii asseclas illustri victoriâ profligavit. Leopoldus Imp. Novercæ Eleonoræ, è thesauro depromptam, utendam interea concessit, incredibili ejusdem solatio; unde haud minori gaudio tam miraculosè servato sacro pignore reperto, quàm dolore, postquam periisse credidit, affecta, in tam prodigiosæ rei memoriam Augustæ Crucigeratum Ordinem, lectissimis, nobilissimisque è Matronis instituit, quæ se *virtutis manci-*

pia

pia vocarent, datâ in Ordinis Signum cuivis *cruce stellata.* Atque ut recèns institutum ad perpetuitatem fundaretur, à Clemente IX. P. M. editâ Bullâ Sodalitas illa confirmata, variáque Sodalibus privilegia, ac gratiæ concessæ.

Sopito illo in Aula incendio, haud levius anno 1669. Studiosos inter, & Judæos exarsit, inveterato in gentem perfidam odio ignem succendente, qui non nisi multo utrinque sanguine, ac demum pulsis hoc anno è Danubiali suburbio totáque Austria Judæis extingui potuit. Plurium, eorúmque gravium æquè, ac verorum criminum postulabantur Judæi, homines fraudum plenissimi. Nam præterquam quod nuperæ rixæ haberentur authores; crebra erat cum Turcis collusio; amplum, quod incolebant suburbium, commune sceleratis asylum, & iteratis seditionibus infame, fecerant; liberos Christianorum furto surripiebant, aut ab egenis nutricibus emebant; iisdem attributum est, quod superiore anno aulam corruperat, incendium: At hæc tametsi tam fæda essent, pænas tamen profuso auro, dolosísque artibus redemêre. Cùm demum Margaritha Imperatrix exilium toties meritum impetravit; Ex graviori enim morbo, ex immaturo partu contracto eluctata, ut sospitatori Deo gratam se exhiberet, multis precibus, quod dudum egerat, atque Austriæ Ordines, Collonitsiúsque Neostadiensis Episcopus sæpe incassùm tentârat, à Cæsare impetrat, ut Judæi, quorum ingens numerus, Viennâ, ac totâ Austriâ proscribantur: omnésque ad unum, sextum intra mensem, solum vertere jussi sunt. Suburbium, quod coluerant, Leopoldinæ Civitatis nomen accepit, à D. Marchionis Leopoldi honoribus dicato templo, quod eversæ in locum Synagogæ anno altero extrui cæptum, Cæsare ipso primum lapidem ponente. Non destitêre interim exules reditum, in Urbem saltem Viennensem, urgere multis causæ suæ faventibus. Super quo Facultatis quoque sententiam Aula petiit; cui illa

illa demum anno 1674. id præcisum, & multis rationibus fundatum dedit responsum; *reductionem hujusmodi nequaquam posse suaderi Augustissimæ Majestati, tametsi per eandem reductionem aliquod commodum temporale etiam certò, Provinciæ, Urbi, ac Cameræ aulicæ esset aquirendum.*

Vix binis abbinc annis Ecclesiæ clavum conscenderat optimus Pontifex Clemens IX. cum eandem rursùs morte abreptus deseruit anno 1669. 9. Decembris in Sanctorum societatem translatus, quorum honoribus mense Aprilis ornaverat Petrum de Alcantara Franciscani Ordinis Religiosum, & Magdalenam de Pazzis Carmeli Florentini Virginem.

Ab An. 1670. usque ad An. 1672.

ANnus hic faustissimus Cæsari accidit, qui non tantùm eundem ab insidiis eripuit, sed& conjurationem maturè detexit. Quatuor factionis Architecti meritas sceleris pœnas anno sequenti 1671. resecto capite dederunt; Nadasdius Viennæ in curia urbana, Zrinius, & Frangepanius Neostadii 30. Aprilis fato, & pene horâ eâdem, & dein Tattenbachius Græcii Styrorum periêre. Tökölius in Poloniam profugit; Ragoczio, Matre deprecante, venia data. Multum quoque ad Cæsaris, Regnorúmque ejus securitatem contulit Eleonoræ sororis connubium cum Poloniæ Rege Michaële Coributo, qui in locum Joannis Casimiri, quondam Jesuitæ, at Reipublicæ causâ primùm ad Cardinalitios honores, dein post fratris obitum ad Regnum vocati, posthac in Gallia S. Germani Sacerdotio, Abbatis nomine, fruituri, suffectus erat. Regina, ipso adornati in Poloniam discessûs die, 8. Februarii, Academicis Magistratibus sese adeundi copiam fecit, non Doctoribus tantùm, sed affluenti etiam Juventuti Scholasticæ manu ad osculandum præbitâ. Iter, faustáque omnia vovente Rectore Magnifico, suum deinceps quoque Universitati favorem promisit.

Post multas quinque mensium suffragationes ad Apostolicum clavum prope invitus demum est evectus Æmilius Altieri, à Decessore suo, dum in extremis ageret, factus Cardinalis, óbque id ipsum Clementis X. nomine insignitus: Qui ut tam feliciter munus auspicaretur, quà alter clauserat, anno 1671. quinque Sanctorum titulo donavit, Cajetanum Thianæum, Philippum Benitium, Franciscum Borgiam Societatis Jesu, Ludovicum Bertrandum, Rosam Limanam. Eorum Apotheosis ubi Viennæ quoque innotuit, honores illis magnâ solennitate ab Urbe Viennensi, & eorum maximè sectatoribus sunt persoluti. D. Franciscum Borgiam utrumque Societatis Jesu Domicilium, Domus nempe Professa, & Collegium Academicum singularibus utrobique honoribus exornavit; Cæsare ipso cum Aula, & Senatu, ac Populo Academico supplicationem ad Domûs Professæ Ecclesiam 23. Augusti comitante. Novum, eúmque singularem Universitas D. Borgiæ honorem habuit, dum subinde 27. ejusdem mensis Academicum Collegium ejusdem Divi Apotheosim celebraret. De qua solennitate Nationis Hungaricæ Procurator, in ejusdem Nationis Actis sic habet: *Omnium autem cultum superavit veneratio D. Francisci Borgiæ S. J. Generalis, & quondam Gandiæ Ducis: in cujus honorem Excel. D. Paulus Spinola &c. Hispaniarum Regis Legatus ad Aulam Cæsaream, Academicum, & Cæsareum S. J. Templum hic Viennæ à summo usque ad imum, ipsos etiam fornices, pretiosis auro, & argento intertextis tapetibus ex holoserico, adeò omnem exsuperando fidem, exornavit, ut nullam partem muri in toto templo nudatam videre licuerit, & penè inter miracula mundi censeri potuerit.*

Desiit anno hoc esse inter vivos Magnificus Joannes Thomas Mollitor Juris Consultissimus, Excelso Regimini à Consiliis, ac Cæsareus apud Universitatem Superintendens, præter præclara merita, ab quinque

millium

millium florenorum fundatione in commodum Studiosæ juventutis facta memorandus.

Ab An. 1672. usque ad 1674.

EMersit anno hoc grande illud Gallorum in Batavos Bellum, quod universæ penè Europæ Principes in arma traxit. Et quoniam illud devictâ prope Bataviâ totâ etiam in Imperium transiit, Cæsaris socia cum fœderatis arma in Gallos excivit. Sub hunc ipsum bellorum apparatum plurimùm Cæsarem afflixit mors Lectissimæ Conjugis Margarithæ, fæminæ regiis dotibus, & pietate cumprimis Austriacâ, insignis, quæ ex febrili morbo, uterum gestans 1673. 12. Maji, sanctissimè obiit. Abstersis magno animo lacrimis, ne pendentes in se uno spes Austriæ protelaret Leopoldus, lustrato ad Egram 33000. exercitu, & Montecuculo in Imperium misso, ipse visitata Cellensi Virgine Græcium proficiscitur, ac in Eggenbergiana arce Claudiam Felicitatem in Sponsam ducit.

Vindicanda sub illum bellorum apparatum fuerat non tam Universitas, quàm Facultas Theologica ab ea accusatione, quam in eam Serenissimus Saxoniæ Elector Joannes Georgius adornaverat. Approbatum scilicet fuisse à Theologis Viennensibus librum illum querebatur, in quo acerba nimium non solùm adversùs Evangelicos, sed ipsum quoque Electorem effutirentur. Ad hæc; adduci eo in libro Epistolam quandam olim à Joanne Friderico Saxoniæ Electore ad Gulielmum, & Ludovicum Bavariæ Duces, scriptam de conversione ad orthodoxam fidem Joañis Saxoniæ Electoris (illius nempe ipsius, qui primus Lutherum foverat, & Augustanam confessionem amplexus fuerat) quæ, præterquam, quod esset injuriosa, illam omnino apochripham videri. At abundè à Theologica Facultate Electori satisfactum est, quando luculenter ostensum, ne verbo quidem Saxonum Electorum dignitatem fuisse læsam; si quæ acerbiùs adducta essent,

 id ac-

Id necessariò factum, ut calumniæ adversùm Pontificem, Catholicósque Principes Valentini Alberti Lipsiensis Professoris retunderentur. Ad hæc à R. P. Cornelio Gentiloto ejusdem Theologicæ Facultatis Decano impetratum est epistolæ illius, quæ in archivio Serenissimorum Bavariæ Ducum Monachii asservatur, exemplar fidimatum, ùt vocant, formæ sequentis.

Unser freundliche Dienst, und was Wir allzeit ehren, liebs, und guts, vermögen zuvor, Hochgebohrnen Fürsten, Freundlichen, Lieben Oheimen.

„ WIr geben Euren Beeden Lieben mit betrübten
„ Hertzen zu erkennen, dass der Hochgebohr-
„ ne, Unser Gnädiger, Lieber Herr, und Vatter Her-
„ zog Hannss, Churfürst zu Sachsen, &c. am Freytag
„ schirst, und den neunten seger, auf den Tag, als
„ ein Christlicher Fürst mit Todt verschieden, dess
„ Seelen der Allmächtige Vatter, durch Christum
„ unsern HErrn barmhertzig seyn vvolle; derselbe
„ unser lieber Herr, und Vatter seeliger Gedächtnuss,
„ ist hievor in seiner Schwachheit durch den Geist
„ GOttes angeregt, und dardurch hertziglich bewegt
„ worden, sich zu alter Christlicher Religion zu wen-
„ den, und mit der Mutter der heiligen Christlichen
„ Kirchen widerum zu vereinen, auch darauf nach
„ Christlicher Ordnung alle Sacrament, den Leib
„ Christi, die heilige Beicht, und Oellung, in hitziger
„ Lieb, und Demüthigkeit angenohmen, und em-
„ pfangen, und alsobald in seiner Lieb Fürstenthumb,
„ einen Druck aussgehen lassen, dass alle neugemach-
„ te Ordnung der Kirchen aufghebet, der Luther, auch
„ andere Prediger, und Anhenger der Secten verer
„ nicht gedult vverden sollen. Und in einen zierlichen
„ Testament, uns als seiner Lieb einigen Sohn mit die-
„ ser Condition beladen, dass uns die Erbhuldigung
„ der Unterthanen, und Regierung dess Fürstenthumbs
„ mit

„ nit verfolgen solle, biss so lang vvir mit unsern fürst-
„ lichen Würden, und Worten bestäten, und zusa-
„ gen, dass Wir seine Lieb letzten Christlichen Wil-
„ len in allen Puncten vollziehen vvollen &c. Und
„ Wir, GOtt zu Ehren, und den Zu sagen nach, so
„ vvir Hochermeldten Unsern Herrn, und Vatter lei-
„ blichen gethan, uns dess schuldig erkennen, seynd
„ demnach in unsern Gemüth ernstlichen entschlossen,
„ vveiland Ihrer Lieb lezten Willen alles Fleiss zu
„ vollziehen, alle verführerische Secten, und Lehren,
„ darin leyder! Sein Lieb, Wir, und unsere Unter-
„ thanen betrüglich geführt vvorden, und uns gegen
„ Euer Lieb, und andern Christen Menschen darab
„ nicht vvenig geärgert haben, mit Wurtzel, und
„ grund gänzlich ausszureitten, deroselben Anhän-
„ ger, und Lehrer zu hassen, zu verfolgen, und ge-
„ mainer Christlichen Kirchen demüthiglich zu unter-
„ vverffen, und fürterhin mit Hülff dess Allmächti-
„ gen in unsern Fürstenthumb rechte, vvahre, Christ-
„ liche Religion zu erhalten. Und ob vvir diesen
„ Christlichen Werck zu schvvach, und uns etvvas
„ beschvvehrliches darunder begegnen möchte, vvol-
„ len Wir Euer Liebden, als unsere angebohrne Freund,
„ und Hochgerühmbte Fürsten, Liebhaber, und Für-
„ derer alter Christlicher Religion hiemit zum freund-
„ lichst ersucht haben, uns hiezu räthlich, und beysten-
„ dig zu seyn, und in der Noth nit zu verlassen, und
„ uns in unser Jugend, und unser Land, und Leuth in
„ solchen Befelch haben, vvie unser gar freuntlich,
„ und sonder Vertrauen zu Euer Lieb stehet. Wol-
„ len vvir uns entgegen mit all unsern Vermögen ge-
„ gen Euer Liebden also bevveisen, dass unsers Theils
„ die hochinnerlich nnd vertreuliche Vervvantung,
„ so vor Jahren, vvie Euer Liebden ohne Zvveiffel
„ vvissen, das Hauss Bayrn, und Sachsen gegen einander
„ gehabt, vviderumb erquickt, und freundlich er-

halten vverde. Datum in unserer Stadt Wittenberg am Sonnabent, den 24. Aug. 32.

Von GOttes Gnaden

Johann Friderich, Hertzog zu Sachsen, Churfürst, Landgraff in Türingen, und Marggraff zu Meissen, &c.

Hanc Epistolam in authographo asservari in prælaudato tabulario, exemplárque istud ei prorsus esse conforme non modo Serenissimus Elector Bavariæ Ferdinandus Maria sigillo suo, & datis ad Residentem suum Viennæ D. Ferdinandum Stoiber literis 1. Martii, anno hoc 1672. testatus est, sed & vocatus ad faciendam fidem Notarius sequentibus verbis subscripsit:

Dass gegenvvärtige Abschrifft gegen deren, in dem Churfürstlichen innern Archivio alhier zu Münihen verhandenen vvahren Originali von Wort zu Wort gehalten, und demselben allerdings gleichlautend befunden vvorden, bezeige von Römisch Kayserlich Majestät Macht, und Gevvalt, ich offenbahrer geschvvorner, bey dem Hochlöbl. Cammer- Gericht Speyer, auch dem Chur- Bayer Hof-Gericht albier immatriculierter Notarius, mit dieser meiner eignen Hand Unterschrifft, auf die Seyten gesetzten gevvöhnlichen Notariat Signet, und beygedruckten Insigel. Actum Münichen, den 1. Martii, anno 1672.

Antonius von Berchem, der Churfürstlich. Durchl. in Bayrn Rath, Geheimber Secretarius, auch zu Speyer, und Münichen immatriculirter Notarius.

An. 1673.

AT graviùs ferè anno hoc integro Facultatem Philosophicam inquietavit factionum turbo, quem occasione officii Decanalis in annum hunc gerendi nonnemo insufflavit, ac in easdem secum cætera, quæ ò

Societa-

Societate Jesu non erant Facultatis membra, molitiones pertraxit, res porro erat hujusmodi: año 1666. postquam Balthasar à Nollarn è Facultate Philosophica Fasces Academicos alteri tradidisset, is ipse in Decanum ejusdem Facultatis certis ex causis electus fuerat; cùm aliàs munus illud juxta Pragmaticam, & alternationem ab hac præscriptam, è Societate Jesu Doctorem quempiam gerere oportuisset: Atque ita illa dignitas penes Doctores, qui de Societate non erant, biennio mansit; consueto posthac rursum alternationis cursu servato; donec sub tempus mutationis Decanorum anni superioris 1672. *inquietum quoddam ingenium* (verba Actorum sunt) *reliqua etiam integerrima Facultatis membra in conspirationem adduxit, adegitque; ut datis etiam nominibus tam privatim, quàm palàm protestarentur, se Decanatum, qui juxta alternationis ordinem ad se se devolvebatur, anno sequenti non suscepturos, ita ut quemadmodum nuper biennis Decanatus penes alium, qui de Societate non erat, fuisset, ita hac vice biennis penes Societatem esset.*

Adversùm hæc Societas protestari, nec sua esse in potestate Sanctionem Pragmaticam immutari, specialibus ex causis nuper Decanatum emerito Rectori esse permissum, sed cùm Collegii Academici Rector proficeret nihil; primùm ad Universitatis Consistorium, dein ad Excelsum Regimen, tum Aulæ Cancellarium res delata, ibíque tractata fuit. Et abierat ferè jam annus integer jurgiis extractus: cùm demum priusquam Excellens Christianus Rechberger Rectoratu magnifico abiisset, scilicet 5. Decembris causa illa, accedente jussu Cæsaris, apud Eexcelsum Regimen terminata est; & pro parte Societatis pronunciatum; ita, ut vacante Decanatûs officio per annum 1673. integrum, pro anno demum 1674. à R.P. Collegii Academici Rectore in Decanum P. Henricns Söldner Facultati Philosophicæ ex more fuerit præsentatus.

Ab An. 1674. usque ad 1678.

AD felicitatem illam, quæ postea consecuta est, animum Augustissimi Leopoldi præparare velle videbatur Deus, dum adversis eum casibus sæpe exercuit. Iterum enim anno hoc 1676. Claudia Felicitate morte sublata, viduus mansit. Funus Augustæ 11. Aprilis elatum, in Ecclesia R.R P.P. Prædicatorum depositum est; ubi jam antea sepeliri, religiosáque sacri illius Ordinis veste à morte indui optaverat, ut suum in D. Patriarcham Dominicum amorem testaretur. Augustam brevi post secuta est infans filiola, hanc Claudiæ Parens; illa privato, hæc publico funere 13. Novembris anni 1676. tertio ab obitu die, tumulo illata.

Cæsar autem non tam mœrorem animi levaturus (quid enim magnum illum animum commovere potuisset) quàm tertiam à Deo Sponsam, quæ spes Austriæ feliciori ubertate recrearet, petiturus, primùm ad B. Virginem ad Fontes dictam; dein ad Cellensem Deiparam in Styriam tetendit: Unde redux in Conjugem elegit Eleonoram Magdalenam Theresiam Palatini Neoburgici Filiam, quam & Passavium adductam nuptiali vinculo sibi vitæ sociam fecit.

Sub hæc anno 1676. 21. Aprilis piè obiit Literariæ Reipublicæ Princeps, Michaël Bechtoldt, J. U. Doctor, Excelso Regimini à Consiliis; à cujus morte consuetis jam discordiis Academica comitia scindebantur. Ne enim Theologicæ Facultatis Decanus, ad quem ceu Universitatis Seniorem Vicaria in interregno dignitas veteri ex jure & usu devolvitur, ad deducendum Demortui funus invitaret Academicos, primùmque eo in processu funebri locum obtineret, non intercessit modò Cæsareus Superintendens, & Juris Doctores nonnulli; sed reipsa Pro-Decano, quem Decanus Theologiæ graves ob causas per dies aliquot Viennâ profectus substituerat, locum eum negavêre. Inde de potestate ipsa Vicaria, præcipuè, quòd Decanus abesset,

abesset, controversum. Visum Amplissimo Universitatis Cancellario Petro Vauthier, nihil moturos difficultatis Academicos, si ea potestas pro hac tantùm vice à Facultate Theologica, cujus membrum esset, in se transferretur: sed rationes gravissimæ oberant, quo minùs id consequeretur. Jámque controversia in dies plures protrahebatur, cum authoritate Supremi Aulæ Cancellarii, ad quem à Facultate Theologica deferebatur inter partes in has conditiones, prout ejusdem Facultatis Acta referunt, conventum: *1mò Decanus Theologiæ convocet, & dirigat Consistorium pro determinando die, & aliis concernentibus electionem novi Rectoris. 2dò idem ipso electionis die publicè in Aula Academica electionem indicat, sui officii procuratores admoneat, & novi eligendi Rectoris eisdem potestatem faciat. 3tiò quoad procedendi, & sedendi ordinem pro hac vice, salvis de cætero Facultatis Theologicæ juribus, Decanus primas deferat Proceribus Universitatis.* Indictum igitur 30. Aprilis per Decanum Theologiæ Consistorium, quo varias post partium de indemnitate suorum jurium protestationes demum creando novo Universitatis Capite, secunda mensis Maji dicta, atque die hac ex Procuratorum suffragiis Rector in demortui locum renunciatus est, Consultissimus D. Georgius Wobiniez, J. U. Doctor, & Canonum Professor publicus.

Altero abhinc anno Ecclesia universa etiam suo orbata est capite, Clemente X. die 22. Julii. Successit ei paucas post hebdomadas votis Cardinalium Benedictus Odescalcus, qui Innocentii XI. nomine insigniri voluit, eo rerum terrenarum contemptu, ut cœlo originem ejus referres.

Eodem año 1677. vindicata est Universitatis Jurisdictio, quam ademptum Provinciæ ordines ibant. Defuncto enim superioribus annis Joanne Georgio Hartman J. U. D. & tum Statuum Provinciæ Secretario, ac Syndico, non modò manus in hæreditatem Provinciales immisêre; sed detractis etiam Universita-

tis si-

tis sigillis sua apposuêre. Multis utrinque pro Jurisdictione in Membrum Universitatis, alterius tamen tribunalis in officio constituti, actum: Et quamvis jam anno 1675. ab Augustissimo Cæsare pro Universitate decisum fuerit; moram tamen ex mora trahebant Provinciæ Ordines, donec novo Cæsareo Decreto anno hoc 14. Decembris plena Jurisdictio Universitati asserta fuisset, utrasque Cæsaris literas Codex Austriacus recitat.

An. 1678.

FRiburgo ab ingruentibus repentè Gallis anno superiore occupato, & agris Fœderatorum populatis, triste Imperium, recreavit hoc anno novum Austriæ exortum sidus, Josephus 26. Julii in lucem editus Archidux. Qui ipso in ortu cùm inserto ori digito comminanti similis appareret, fatale hostibus nescio, quid portendere credebatur. Auxit cæptam ex Neonato Principe lætitiam novum concordiæ vinculum Eleonoræ Augusti Cæsaris Sororis, Viduæ nuper Poloniæ Reginæ, Carolo Lotharingiæ Duci, magno exercitûs Cæsarei Imperatori 28. Octobris Neostadii Austriæ secundo hymæneo junctæ.

Agitatum aliàs in Senatu Academico negotium, hoc anno confecerat authoritas Theologiæ Decani; ut scilicet oratio, primâ Pentecostes die haberi solitâ, in sequentem differatur; eò, quòd semel jam, atque iterum planè negligi debuerit, multitudinis, sacri Olei unctione in fide roborari cupientis, accursu præpediente. At cùm eadem ferè ratio pro sequenti die pugnaret, demum annis posterioribus constitutum, post solemnia matutina officia Oratio illa die ipso Pentecostes ut declamaretur. Illud etiam anno hoc accidit percommodè, ut non paucos hæreticâ peste infectos codices in alias deinde regiones dispergendos Viennam secundo Danubio devectos Excelso Regimini referretur; quod mox Cæsarea etiam authoritate interposita eis,

qui

qui teloniis præsunt rigidè demandavit; in periculosas ejusmodi merces studiosiùs inquirerent, & si quid librariæ supellectilis repertum esset, ad Universitatem referrent: cujus erit librorum doctrinam, argumentúmq; per designatos ad id excutere, & deprehensa fors fraude, pro more, juréque suo, quod videbitur, decernere. Datum quoque ab Academico Consistorio decretum, quod procuratorum negligentiam perstringebat, jubebátque, fideliùs deinceps muneris sui partes explerent, censûs, redituúmque rationes accuratè conscriberent, quò commodiùs acceptorum, expositorúmque ratio reddi queat. Denique anno hoc Sacharaceum jentaculum in festo D. Ivonis antehac in Juristarum Schola dari solitum, quod Facultati Medicæ, Artistarúmque considendi locus haud esset, voluntate Senatus Academici ad Consistorialem Aulam translatum esse Acta Nationis Hungaricæ recensent.

An. 1679.

Pax tandem Germanos inter & Gallos Noviomagi, quamvis infirma, conclusa est. Gallus Philippoburgum reddidit, Cæsar Friburgum Brisgojæ cessit, & Principem Fürstenberg, magnam belli causam, hactenus Neostadii in custodia habitum, libertati restituit. Vienna verò solennes quatuor Legatorum ingressus spectavit. Primus erat Innocentii XI. P. M. qui de recèns nato Archiduce gratulabundus præter ordinem venerat. Alter novi Tartarorum Chami. Tertius Baderlinus Moscoviæ Csarum referens, quem præter cæterum vulgus, 200. Nobiles auro, gemmisque graves, comitabantur. Præter fastum cultûs exotici id maximè multitudinis rapiebat oculos, quòd quæ attulerat munera, palàm per compita ostentaret. Hunc apparatu ad æmulationem composito non ita longè post secutus est Radzivillius Princeps, Poloniæ Regis nomine fœdus Cæsari adversùs Turcam offerens, quod & Moscus fecerat.

Sæcula-

Sæcularis hic annus erat Sodalitatis Majoris sub titulo Assumptæ in Cœlos Deiparæ ex quatuor Facultatibus congregatæ, institutæ, & Apostolica authoritate confirmatæ. Hunc itaque eâ, quâ par erat solennitate, Sodales cumprimis, tum etiam tota Universitas invitata 15. Augusti celebrârunt. Decantata ex ritu Ecclesiæ Missa solennis; Panegyris germanico idiomate in templo Academico dicta; Libellus, argumentum tempori accommodum, complexus (Flos Sæculi Mariani titulus illi erat) Doctoribus, sodalibúsque liberaliter distributus; nè scilicet fovendæ deinceps Marianæ pietati stimulus, ac tessera deesset.

Verùm, quæ pietatem hanc inflammare poterant (ùt pericula solent) gaudia, & plausus minuebat lues epidemica. Quæ quidem jam Mense Januario indicium sui fecerat, suburbanos depopulata; At modò Urbi sese infuderat caniculæ caloribus adjuta, studiorum fervorem, rumpere coëgit. Cessatum igitur à consuetis Lectionibus, Juventus saluti suæ consulere jussa, scholæ ipso Assumptæ in Cœlos Deiparæ pervigilio, felici omine, clausæ; ne collectam Juventutem lectissimam malum faciliùs afflaret, tantò majore Patriæ damno, quantò contagio hæc in copiosis conventibus & velociùs diffunditur, & atrociùs grassatur. Intra, extráque Urbis ambitum Martio Mense 4. Aprili quina, Majo & Junio duodena, Julio Septena, Augusto & Octobri singulis, totidem mortalium millia fuisse extincta Acta Academica annotârunt. Cæsar periculum vitaturus, primùm ad commune suum afflictis in rebus Asylum, Cellensem Virginem confugit; inde Pragam, & hac eodem fato involutâ, Lincium se, aulámque recepit.

In obsequium animam agentium è Theologica æquè, ac Philosophica Facultate Religiosi Doctores complures sese devoverant, quibus pestis tempore Academicæ Scholæ in habitationem cessêre; è Societatis Professoribus P. P. Leopoldus Helmling Humani-

tatis

tatis; Zacharias Traber Matheſeos Profeſſor, ab editis in lucem libris clarus; Franciſcus Wiſman, Wilibaldus Koffer Poëſis Comicæ delicium, præmiſſis multorum, Academicorum præcipuè, Manibus ſuâ demum quoque morte parentarunt. P. Aloyſius Linſchinger Philoſophiæ Pro-Decanus inter piiſſimos unà, & periculoſiſſimos labores intactus vixit, & poſtea celeberrimæ illius ſupplicationis tempore, quæ diſcuſſo jam periculo ad Statuam SS. Triados ducta erat, Euchariſticus Encomiaſtes. Nec deerant piis laboribus ſacræ aliæ familiæ, Prædicatores cumprimis; quibus periculorum Sociis cum habitatio anguſtior eſſet, *Stubam*, quam vocant, Philoſophicam ad incolendum poſtulârunt; at cùm, ſi uſum excipias, nihil præterea juris in illud Gubiculum Facultas obtineat, res ex voto non ceſſit.

Sopita nonnihil lue ſolemnis ſupplicatio inſtituta eſt, in qua Aulici, Urbaníque Magiſtratus Auguſtiſſimi Leopoldi nomine SS. Trinitati Coloſſum voverunt. Moles ea, primùm ex ligno fabricata erat, at poſtea in eam, quàm nunc cernimus, Majeſtatem aſſurrexit in Foro Civitatis ampliſſimo herbario dicto. Huc ſuperſtitum Civium ſupplex ordo, plurimis voluntaria feritate flagris ſeſe lacerantibus, deductus; Contagionis vim infregiſſe creditur. Cœpit enim exinde affulgere Serenitas, & piè creditum, quotquot eò tabe correpti adrepſiſſent, fuiſſe conſanatos. Ex fideli accuratóque Urbis Commentario habetur: *intra pomœriam quinquagena funerum millia recenſa*; in ſuburbiis millia triginta, quadringenta, ac ſeptuaginta capita extincta; ſummatim 80470. homines periiſſe.

Vivere hoc anno deſiit Joannes Georgius Frey, J. U. Doctor, Excelſo Inferioris Auſtriæ Regimini à Conſiliis, poſteaquam multa Laude Cæſaris rationes apud Univerſitatem ab Anno 1671. Superintendens obſervâſſet. Elato Academicâ pompâ, ſubinde in id munus

nus suffectus Maximillianus de Sala Excelsi item Regiminis Consiliarius, ac subinde eidem à Cancellis.

An. 1680.

VIx à bello Gallico, luéque Epidemica respiraverat Austria; cùm novi belli Gallici semina â Ludovico Rege jacta sunt, institutâ Reunionum quæstione; â Töckölio verò anno hoc ipso Cæsar rursum Civilibus turbis in Hungaria impeti cœpit. Hujus furor vel ideo erat immanior, quòd impietati, hæresíque in Apostolicum Regnum aditum panderet, rem Catholicam, quàm maximè affligeret, non paucis eâ solùm de causa, quòd Catholici essent, hæretico furori litatis, aris, templísque aut eversis, aut fœdè profanatis. Audacia hæc Töckölii gravissimi deinde cum Turca (cujus auxilio fultus erat) belli initium fuit. Quod fortâsse portendit Cometes 27. Novembris supra spicam Virginis primùm conspectus; at die mox sequenti in ejusdem manu, quemadmodum P. Carolus Schretter è Societate JESU, Natio. Ungar. Procurator refert. Longitudo ejus 11. graduum, Latitudo Australis unius erat; utraque tamen successu crevit, dum tandem 7. Decembris videri desiiêrit. Caudam in Occidentem projecerat; quod multam commentandi, augurandíque occasionem Mathematicis dedit. Quamquam fausti ominis phœnomenon peritiores existimarent, utpote, quòd ex pestilentibus halitibus coaluisset, & deinde accensum, expurgatum tandem aërem ostenderet.

Pestis violentiâ ope, ùt meminimus, divinâ infractâ, & jam planè sopitâ, duplex supplicantium ordo eductus est; alter ad beneficum SSS. Triados; alter ad intemeratæ Virginis Colossum. Utrobique ingeniosæ inscriptiones, picturæ, & faces mira varietate collucebant, utrobique ad aras operatus Franciscus Bonvisius, Nuncius Apostolicus; & quidem ad SSS. Trinitatis Statuam in Sacello ex meris Vitris, fenestrisque

que felici operâ constructo. Ludus quoque Literarius 18. Novembris apertus, magno omnium, & bonorum præsertim Parentum gaudiô, qui vehementer metuebant, ne hærentis domi Juventutis animos fœdior lues afflaret, otium scilicet & desidia, impietatis omnis Mater, & Nutrix.

Non prætereundum videtur, quod intra anni hujus lapsum contigit, atrox facinus Joannis Grueber, Dominiorum Quintini Comitis Jörger Præfecti. Hic à Domino suo, nescio qua de causa, offensus, cùm Parentem non posset, Filium Joannem Petrum, jam tum Excelsi Regiminis Consiliarium Vindictæ, suæ victimam destinavit. Hunc igitur ex Consilio reducem propè Ecclesiam R.R. P.P. Barnabitarum aggreditur, & exonerata minore fistula lethali ictu in curru sedentem, prosternit; Extractus è religiosa Domo, ad quam se receperat, mandato Excelsi Regiminis latro, jam ad debitas sceleris pœnas rapiebatur; cùm, violentiâ illâ immunitatem Ecclesiasticam læsam rati, Nuncius Apostolicus, & Viennensium Antistes eo rem deduxêre, ut reus in locum, unde ab urbano Satellitio raptus fuerat, reponeretur, mox eisdem authoritate Ecclesiastica, quòd Asylo non gauderet, reddendus. Altera mox die rotâ fractus scelus immane luit. Postulata eâ occasione ab Excelso Regimine iterum à Facultate Theologica de Asylorum jure Sententia; at ne in periculum sese conjiceret, id unum respondit: editam ea super re à Gregorio XIV. Bullam, ex qua jura Asylorum sat luculenter colligerentur.

Diem suum 4. Septembris obiit Reverendissimus Wildericus L. B. à Walderdorff, S. R. I. Princeps, Antistes Viennensis, ætatis suæ anno 63, postquam Ecclesiæ huic annis 11. magna prudentiæ, & zeli laude præfuisset. Parentavit Pastori suo Universitas invitata, funúsque Rector Magnificus, & Decani, omnes lugubri habitu induti, prosecuti sunt. Curas, dignitatémque mortui occupavit, qui meritis, & virtute

sua ad hoc fastigium sibi viam straverat, R. P. Emericus Ord. Minorum S. Francisci Capucinorum, magno honore apud Leopoldum Cæsarem habitus, & per Annos 22. ad Scotos Ecclesiastes famosus.

An. 1681.

MEmoriâ digna est anni hujus dies S. Georgio Sacra, quâ Reverendissimus Georgius Szecsényi, Ungarus Gyöngyösiensis Archiep. Eccles. Pachensis, & Golocensis Canonicè unitarum, Administrator Episcopatûs Jaurinensis, Jubilæum Deo Sacrificium obtulit in Academica Societatis JESU Ecclesia, in qua jam ante annos 50. primam Deo hostiam, Theologiæ Baccalaureus, & Philosophiæ Magister, Collegii Pazmaniani Alumnus obtulerat. Quamvis autem à superbo Ecclesiæ apparatu plurimùm ornamenti caperet solennitas, non parùm tamen accepit, & à præsentia Cæsaris, Nuncii Apostolici, Legati Hispan. & Reverendissimi D. Georgii Szelepcsényi Archiepiscopi Strigoniensis, Regni Apostolici Primatis.

Mense Septembri RR. PP. Augustiniani, quos Discalceatos dicimus, iteratò Theses cùm typis dedissent, id quod jam semel, atque iterum aliàs factitatum erat, his in fronte appositis verbis: *publicè propugnandas suscepit*; missus est, qui Universitatis nomine de facto hoc, cum Academiæ legibus pugnante, apud R. P. Provincialem Ordinis conquereretur. Hic verò se inscio rem eò progressam, ut impediri ex toto nequiverit, impedivisse tamen exteriorem tubarum, tympanorúmque apparatum, reposuit, pollicitus operam, pactúsque fidem, nihil ejusmodi deinceps tentatum iri. Justa omnino Universitatis expostulatio videbatur: *Nulla siquidem* (Actorum Philosoph. verba sunt) *Universitas patitur à privatis etiam privatim, multò minus publicè doceri. Definitur enim Academia, quòd sit Schola ad docendas publicè Literas instituta, authoritate Pontificis, & Supremi Principis erecta,*

erecta, confirmata, & privilegiis munita. Unde etiam sine Magnifici Rectoris, & Consistorii consensu, & authoritate nec Provincialis quidem Schola erigi potest: Neque P. P. Societatis, nisi per summorum Pontificum privilegia, & Supremorum Principum terræ, aut unionem cum Academiis, publicè docere audent. Constat enim ex Annalibus Universitatis Venerab. Consistorium se ejusmodi attentatis conatibus semper opposuisse. Si enim quodvis Monasterium hoc titulo Juvenes sibi adsisceret, tanta Monasteriorum multitudo studio publico ingens damnum inferret. Quod ut floreat, jure suo privatas ejusmodi Scholas Venerab. Consistorium impedire conatur; in quem finem etiam, ut à revisoribus non modò accuratè Theses, sed & tituli etiam, & dedicationes earundem revideantur, &, si quid Censurâ dignum occurrerit, expungatur Statutum est. Animadvertetur etiam imposterum graviter in eos Typographos, qui sine approbatione, & subscriptione Censorum simile impresserint. Quæ quàm religiosè nostra quoque ætate serventur, exinde constat, quòd cùm Thesibus Religiosi quidam titulum Professoris publici præfixissent, decrevit illico Senatus Academicus, nullius Theses permittendas, quæ eundem Titulum, nisi inter membra Facultatis alicujus censeretur, præferrent, misso desuper anno 1709. ad R. P. Franciscum Voglmayr, Collegii Academici Rectorem Decreto, quo Statutum hoc â Censoribus Societatis accuratè observari mandat.

An. 1682.

Teckelio audaces conatus utcunque feliciter urgente, Universitatem quoque hæc, quam damus, discordia turbavit. Ordinem postulandi Procuratoris ex Natione proxima, Natio Saxonica transgressa est, dum non ex Hungarica, quemadmodum oportuisset, verùm ex Austriaca Procuratorem delegit. Quod ùt animadvertit Nationis Austriacæ Procurator, ex Facultate

tate Philosophica, graviter in refragantes invectus palàm contradixit. Atque ideo irreverentiæ accusatus, â subsecuto mox conventu cum Decano Philosophiæ excluditur, quò liberiùs in eum, quidquid luberet, decerni posset. Verùm ille suam, Facultatísque injuriam non ferens, ad Cæsarem appellat, ac causa postea coram Excelso Regimine propugnata, victor evadit.

An. 1683.

ANnus hic toti Christianitati acerbus, Austriacis omnino fatalis; & planè proterenda videbatur Austria, nisi jam dudum ex adversis crescere didicisset. Pax inprimis Noviomagensis, quæ non constanti fide coaluerat, diu firma manere non poterat. Gallus namque rei benè gerendæ occasionem nactus, Argentinam, & Casalim occupavit, atque adeò commovit Leopoldum Cæsarem, ut bello quantocyùs petendum statueret, nisi Hungaricis iterum turbis detineretur. Harum igitur componendarum causâ Regni Comitia Sopronii per sese celebravit; sed, quamvis in plurimis conniveret, nullo fructu: Teckelius enim ipsâ Cæsaris clementiâ insolentior, totam ferè Superiorem Hungariam in potestatem redegerat, tutúmque reddiderat iter Vezirio, ut exercitum suum Viennam usque promoveret, & arctissima obsidione cingeret.

Nondum hostis copias Urbi admovit, cùm Augustissimus Leopoldus Ministrorum hortatu, & periculi magnitudine, vel invitus se in tutiora recepit, & 7. Julii vespertinis horis Lincium, ac deinde Passavium concessit. Trepidatum totâ, & imparatâ in urbe; nec septuaginta hominum millibus pauciores, cum Cæsare Viennâ exiisse, memorantur. Muniendæ tamen urbis opportunitatem nonnullam fecerat noster, non nisi 30000. exercitus, qui hostem magno nostro bono aut stiterat, aut remorabatur, ut quatuordecim omnino dies pauculorum milliarium iter, Jaurino Viennam,

ennam, extraheret; Morâ illa bene usi nostri, aggeres educunt, fossas repurgant, palis, & lapidibus margines cingunt; commeatum, pulveres pyrios, secundo allatos Danubio, cæteráque tolerandæ obsidioni necessaria congerunt; Militem denique 13. Julii in Urbem infundunt; Sexus omnis, & conditio hominum, Sacri æquè Laicis permixti, pro Patria laboravere. Die eadem igitur 13. Mensis Julii, ubi populatâ latè viciniâ in conspectum Urbis venisset Turca, exercitúmque â S. Marci vico ad Danubii usque ripas, Cœciique Montis pedem explicuisset, fossas primum aperuit, desertámque â Lotharingo insulam Leopoldinam occupavit: deinde propiùs Urbem aggressus, tormentis muros quatiens, occultis etiam cuniculis interiora petens propugnacula, cortinas, suggestus Urbis subruebat; neque ut quiescerent milites, virésque revocarent, tempus ullum obsidentibus concessit, diu noctúque increbili furore obsidionem adurgens.

Urbi summa potestate præerat, Ernestus Rudigerus Stahrenbergius Comes; immortalis memoriæ Heros, qui præter 12000. Stipendiarios milites, 5000. è Civibus legerat; quos inter & milleni è Studiosis, non ingenio minùs, quàm armis valere Palladem, ostenderunt, eundémque gerere manibus ensem, quem in insigni Universitatis præferebant. Defensa ab hocce Universim milite Urbs adversùm immanem Barbarorum furorem strenuè quidem, at lapsu temporis res ad extrema spectabat; dum muri fœdè lacerati propè jacerent, præsidiarius quoque miles non hostili jam tantùm ferro, sed & domestico malo, dissenteriâ, in dies minuebatur. Cùm tandem, ubi 12. Septembris, auspicatissima sanè, & expectatissima Christianis die, conjuncta nostris copiis Poloniæ Regis, & Bavari auxilia, per prærupta Cœcii Montis juga delapsa essent, hostem pari virtute, & animis aggressi, fudêre, fusúmque ad internecionem propè delevêre, Viennensi Urbe, totius Imperii propugnaculo, in libertatem

 asserta-

asserta: Accuratam bimestri obsidione illa rerum gestarum historiam, ac quæ inde consequebantur, passim Scriptores complexi sunt: Quis interea Universitatis Status, quidve ab Academico milite præstitum, dum cæteri Actorum Academicorum libri omnes silent, unius Nationis Hungaricæ Procuratoris, qui tum erat Clarissimus Joannes Stanislaus Altman, Juris Utriusque Doctor, Documentum lectori Academico recitamus.

**HOrrendissima, atque crudelissima hæc obsidio Turcarum, postquam Exercitus Cæsareus ob multitudinem, & copiam hostium, quæ propè 400000. capitum existimabatur, ex Hungaria se salvare, atque ad limites Patriæ recedere compulsus est, initium cœpit 14. Julii: Ubi innata sibi generositate, animositate, atque æneis hucusque tabulis inscriptarum laudum, decantationúmque imitatione, similis fatalis occasionis tempore omnia respectivè membra Academica, præcipuè Inclyta, Nobilis, Studiosa Juventus ad arma, ad arma proclamavêre, quæ etiam se summo adversùs hujus infensissimi hostis calore impetûs mota, statim ad arma pro salute Patriæ, totáque Christianitate cum expositione sanguinis, vitæque suæ deperditione promptissima exhibuerunt, nulli postremi *in assumptione* armorum; sed quin imò pares ordinariæ obligatæ Soldatescæ, se ad prælium, adversùs hunc belluam hostem cincta, cinctissimáque demonstrârunt; neq; minùs ex accenso flamine amoris pro salute Patriæ moriendi generosissima mente instanter, instantiùs, & quidem instantissimè institerunt, ut iis certus Tribunus, cùm supra-fatus Dominus Rector Magnificus (Laurentius Grüner) tanquam persona Ecclesiastica & Canonica hoc in passu iis præesse non valuerit, & caput quoddam Gubernii, unà cum cæteris Officialibus, more militari quantocyùs sisteretur. Qua super ferventissima, & justissima petitione Inclytis Membris Academicis

micis, totique generosæ Studiosæ, pro tunc armatæ juventuti Literariæ, post conscripta eorundem in Venerabili Consistorio Universitatis capitum nomina, & desuper factam præsentationem hujus ad prælium procinctæ militiei coram Illustrissimo, atque Excellentissimo Domino, Domino Ernesto Rutgero Comite à Stahremberg, Sac. Cæs. Maj. Camerario, Consiliario Aulico-bellico, tum Generali rei tormentariæ præfecto, nunc Campi Mareschallo, Commendanti Viennensi Supremo, & binæ Legionis pedestris Tribuno &c. ejusdem cum consensu in Sub-Tribunum (cùm Reverendissimus Dominus p. t. supra nominatus Rector Magnificus prærogativam Tribunatûs sibi de jure competentis specialiter reservârit) Gener ejus Præfectus fuit Illustrissimus Dominus, Dom. Ferdinandus L. Baro de Welz, Dominus Hæreditarius in Erberstein, & Spieglfeld, nec non Excelsi Regiminis Inferioris Austriæ Consiliarius. Pro Vigiliarum Præfecto eidem substitutus fuit Magnificus, Prænobilis, Excellentissimus, ac Consultissimus Vir Dominus Paulus de Sorbait Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, ac Publicus Emeritissimus Lect. Medic. Professor ordinarius, Sac. Cæs. Majestatis Viduæ Archiater &c. Capitanei, ab Inclyta Universitate resoluti, & electi fuerunt, imprimis Ego infra scriptus Joannes Stanislaus Altman, J. U. Doctor, Aulæ, ac Judiciorum Advocatus tanquam primarius sub vexillo antiquiori Universitatis. Dein Prænobilis, ac Generosus Dominus Christophorus Ignatius à Tiblern, Inclyti Aulæ-Marschallici Judicii Consiliarius &c. Nec non tertiò Joannes Müller, J. U. Doctor, & Judiciorum Advocatus. Postquam autem Dominus à Tiblern paulò post aditum munus, ei resignâsset, D. Vigiliarum Præfectus Paulus de Sorbait hanc sibi cohortem subdidit, Substituto sibi Sylverio de Coscolossa, qui Vice-Capitanei nomine eam administravit. Pariter quia D. Capitaneus Müller obsidionis tempore obiit, eidem in Capitanei locum Prænob. ac Clarissimus Dominus

minus Josephus Schmuz, AA. LL. & Philosophiæ Doctor, qui ante, & quidem à primordio obsidionis primarium vexillum Universitatis sub prima Compagnia gestaverat, idcirco ob sua præclara ibidem gesta, prædicto piè defuncto D. Capitaneo Müller jure merito suffectus fuit.

Locum-tenentes ab Universitate constituti extiterunt Prænob. ac Doctissimus Dominus Dominicus Henner ab Hennenfeld &c. Joan. Ulricus Jäger ab Heisenberg &c. Signiferi fuêre Prænob. ac. Doctiss. Dominus Joannes Jacobus Meister, J. U. C. qui D. Doctori Schmuz, in Capitaneum promoto successit. Dein Prænob. ac Doctiss. Dominus Hieronymus ab Immerdorff, præterea Joannes Philippus Andreas à Reidegg, J. U. L. cui obsidionis tempore defuncto subrogatus fuit Joannes Franciscus Wenighoffer, J. U. L.

Quibus hisce Literatis cohortibus adhuc alii respectivè Officiales adlecti sunt, videlicet Prænobilis Clarissimus, ac Consultiss. Vir Dominus Adamus Suter, J. U. Doctor, Aulæ ac Judiciorum Advocatus, p. t. Inclytæ Facultatis Juridicæ Decanus spectabilis &c. Sculteti munere functus. Item Prænob. Clariss. ac Consultiss. Vir, Dominus Joannes Christianus Kirchstetter, J. U. Doctor, Aulæ, ac Judiciorum Advocatus, Antiquissimæ, ac Celeberrimæ Universitatis Nostræ Syndicus, & p. t. Militiæ hujus Secretarius. Cæterum D.D. Capitaneis omnes alios Officiales inferiores pro suo arbitrio eligendi omnimoda facultas, ac potestas transcripta fuit. Quæ cohortes, se ultra mille capita, omnibus computatis, extendebant. Arma iisdem ex Domo Cæsareo-Armamentaria, die tertia obsidionis, id est, 16. Julii supra fati anni 1683. data sunt, quibus acceptis prima & secunda Compagnia mox singulari cum gloria, omnisque populi speciali consolatione, educatione, & exardescentia ad pugnandum, & hosti huic infensissimo resistendum, præequitante Duce, ut Sub-Tribuno, Illustrissimo Domino L. Barone de

Welz

Welz ad propugnaculum Melitense more militari sub pulsu tympanorum, erectísque vexillis de loco Universitatis per totam Urbem Viennensem, sicut & imperterrito animo trans supremam cortinam propugnaculi Aulici in publico conspectu hostium ad excubias, pugnámque ductæ, ac demandatæ fuêre. Tertia verò Compagnia interim in loco Universitatis usque ad ulterius commando suam postam recepit. Quæ Centuriæ postmodùm hinc inde ad periculosissima loca, adversùs hostium ferocissimos insultus locatæ, & postatæ fuerunt; ubi miram Laudem recommendationémque apud omnes omnino respectivè Dominos, Dominos Generales, ac alios Officiales ob functiones sibi demandatas, atque strenuè, heroitérque peractas comparârunt, verùm & per hoc ipsum æternam gloriam posteritati transscripserunt; adeò ut eorum nomina quoque tabulis æneis inscribenda veniant.

Queis tribus Studiosis militantibus cohortibus alimentationis loco pro biduo cuivis earum, 216. Libones panum, & tres Urnæ vini jussu suæ Excellentiæ Illustrissimi Domini, Domini Comitis à Stahremberg, certis locis levandæ, assignatæ, & datæ fuerunt, præter quæ postmodum ex speciali ordinatione Universitatis Excellentissimus Dominus Doctor Sorbait cuivis harum cohortum membro (præter tamen Officiales, qui nil receperunt, sed propriis suis Sumptibus, sicut & plures alii è Nobilioribus, vixerunt) certis temporibus quid pecuniarum elargitus est. De quorum militum Academicorum præclaris gestis adhucplura alia annectenda forent, ast cùm hac de obsidione varia Diaria edita sint, sic me eò brevitatis causâ remitto.

**

Duo quoque ex Universitatis Proceribus obsidionis tempore naturæ tributum exsolvêre; Reverendissimus, & Magnificus Rector, Laurentius Grüner Cathedralis Ecclesiæ Viennensis Canonicus, *Vir sincerus, & rectus corde* (ùt Theologica eum Acta celebrant) nemini

nemini gravis, charus omnibus, in officio suo strenuus, & indefessus. A cujus elato, privato luctu, funere lis surrexit Cancellarium inter & Consistorii membra: usus enim jure suo Theologiæ Decanus in decimam septimam Augusti Consistorium excivit, prætermisso Universitatis Cancellario, cùm ardui nihil, & gravioris momenti in consultationem venturum dicerent, quod Cancellarii præsentiam requireret. Actum eo in Consistorio de modo, rationéque novæ Rectoris Magnifici electionis, dictúsque dies 19. Augusti, quo substitutis trium Nationum Procuratoribus, quorum unus fatis concesserat, bini belli tempore Viennæ aberant, novus Rector eligeretur. Pupugit ea res Universitatis Cancellarium, & ne programa à Notario affigeretur, prohibuit. Interea ipse Consistoriales convocaturus, ad singulos Pedellum ablegavit. Adfuêre quidem constituta die omnes, sed cùm omnium nomine Juridicæ Decanus, de nullitate Consistorii hujus, præter jus, fásque convocati, esset protestatus, abitum pa-rârunt. Amicis tamen precibus Cancellarii, aliorúmque permoti, ad amicum redierunt colloquium, iterata sæpius pro more protestatione, multa ultro, citróque agitata memorantur. In id tandem suggerente Theologiæ Decano conventum, ut tempori parceretur, & litibus præsens conventus è Consistorialium sententiâ, à Theologiæ Decano, cujus intererat, legitimum Consistorium declararetur, deque novo Rectore non tam eligendo, quàm substituendo ageretur. Itum in hanc sententiam ab omnibus, collectísque sine mora à Theologiæ Decano Procuratorum suffragiis, Rectoratûs Magnifici insignia Reverendissimo Joanni Baptistæ Mayr, Decano, & Officiali Viennensi, communi gratulatione, & gaudio delata sunt.

Vix ea terminata erat controversia; cùm Rectorem Magnificum in vitam alteram consecutus est 4. Septembris Amplissimus ipse Cancellarius, Petrus Vauthier ad D. Stephani Præpositus, cujus funus af-

flicto

flicto eo tempore ſine pompâ Academicâ tumulo illatum: cui ſubinde ſolutâ jam obſidione ex nominatione Cæſaris ſuffectus eſt Joannes Baptiſta Mayr, Parochus quondam Laxenburgenſis, dein Eleonoræ Viduæ Ephæborum Præfectus, ac Eleemoſinarius, tum ad D. Stephanum Canonicus, Vir â pacato ſemper animo Univerſitati multùm adamatus.

Ab An. 1684. uſque ad 1686.

FElices bellorum progreſſus remorata eſt Buda, quam Lotharingus obſidione cinxerat, ſed morbo ſuo, & militis paucitate impeditus à cæpto deſtitit. Jacturam tamen hanc compenſavit fugatus aliquoties hoſtis. In Croatia, Boſnia, Sclavonia feliciter à noſtris pugnatum. Tekelius in ſuperiore Hungaria caſtris exutus, ſeminudus ægrè evaſit, Deo perditum caput in majorem calamitatem reſervante. Sequenti enim anno à Varadienſi Baſſa captus, catenis gravis in agreſti eſſedo Adrianopolim ductus eſt, brevi libertati iterum reddendus.

Abierat hoc anno ex mandato Cæſareo ad Dietam Hungaricam (Comitiorum genus eſt) Magnificus Joannes Georgius Hoffman, Univerſitatis Rector è Facultate Juridica: cúmque diu pro negotiorum ratione ſe abfuturum prævideret, qui ſuas interea vices obiret, elegerat, & in Conſiſtorio nominaverat Rudolphum Carolum Khatium, Rectorem emeritum. Verùm, qui ſibi id jure aliquo ſucceſſionis deberi Decanus Juridicæ arbitrabatur, ſupplici libello de injuria Excelſum Regimen compellavit, obtinuítque decretum, quo utriusque partis rationes maturè diſcutere cæteræ Facultates jubebantur. At non eum, quem fortè ſperabant, cauſa exitum habuit. Potior enim Doctorum pars abſentis Rectoris ſententiam probavit.

Non poſſumus ſine gaudio anni 1685. meminiſſe, quo pretioſum cœlo donum accepimus, dignum tanto Parente, Cæſare Leopoldo natum Carolum. Qui

Patris

Patris gloriosa ingressus vestigia, non virtute minùs, ac felicicitate, Magni Nomen pace, bellóque obtinet. Quem, ut Deus Romano-Germanici Imperii clavum auspicatissimè moderantem, quàm diutissimè incolumen orbi servet, ex animis vovemus, precamúrque.

Universitati interea imò & Excelso Regimini non parùm negotii attulit eodem anno exorta, sed non nisi tertio post plenè composita, controversia, quæ tamen non tam suo pondere, quàm Philosophorum pro juribus suis mordicùs stantium ardore, eo usque protrahebatur. Elegerat, aut certè eligere volebat Consistorium pro Rationum (ùt vocant) Consiliario, aliquem è Facultate Philosophica, ab eadem non propositum. Ob quod plus sibi juris, quàm par esset, sumere Consistoriales insimulati. Id deinde variis in Conventibus diu tractatum, amicè demum eatenus convenit: ut Philosophica Facultas de rigore juris sui aliquid Consistorio reverentiæ ergò remitteret; hoc vicissim ejusdem se votis ex parte accommodaret. Decretum ergò, ut non unum duntaxat quemadmodum hactenus à 60. ferè annis, sed binos pro officio hoc Candidatos Philosophica Facultas proponeret, ex quibus alterutrum probaret, & eligeret Consistorium.

Vivere etiam anno 1685. desiit Episcopus *Urbis* Emericus Sinellius, quem utì ob sacram facundiam è Monasterio ad Insulam evocatum meminimus, ita quia hac quoque dignitate auctus piam ad concionem subinde dicendi consuetudinem tenuit non nisi *Emeritus Facundus* audire meruit. Mortui locum non genere magis, quàm virtutibus Illustrissimus Ernestus è Comitibus de Trauthson occupavit.

Ab An. 1686. usque 1688.

Iterum annus hic Cæsareis Aquilis fortunatus, præter plures in campo victorias Budam, vi captam, Christianis restituit, postquam jam ab anno 1541. sub barbaro jugo gemuisset, Victoria tanto jucundior erat, quantò

quantò magìs dolebat militi nuperum ad Budam dedecus acceptum. Cæptam 18. Junii obsidionem Serenissimorum Lotharingiæ, & Bavariæ Ducum præsentia, & fortitudo ita promovit, ut vastatis mænibus, post repetitos aliàs assultus, 2. tandem Septembris in nostrorum potestatem Urbs venerit. Fortissimè eandem tuebantur barbari, sive quòd statuisset Mahometes, qui Budam traderet, omnino perdendum; sive quòd furori vires in exitium ministraret non longè distans Vezirius. Hic 40. suorum millibus, cùm bis auxilium obsessis ferre frustra tentâsset, victoriæ Christianorum spectator esse debuit, qui suos servare non poterat. Fortissimum Christianitatis propugnaculum minora oppida partim deditione, partim vi secuta: durante obsidione indictum à Cæsare Viennæ rigidum jejunium, & pane, atq; aqua celebratum; absolutâ autem, grates Deo communiter habitæ. Post Budensem Victoriam dejecta è turri S. Stephani Turcica insignia, luna, & stella, quæ nostri post primam Viennæ anno 1529. à Turca obsidionem apposuerant, ut Barbarus admirandæ moli parceret; quorum loco adorandum crucis vexillum 4. Septembris repositum, ipso scilicet die exaltato huic Trophæo sacro.

An. 1687.

UT expugnatam vindicaret Budam, Bellique fortunam sisteret, supremas anno 1687. vires Turca collegerat, & in campis Mochacsiensibus collocaverat, loco ut quondam sibi fausto, ita nunc ex æquo infelici. Hic enim à nostris planè fractus est, castra cum omni apparatu bellico amisit, 20000. suorum millia desideravit, recepitque plagam, quam anno 1526. Ungaris ibidem inflixerat. Eszekinum, & Agria deditione partibus Christianorum accesserunt. Interea Leopoldus Cæsar votum grassante peste contractum, Deo redditurus colossi SS. Triadi erigendi initium 30. Julii 1687. fecit in Foro Herbario: ex templo D. Petri, ubi

ubi missæ Sacrificio intererat, summâ pietate illuc progressus primo lapidi, quem Augusta manus jecit, nummum aureum supposuit, in cujus facie una legere erat: Leopoldus Primus Romanorum Imperator, Hungariæ, Bohemiæque Rex. Ex altera verò: Sanctissimæ Trinitati votum exsoluturus columnæ hujus primum lapidem posuit 30. Julii 1687. Circulus nummi extremus hanc continebat Epigrahen: Benedicta, & laudata sit Sacrosancta, & Individua Trinitas Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Amen. In medio Aquilæ bicipitis proprium Augustissimi lemma spectabatur. Consilio, & industriâ.

Pietatem Patris imitatus Filius Archidux primum pariter lapidem, ab Ordinario loci Episcopo benedictū, in fundamenta templi RR. PP. Carmelitarum in Lajmbgrueben, qui post absentiam sæculo longiorem, Viennam regressi sunt, 22. Augusti ejusdem anni jecit, quæ ædes nominis illius Patrono D. Josepho dedicabatur. Tulisse pietatis fructum Augustus videri poterat, dum eodem anno hoc 9. Decembris Serenissimum Archiducem Hungariæ coronâ insignitum conspexit.

Ab An. 1688. usque ad 1691.

Metebat adhuc lauros Austria; Munkaczinum, Alba Regalis, & Alba Græca illius imperio accesserunt. Sigethum autem 1689. fame expugnatum. Et tandem 29. Augusti hostis ad Nissam Serviæ oppidum, 105. tormenta, & omnem cum castris apparatum amisit, exercitûs nostri Ductore Marchione Badensi, qui vires Lotharingi, alterum jam adversùm Galliam exercitum ducentis, exceperat.

Et erat, si quod unquam, evertendæ penitus potentiæ Othomanicæ tempus aptissimum. Supplices jam

jam Vienna Turcas viderat, conditiones pacis ex victoris arbitrio accepturos. Verùm non tulit Leopoldi lauros involvens omnia novus belli turbo. Primum impetum ſeneſcenti Septembri excepit Wormatia, Spira, Moguntia, & alia minoris nominis propugnacula, quæ ſub annum 1689., quòd tutandis, quas cæperant, in Imperio Urbibus Galli impares, Vulcano plerasque tradidêre; Moguntia à Lotharingiæ Duce recuperata; geſtúmque bellum hoc Gallicum per Imperium, variâ partis utriusque fortunâ ad annum uſque 1697. quo pacis fœdera coaluêre. Diſtractâ ſic aliunde Cæſareorum armorum vi, interupta belli adversùm Turcam Cæſaris fortuna eſt; ingenti enim exercitu ſub annum 1690. in campum progreſſi, dum vix haberent, qui obſiſteret, Niſſam, Belgradúmque deditione recepêre: jam viſceribus Hungariæ rursùm imminebant, niſi Barbarorum ſucceſſus annus ſequens ſtitiſſet.

Cæſar nihilominùs cum Auguſta, Hungariæque Rege, Auguſtam Vindelicorum profectus, in Comitiis de Reipublicæ ſalute multa conſultat, Regios quoque Imperii honores Auguſtæ, Filióque Sereniſſimo Joſepho octovirorum omnium ſuffragiis procurat; 29. Januarii 1690. ille in Romanorum Regem, duodecim tantùm adhuc annos natus, eſt inauguratus; hæc haud multò ante Imperiali diademate inſignita. *Reduci Viennam* (verba Actorum Theologiæ ſunt) *Orbis Amori, & Timori, ne Auſtriæ Caput, & Cæſarum Nutrix Vienna ſuis deeſſet plauſibus, quarto nonas Martii primùm in littore Stubenſi è navi exeuntem per Regiminis Cancellarium D. Maximilianum de Sala &c. paulò poſt ſub ipsâ Portâ Stubenſi per Civitatis Pro-Conſulem Michaëlem Focky, mox intra limina Cæmeterii Aulæ Epiſcopali proxima per Univerſitatis noſtræ M. Rectorem Antonium de Veſtenburg. A.A. L.L. & Philoſophiæ Doctorem, nec non Canonicum ad D. Stephani, quatuor Facultatum Decanis, nempe A.R. P. Chriſtophoro*

phoro Fromüller Ord. Erem. S. Augustini ex Facultate Theologica; D. Georgio Joanne Widureck ex Facultate Juridica; D. Joanne Jacobo Stumpff ex Facultate Medica; A. R. P. Conrado Miller è Societate JESU ex Facultate Philosophica, subinde umbellam portantibus; demum in ipso Basilicæ D. Stephani introitu per Episcopum Viennensem Joannem Ernestum à Trautson, ternis præterea sub portis triumphalibus, distinctim per civitatem miro opere, & artificio elaboratis, triumphantem gratulabundè excepit, & utriusque Orbis Regimen aggratulata est fortunatum. Sollicitaverat jam tum Universitas usitatam hactenus ad Neo-Electum Regem admissionem, quam tamen non nisi anni insequentis mense Julio obtinuit, quo ad Augustũ primùm, 28. mensis illius, Imperatorem, cùm & 30. ejusdem, ad Augustum Regem admissus Senatus, Popuúsque Academicis, Rectore Magnifico Francisco Josepho Garzaroll, de Garzarolshoffen, Parocho, & Decano Stockeraviensi, Abbate S. Georgii de Chanad, & Directore Passaviensi B. Virginis ad gradus, librum, *Principum Austriacorum virtutes*, complexum obtulit. Retulit uterque Augustus pro eo Universitatis studio non propensam modò voluntatem, sed & Oratorem Magnificum aureo torque donatum, cæteros ad manûs osculum admissos clementer dimisit, ubi ea addidisset: *Jut quemadmodum in hoc libro concinando ingenium, ac industriam suam impendisset Universitas, ita etiam in prælegendis lectionibus frequentes essent ad id delecti Professores stipendiati.* Auxit lætitiam ad Salankamenam victoria, 19. Augusti relata, quæ 25. hostium millia cum Vezirio perdidit, cumulavit cladem Solymanus hoc anno extinctus.

Interturbâvit publicæ lætitiæ plausus mors inopina Serenissimi Caroli Lotharingiæ Ducis Herois incomparabilis, victoriis adversùm Turcas, Gallósque partis Clarissimus, quo Æniponto Viennam profectus, Welsii superioris Austriæ Urbe, olim Maximiliani

liani I. Cæsaris fato quoque celebri, piissimè expiravit.

Academici etiam eodem anno lugubrem scenam dederunt, quam Reverendissimo Antonio de Vestenburg, 25. Septembris è vivis erepto, adornaverant. Mortuum quatuor Facultatum Decani, nigras induti epomides, sequentibus Nationum Procuratoribus, aliisque Doctoribus in R.R. P.P. Dominicanorum Ecclesiam comitati sunt, ubi digno meritis honore tumulo illatus est. Mors ejus usitatæ jam eo in eventu controversiæ occasionem dedit. Aberat sub ejus obitum, utpote Autumnalium feriarum tempore, Theologiæ Decanus P. Christophorus Fromüller ex Ordine D. Augustini Eremitarum, Benedicto Eberl Cathedralis Ecclesiæ ad D. Stephani Canonico in Pro-Decanum substituto; ergo Provinciam convocandi comitia novo Academico Principi deligendo Amplissimus Cancellarius, Joannes Baptista Mayr, ad se delatam ratus, die altera, scilicet 25. ejusdem mensis quatuor Facultatum Decanos ad se convocat, consistoriúmque sua authoritate indicit de ellectione novi Rectoris consulturus. Reclamatum convocationi huic à Prodecano Theologico, quod omnis Comitiorum cogendorum provincia in interregno ad Theologiæ Decanum, & jure veteri, & constanti hactenus usu, & Resolutionibus etiam Cæsarum, spectaret. Non deerant tamen ex Consistorialibus nonnulli, qui hoc in casu, quo Decanus aberat, cum Amplissimo Cancellario facerent. Ne tamen his jurgiis creatio protraheretur, amica à partibus inita conventio: Comitia creandi Universitatis Præsidem Senatûs Academici nomine, & authoritate indicerentur; Prodecanus Theologiæ Rectoris defuncti vices in Comitiis subiret; Cacellario tamen priorem locum cederet; cæterùm parti utrique jura manerent indemnia, ab Augusto Cæsare decidenda. Et aderat jam Academica in Aula Senatus, Populúsque

Academicus, cum Nationis Austriacæ Procurator Admodum Reverendum, ac Religiosum Joannem Ferdinandum Nolthæum ad D. Dorotheam Canonicum Regularem, Artium, & Philosophiæ Doctorem in Rectorem Magnificum designa: at submota à Procuratore Hungaricæ Nationis quæstio: num laudatus Nolthæus in Rectorem Magnificum deligi posset? eâ ex causâ; quod tametsi Decanus suos inter esset, Prælati tamen potestati subiiceretur; nec videri Universitati honori futurum, eum Reipublicæ Literariæ Principem præficere, qui alterius arbitrio subjaceret. Verùm sustulit difficultatem illam Cancellarii Amplissimi, nam Cæsareus Superintendens, Collegiique Academici Rector comitiis iis aberant, authoritas, sponsáque per Reverendissimum Prælatum fides, se honore omni, & officiis Magnificum Nolthæum culturum, nec ut subditum, sed Literariæ Reipublicæ Præsidem habiturum. Unanimi igitur suffragio laudatus Canonicorum Regularium Decanus, Ferdinandus Nolthæus in Rectorem Magnificum residuo adhuc duorum mensium spatio est renunciatus.

Anno hoc jam inclinante, 4. nempe Decembris, Austriam, vicinásque regiones gravis terræ motus concussit; Viennæ autem tametsi minùs vehemens ille esset, turris tamen S. Stephani eas rimas egit, ut reparandam quantocyus peritiores Architecti censuerint. Magnis ergo sumptibus, nec minore periculo, majoribus, quæ ex lapsu machinæ imminebant, damnis, festinanter occursum. Iteratis deinde vicibus terra tremuit, sed majore metu, quàm damno. Observatum est; idem ante annos centum, hoc est anno 1590. Turri huic, Urbique Viennensi contigisse; quasi repetito omine nefastus deinceps, clymatericus, fatalísve annus quisque sæculi nonagesimus, fore signaretur.

Pridie idus Augusti anno 1689. summo Orbis Christiani luctu Romæ obiit Innocentius XI, Optimorum

Catho-

Catholicæ Ecclesiæ Pontificum nulli secundus. Belli adersùs Turcas fervens Promotor, Ecclesiæ opes fœderatis in eos Principibus effundere non destitit, donec vixit. Suffectus ei 8. idus Octobris Petrus Ottobonus Venetus, Alexander VIII. nominatus, sed vix ultra annum, & menses quatuor Ecclesiam rexit; cum demum anno 1691. post longam 5. mensium consultationem ad Sedem Apostolicam evectus est Antonius Pignatellus, qui Innocentii XII. nomine insigniri voluit.

Ab An. 1691. usque ad An. 1693.

REducem Turcis superiori anno belli fortunam anno 1691. cohibuit insignis ad Salanckamenam victoria, à Serenissimo Ludovico Badenæ Marchione de immani Barbarorum exercitu relata; quo in prælio Vezirius ipse, cum summis quibusque Bassis, victimæ Marti Austriaco ceciderunt. Anno dein altero Varadinum in Hungaria, præcipuum hactenus hostium nidus ab Archistratego Heislero excussum, Badensi ad Esseckinum hostem observante. Feliciora longè omnia in Imperio, & in Belgica hostibus Gallis; devictis utrimque munitissimis propugnaculis, lauros ex lauris nectentibus.

Ut earum ad posteros, & si fas est, ad ipsam æternitatem, victoriarum gloria transmitteretur, Parisiis in Gallia, ærea ingentis molis columna Ludovico excitata est; eo scilicet ipso anno, quo Imperatoriâ planè magnificentiâ Augustus Leopoldus, illustre pietatis specimen edidit, dum devotum illum SS. Trinitati colossum, hoc tandem anno perfectum, ipso SS. Trinitatis festo die, dedicavit. Deductus ad Statuam supplicantium ordo, qualis in Theophoriæ festo consuevit, erectæ ad designatas stationes aræ, vicinæ transituris domus symbolis, picturis, & tapetibus pretiosis exornatæ. Decantata ad molis pedem missa

solennis, dictum ad concionem frequentissimam in foro ipso. Quæ omnia præsentes Ss. Majestates magno cum solatio, & devoti animi affectu spectabant, promovebántque.

Interea ad altiores curas, dignitatémque evecto Maximiliano de Sala, Cæsareo hactenus in Universitatis consilio Superintendente, muneri illi gerendo ex tribus, quos Facultates nominavêre candidatos, Juris consultis ab aula suffectus est Joannes Georgius Hoffmanus Excelsi Regiminis Consiliarius, & 11. Decembris anno 1691. Senatui Academico præsentatus.

Pacatas Universitatis res utroque anno hoc Rixæ, tumultúsque Scholarium interturbárunt; primæ cum Judæis anno 1691. exortæ eâ occasione: Judæus levi de causa (pinguiorem stipem rogatam refert non nemo) irritatus, Philosophum quempiam apprehenso jugulo præfocaturus erat: sed hoc ab accurrentibus liberato, in cædes haud dubiè erupisset furor, nisi primùm R. P. Prodecanus; deinde Rector Magnificus, advocato militum urbanorum globo, tumultuantes compressisset, eâdémque operâ obicem posuisset studiosis, domum opulentissimi Judæorum Oppenheimeri (cui reus ab obsequiis erat) diripere parantibus. At Judæi rebus suis maturè consulturi, centum Imperialium largitione furorem placaverunt. Quod tamen æs non inter egenos Academicos divisum (ne lucri spes illicium turbarum esset) sed ex integro ad Fratres Misericordiæ missum; atque ita provido consilio è publica, si quæ fortè præbita erat, offensa, insigne charitatis opus emanavit.

Plus periculi, & longioris controversiæ materiem creârunt anni alterius turbæ 23. Martii enatæ; fortè Christophorus Hueber Tyrolensis, Logices Auditor, in excubantem ad rubram Turrim Præsidiarium impegerat, à quo verbis, verberibúsq; malè acceptus studiosus, dum ensem seu ulturus injuriam, seu vim prohibiturus, stringit, ab accurrentibus in socii auxilium militibus

acer-

acerbiùs habetur; & gravius quid experiri poterat, nisi prætereuntium subsidio præsidiariorum furori Hueberus fuisset ereptus. Eo ipso in tumultu, dum, ùt fieri solet, dantur, redduntúrque vulnera, militum aliquis à socio, qui ictum in vindicem turbam direxerat, casu prosternitur. Ad rabiem inde, cædésque spectabant utrimque omnia, nisi Rectoris Magnifici mandato scholares; Magistratûs urbici jussu plebs cætera rixarum loco essent divulsi. Comprensus turbarum, ut putabatur, Author Christophorus Hueberus, ac die dein altero studiosorum alii duo, in civicum carcerem, imperio Locumtenentis, compinguntur, frustra jurisdictionem læsam Universitate conquerente, ac innocentiam etiam incarceratorum communi populi voce attestante. Et eò res jam processerant, ùt non rei modò Civici Senatûs quæstioni subiiciendi ab aula decernerentur; sed et & de veteri in Academicos jurisdictione Universitas periclitaretur. Commodùm Universitati acciderat, anno illo nactam se esse eum Rectorem Magnificum, Georgium Leonardum Weiglerum J. U. Doctorem, quem nempe ea controversiarum tempora requirebant; ejus enim unius ferè industria, & laboribus effectum, ut non modò rei carceribus Academicis redderentur, sed & Jurisdictio Universitatis ab Augusto Cæsare novo Decreto stabiliretur. Duo illico libertati redditi; turbarum autem causa Hueberus duorum adhuc mensium carcere, pane, & aquâ vitam trahens, culpam expiavit.

Excessit è vivis anno 1691. Vir Excellentissimus Paulus de Sorbait Belga Hanoniensis Philosophiæ, & Medicinæ Doctor, Imperatricis Eleonoræ Viduæ Medicus Cubicularius, Praxeos Medicæ Professor Primarius, primus in Sanitatis rationibus apud Excelsum Regimen Consiliarius, semel, ac iterum Universitatis Rector. Cujus Viri præclara in res literarias merita longiorem memoriam postularent, nisi brevitatis,

 quam

quam sectamur, rato prohiberet. Præterquam enim, quòd elocatis perpetuo censui 2000. florenis duorum studiosorum commodis, profectuíque litterario providerit, Ederi quoque Rectorum Universitatis Catalogum ad añum usque 1669. continuatum è Bibliothecæ Academicæ documentis præclarè illustravit.

Et quoniam Bibliothecæ Academicæ mentio incidit, operæ pretium existimavi in Antiquitatis amatorum gratiam, adnotare; non veteres tantùm codices, quàm plurimorum, sed & MM. SS. primi Viennensis Academiæ seculi Doctorum volumina centenis plura illic asservari. Quæ inter sex etiam in folio *Thomæ Ebendorffii de Haselbach* Theologiæ Baccalaurei, & Artium Magistri manuscripti in Isaiam Prophetam Commentarii, quos oculos hisce ipse meis perlustravi, extant. In quibus etsi non nisi primum Isaiæ Caput explanare aggressus videretur, in potiora nihilominus Prophetæ priora capira, & ad 16. usque sparsim, & nullo capitum ordine commentatus est. Plura igitur de hisce, pluribúsque Thomæ nostri operibus, qui volet, digitum intendimus, ipse requirat. Neque est, quòd quisquam nobis succenseat, totius operis faciem pluribus à nobis haud esse adumbratam: nec tempus enim, nec operis nostri ratio patiebatur, operis cujusque, & authoris conspectum edere.

An. 1693.

VAriante per Hungariam ac Imperium Martis aleâ; non minùs hic, ac superior annus à pietate Augustissimi memorabilis evasit; sive enim, ut pro acceptis gratias referret; sive, ut novas à Numine impetraret laureas, ad Cellensem Virginem iterum peregrinus abiit. Inde verò redux solemnem 16. Augusti à cænobio R. R. P. P. Augustinianorum Discalceatorum ad Principem Urbis Basilicam, suâ voluntate institutam supplicationem, prosecutus est. Ad cujus finem Sacramen-

cramento se se obstrinxit, quidquid in Hungaria locorum suæ potestati accessisset, aut posthac accederet, ad orthodoxam fidem reducere viribus omnibus adlaboraturum, eversas ædes sacras erecturum, Curionibus, reditibúsque instructurum. Et ut nihil ad pietatis perfectionem deesset, non se solùm, sed & successores eodem Sacramento teneri voluit, quod conceptis ad omnem pietatem verbis erat hujus tenoris:

** OMnipotens sempiterne Deus per quem Reges, regnant, & in cujus manu sunt omnium potestates, & jura Regnorum. Ego Leopoldus humilis servus tuus coram Divinâ Majestate tuâ prostratus, immortales tibi gratias ago, quòd in virtute, & magnitudine Brachii tui Turcarum, & Barbarorum exercitus, immanes nominis tui hostes ab Austriæ Metropoli, ejúsque finibus abegeris, quòd inclytum Hungariæ Regnum, olim à S. Stephano Rege Antecessore meo Admirabili Matri tuæ donatum, post verò Turcarum tyrannide ejus cultui propè totum ereptum, mihi clementissimè restitueris; gratias, inquam, reddo tibi DEO immortali, quas possum maximas, victoriarum omnium Largitori, & restitutum mihi à potenti tuâ dexterâ Regnum, Magnæ Hungariæ Dominæ, Sanctissimæ, & Admirabili Matri tuæ, cœli, terræque Reginæ iterum dono, dico, & dedico, totúmque ejus protectioni consigno; humillimè orans, velit in illud, tanquam iteratò suum, misericordiæ suæ oculos convertere, & Paganorum gentes, qui in feritate suâ confisi illud infestare non desinunt, potenti suâ virtute conterere, ac utrumque hoc bellum pace universali, secura, ac stabili ad maximam tuam gloriam terminare. Insuper voveo, & pro me, ac successoribus meis, & Divinæ Majestati tuæ promitto me ad propagandam nominis tui gloriam, & Matris tuæ, Dominæ nostræ, honorem Parochiales Ecclesias per Hungariæ Regnum

 tum

tum Barbarorum tyrannide, tum temporum calamitate destructas iterum erecturum, & competente Parochis sustentatione dotaturum, ut omnes à clementiâ tuâ meo imperio subjecti populi, te verum Deum debito cultu adorare, & Sanctissimam Matrem tuam magnam Dominam nostram, venerari addiscant. Spondeo præterea, me, ad perpetuam tanti beneficii memoriam, sacellum S. Leopoldi in monte Gæsio, unde primò singulare tuæ protectionis auxilium in propulsandis hostibus apparuit, restauraturum, ac in eodem aram D. Virgini sub titulo Auxilii Christianorum dedicaturum. Suscipe igitur clementissime Deus servi tui demissè te adorantis vota, & me, conjugem, liberos, Domúmque meam, Populos, exercitus meos, Regna omnia, ac Provincias meas continuâ misericordiæ tuæ protectione custodi, guberna, tuere, & defende, Amen. **

Addidit aliud anno hoc luculentum Austriacæ pietatis argumentum religiosissimus Cæsar, quando Mense Junio lege perpetuùm observanda decrevit: omnes, cujúscunque conditionis, Statûs, religionisve essent, si Sacerdoti latentem sub panis speciebus Deum deferenti obviam fieri contigisset, vel ex ipso curru, equóve descensuri genua curvarent. Occasionem ejus legis fecerat Residentis Suecici Servus Lutheranus, qui admonentem reverentiæ, quam importuniùs transeunti cum sacro Viatico Sacerdoti recusabat, præsidiarium militem lethali vulnere affecit.

Religionem Cæsaris æmulari videri poterat Facultas Philosophica, dum Xaverium Indiarum Apostolum Patronum sibi esse voluit, quem singulari deinceps cultu prosequeretur. Pium hoc opus (verba Actorum sunt) *per R. P. Gabrielis Hevenyesi, è Societate JESU, Decani Spectabilis Zelum effectum est, quo & aliorum succensi in Tutelarem S. animi una voce conclusum voluêre, ut deinceps annis singulis in festo pri-*

mum

mum Divæ Partheno-Martyris Catharinæ distribuatur libellus ejusdem Facultatis membris (quem libellum non alium esse ab oratione ad D. Stephanum haberi solita puto) *deinde alius item libellus, ubi dignitate sua se Decanus abdicat, qui pietatem & cultum, S. Francisci Xaverii Philosophiæ Viennensis Patroni, amplius promoveat. In sacras pii opusculi expensas assignati floreni triginta annui, ex proventibus Facultatis pendendi, nisi ii, impeditis Philosophicis gradibus censúque imminuto, unà minuerentur. Potestas rei totius penes Decanum, aut Pro-Decanum stabit, qui tantò ferventiùs sibi laudatissimum opus cordi sumet, quantò ferventiùs unanimi Sententiâ in hanc pietatem universi conspirârunt.*

Rixa iterum anno hoc exorta studiosos inter, & milites, qui 1. Augusti, vi Academicorum nonnullos ad militaria stipendia pertrahebant; id ubi cæteros inter innotuit, die altera copiosi confluxerunt Academici, Collegas amicè, si possent, vindicaturi. Verùm, cùm pro urbanitate contumelias referrent, insultantes vi repellunt. Et jam hospitio militum, *ad Nigrum Ursum*, dicto imminebant: cum solutis minoribus fistulis duo Studiosorum occumbunt: plures graviter vulnerantur. Tum verò iræ impotentes, fores domûs evertunt, Veteranos, Novitiósque milites plagis onerant, Capitaneum ipsum, sub lectica quadam repertum, passis crinibus extrahunt, & cum nonnullis aliis ad pauperum Studiosorum domum (quæ tum extra Urbem ad viam regiam sita erat) captivũ pertrahunt; Suprema omnino dies illa comprehensis futura erat, nisi P.P. Societatis, dũ Rector Magnificus Wolffgans Plöckner, furorem Scholarium maturè cohibuissent, quem planè sopire non poterant. Causâ deinde ad Judices delatâ, in eos, qui Academicis juribus obnoxii erant, nihil graviùs statutum, cum coriphæi, &

nocentiores maturâ fugâ sibi consuluissent. In alios Magistratus Civicus animadvertit.

Ab An. 1694. usque ad 1699.

QUieto annis hisce, & secundo lapsu res Universitatis fluebant, nec, quod hic memoriam postularet, evenerat aliud, quàm An. 1694. vindicatum à Facultate Philosophica jus, quo in subrogatione Pro-Rectoris Magnifici lædebatur. Gesserat tum Fasces Academicos Reverendissimus Ferdinandus Nolthæus Canonicorum Regularium ad D. Dorotheam Decanus, quem ubi invaletudinis causa Consistorio, sub Mensem Augustum indicto, abesse contigisset, quorundam hortatu Ex-Rector Magnificus Wolffgangus Plöckner præsidendi jus Academico in Senatu arrogavit, neglecto Ex-Decano Facultatis Philosophicæ, cui eo anno, quo Decanus est de Societate, ex sanctione Pragmatica §. 3. N. 3. Si Rectorem Magnificum ex eadem Facultate lectum abesse contingeret, jus illud competebat. At facili negotio res omnis composita, bonam fidem Magnifico Ex-Rectore in excusationem adferente, nec simili in casu Facultatis juribus se ampliùs derogaturum spondente.

Tenebat interea etiamnum Bellum Gallicum, & Turcicum variâ quidem partis utriusque fortunâ, *dum* demum An. 1697. Pax cum Gallo Riswyii coaluit; Orientis verò vires insigni illa, & inaudita ad Zentam clade, per Serenissimum Cæsarei Exercitûs Imperatorem Eugenium, Sabaudiæ Principem, 11. Septembris sunt protritæ. Exoratam lachrymis, quas eodem anno Pötzensis Deiparæ imago quàm largissimas fudisse, juratis testibus comprobatum erat, à Deo illam Christianorum victoriam, communi pietate creditum. Allata subinde voluntate Augustæ Imperatricis Viennam prodigiosa icon, incredibili omnium Ordinum concursu, per omnes Urbis Ecclesias culta, ac tandem in

Princi-

principe Basilicæ D. Stephani Proto-Martyris ara stabili sede est collocata; feliciùs Austriacæ hujus Trojæ Palladium posthac futura.

Vidit, & admirata est Vienna sub hanc ipsam bellorum tempestatem duos Serenissimos Principes An. 1696. Saxoniæ Novemvirum, Fridericum Augustum; biennio dein Petrum Alexovicium, magnum Moscoviæ Ducem; utrumque multis lætitiæ, honorisque signis ab Augusto Cæsare exceptum; ille cum exercitu in subsidium Cæsaris in Hungariam profectus; hic exteras visurus Regiones, Viennam præcipuè divertit. Recepit Vienna ex Campo reducem Electorem Saxonicum anno altero; & ipso SS. Trinitatis festo Lutheranum dogma abjurantem ingenti gaudio spectavit. Aditæ Catholicæ Religionis præmium fuit, delatum Procerum votis, post multas æmulorum ambitiones, Poloniæ Regnum.

Sub hæc Prædicans è Cæsareis Provinciis exul bene magnum librorum hæreticorum cumulum ex Helvetia in Transylvaniam miserat, qui Viennæ intercepti sunt. Vector damni gravitate motus, Excelsum Regimen compellat, ejus authoritate aliquam saltem mercium partem periculo erepturus. Verùm rei indignitate, delictique gravitate per R. P. Franciscum Rescali è Societate JESU, pro tempore Librorum Censoris, scripto expositâ, nihil obtinuit.

An. 1699.

Fractis Orientis Zentana clade viribus, jam inde pacem à Cæsare Turca rogabat, quam demum anni hujus principio 26. Januarii Garlovicii, Sclavoniæ vico, in 25. annos sancitam impetravit, universæ quidem Christianitati, sed cumprimis Hungariæ optatissimam, quæ 16. annorum Martis Cæsarei labore sibi reddita respiravit. Ex pactis Temeswarinum, & Belgradum Turca retinuit, reliquam terræ portionem

cum

cum omni Transylvania Leopoldus sibi, & Regi Josepho asseruit.

A pace ad nuptias itum. Serenissima Amalia Wilhelmina, Illustri Principum Hannoveræ stirpe oriunda, priore jam anno in Sponsam Regi *Josepho* designata, 23. Februarii anni hujus, Viennam adducta, eidem conjugali vinculo est sociata. Ingressus Regiæ Sponsæ tantâ pompâ adornatus erat, quantam Cæsar potentissimus & volebat, & poterat Filii amoribus concedere. Octingenti Hungari, & Croatæ præibant, Ductoribus Excellentissimis Comitibus Paulo Esterházi, & Adamo Bottyáni, illo Hungariæ Palatino; hoc Croatiæ, & Sclavoniæ Bano. Sequebatur Urbis, & adsitarum Regionum militia, Germani item, Hungarique Nobiles, omnes amictu ad luxum composito. Erecti terni arcus triumphales, domus omnes emblematibus, & epigraphis exornatæ, faces demum, & ignes festivi mira varietate collucebant. Ad quod, arcus præsertim, & symbola, plurimum Academicorum ingenia contulerunt.

Novos, & Superintendentem, & Cancellarium anno hoc Universitas nacta est, Magnificum nempe Thomam Zwickium, J. U. Doctorem Regimini à Consiliis, & Amplissimum Hermannum Claudium *Klöcker*, Juris item Cæsarei, Pontificiique creatum *Doctorem*; Ille resignanti Superintendentis munus Joanni Georgio Hoffmano Mense Martio substitutus; hic post mortem Joannis Baptistæ Mayr, quam 8. Martii piissimè obiit, à Cæsare Præpositus ad D. Stephanum, Cancellariúsque Universitatis renunciatus est. At quoniam Apostolicam confirmationem, ut Nuncio quidem visum, nondum accepisset, ne novis controversiis promotiones Literariæ differrentur, à Decanis da Nunciaturam, ut vocant, recursum libello supplici: authoritate interim sua Pontificiam approbationem pro hoc actu suppleret; allata sunt & lapsorum

rum retrò annorum præjudicia, quæ ad postulationis æquitatem facere videbantur. Ardua quidem res erat, quòd nullum concessæ id genus potestatis indicium in Nunciaturæ tabulario extare Nuncius affirmaret. Industria tamen P. Antonii Augusti è Societate JESU, Theologiæ tum Decani, res perfecta est, impetratæque collatæ potestatis Literæ, quarum tenorem Actis suis Theologi inseruêre.

An. 1700.

ANnus 1700, Sæcularis, idémque Jubilæus duos orbi Monarchas eripuit. Romæ quidem Innocentium XII. 27. Octobris; cui postea Clemens XI. successit. In Hispania autem Carolum II. supremum è Domo Austriaco-Hispana Principem, die ipso Sanctorum omnium improlem defunctum, à cujus morte vix tribus abhinc annis pacata Gallia, Austriáque in bellum illud, quod de successionis in Monarchiam Hispanam jure totius ferè Eurpæ viribus gestum, ad Annum usque 1713. est exarsura.

Cæterùm in publica adhuc armorum quiete, pacatæ quoque & cursu suo solito res Literariæ Anno isto fluebant, nec quod sui memoriam posceret, Tabulæ ullæ Academicæ annotârunt; Urbem tamen Viennensem periculosus tumultus commoverat. Caussa hujus satelles erat, ob ludicram Hebræi cujuspiam offensam in carcerem raptatus. Spectabat hoc attonita primùm accurrens multitudo, at mox commota indignatione in furorem agitur, ubi inclamatâ à nonnullis vindictâ, quasi classicum intonari audisset. Alternum ergo murmur exoritur, ad vicinam S. Petri foro Judæorum domum procurritur, occlusæ portæ effringuntur, in domum irrumpitur, lustrantur omnia, diripitur supellex, damnum denique centum florenorum millibus æstimatum infertur. Advocatus Miles præsidiarius conglobatam multitudinem compescuit,

pescuit quidem, at non priùs, quàm complures utrinque cecidissent. E multis comprehensis, duo, insignioris factæ prædæ eadem nocte convicti, sequente aurorâ ad fenestras hebræorum, triste spectaculum, *jam* ex fune pependerunt. Cæteri aut leviore pœnâ mulctati, aut liberi dimissi. Inter hos duo Studiosi ex Suevia oriundi, ne vestigio quidem culpæ deprehenso, omnem ab aliis quoque Scholaribus suspicionem amoverunt. Fertur exinde Judæorum Primas liberale subsidium egentioribus Scholaribus obtulisse, in præmium scilicet modestiæ illius, quâ à rapina, occasione præsertim tam opportunâ, abstinuissent.

Ut cœptus quondam Augustissimi Ferdinandi III. tempore, Anno scilicet 1649., in Immaculatam Virginem cultus, splendórque Academicæ solemnitatis ejusdem Immaculatæ Deiparæ festo augeretur, munificentia, qua est in Virgineam DEI Matrem singulari, Celsissimi S. R. I. Principis, Hungariæ Palatini, Pauli Esterházi, anno hoc perpetuum ex 500. fl. censum constituit, quo Sermo de Laudibus Immaculatæ Virginis, die eo in Ecclesia Cathedrali coram Augustissimo Cæsare, Senatu, Populóque Academico â Societatis JESU Religioso haberi solitus, typis vulgatus, in Augustam, Academicámque Concionem *dispergeretur*; ut vel hac quoque ratione perpetuam sui apud Universitatem Mœcenas relinqueret memoriam, quam olim discipulus Viennensibus in Scholis defensâ Universâ Philosophiâ commeruit.

Tempus, locúsque hìc posceret, Collatas benè meritis Lauros, Juventutem Studiosam Majorum Coris conspicuam, Ornatos Torquibus Cæsareâ Munificentiâ Literatos &c. referre in Syllabum; nisi & festinæ operæ, & exhaustum jam peculium manus tandem ab Actis, Documentísque Academicis removere compulissent. Erit forsan, qui, quæ nos propero labore è Centenis & ampliùs Manuscriptis decerpsimus, vo-

lumine

lumine justo complectatur. Si quid comptum, castigatum, selectúmve minus hoc in conspectu nostro; temporis angustiæ id dabit Benevolus Lector; quando vix hæc in chartam conjicere, minùs secundas admovere manus Philosophicis Scholis occupato licuit. Animũ potiùs, laborem, studiũ, impendia benè consulat, quæ ornandæ, illustrandæque Literariæ Reipublicæ Viennensi conatu hoc nostro voluimus consecrata.

O. A. M. D. G.



INSTRUMENTA PUBLICA,

Quibus per

FERDINANDUM II.

ROMANORUM IMPERATOREM FELICISSIMÆ ET GLORIOSISSIMÆ MEMORIÆ.

Almæ celeberrimæque

Universitati Vieñensi

CÆSAREUM SOCIETATIS JESU

COLLEGIUM VIENNENSE

Unitum & incorporatum fuit:

FFRDINANDI III.

ROMANORUM IMPERATORIS

Decreto confirmata.

Kayserliches DECRET.

Von der Römisch-Kayserlich auch zu Hungarn und Böheimb Königlichen Majestät/ Ertz-Hertzogen zu Oesterreich/ unsers allergnädigsten Herrns wegen / N. dem Herrn P. Rectori und Collegio Societatis JESU allhie zu Wienn/ hiemit in Gnaden anzuzeigen.

Demnach höchst-ernennt Ihro Kayserl. Majestät/ Dero am Heil. Römischen Reich/ und löblichisten Hauß Oesterreich höchst-geehrten Vorfahrn/ rühmlichen Exempel nach/ Ihro bißhero gantz gnädiglich/ auch eyfferig und Vätterlich angelegen seyn lassen/ wie und was gestalt die hiesige Universität / welche wegen Veränderung der Zeit/ und anderer darunter entstandenen vielen Ungelegenheiten mercklich abgenommen / wiederumb von neuem erhebt/ und in den vorigen und bessern Stand möchte gebracht werden.

Als haben sich dieselb/ zu sonderer Ehr GOttes deß Allmächtigen/ Erweiterung der Heil. Catholischen Kirchen und Religion, wie auch zu grössern Ansehen ihr der Universität selbst/ nicht weniger zu Auffnehm- und Vermehrung der Studien / auch Beförderung deß gantzen gemeinen Weesens/ mit vorgehabtem guten zeitigen Rath/ und Erwegung aller der Sachen Umbständ/ auß eigner Bewegnuß/ und von Kayserl. und Lands-Fürstlicher Macht / Vollkommenheit/ allergnädigst und endlichen dahin resolvirt / daß das Collegium der Herrn Patrum Societatis JESU allhie zu Wienn/ der Universität allda/ auff ewig/ stät/ vest/ unveränderlich und unwiederrufflich zu halten/ unirt / und incorporirt seyn und verbleiben/ und es hinführo nachfolgender Gestalt observirt / und unverbrüchlich gehalten werden solle.

Anfänglich und fürs erste/ wollen Ihro Kayserl. Maj. aller-

allergnädigst/ daß der Universität Privilegia und Freyheiten auch nach der Incorporation bey ihren Kräfften verbleiben/ und die N. O. Regierung die Jurisdiction über sie die Universität/ wie bißhero/ also auch hinführo haben sollen.

Andertens/ soll gleichfalls in Juridica und Medica Facultate nichts verändert/ sondern vielmehr denen Professoribus, damit sie ihren Lecturn umb so viel besser abwarten können/ mitler Zeit die Salaria von denjenigen Besoldungen/ so jährlichen die Professores Artisticæ Facultatis gehabt/ nach Ihrer Majestät gnädigsten Disposition, vermehret und applicirt werden.

Fürs dritte/ sollen die Herren Patres der Societät JESU, ihrem Institut gemäß/ und nach Weiß nnd Form desselben/ auff ermeldter Universität die Studia humaniora, wie nicht weniger die gantze Philosophiam und Theologiam profitirn/ doch daß von jetzt-ermeldter Theologia, und derselben Lectur, auch die andern Professores, wie bißhero/ also auch hinführo nicht außgeschlossen werden/ und deren Erwählung und Bestättung bey dem alten Herkommen verbleiben; die Societät aber soll und mag alle ihre Professores selbsten erwählen und ersetzen.

So viel fürs vierdte/ die Disciplin und Correction über die jenigen Studiosen/ so der Herren Patrum lectiones hören/ anlangt; wollen Ihro Majestät solche (ausser der criminalischen Sachen:) der Societät/ wie auch zugleich die Direction der Seminarien/ völlig übergeben haben.

Wie dann auch fürs fünffte/ das Collegium Societatis JESU allerdings auff die Universität transferirt/ und daselbsthin auff ewige Zeit gewidmet seyn und verbleiben solle.

Hierüber fürs sechste/ der Societät das Archiducale Collegium, Bursen, und alle andere Gebäu/ so zu der hohen Schul gehörig/ wie auch die Landschaffts-Schul/ (ausser der Juristarum und Medicorum

Gymnasien/) eingegeben und überantwort werden sollen / doch daß in die Auditoria Theologorum auch denen andern Theologiæ Professoribus zu seiner Zeit der Zutritt frey sey.

Betreffend zum sibenden die Stifftung / und andere der Bursen Einkommen und Stipendia, wird derselben Verleyhung tàm activè quam passivè in vorigen ihren Stand gelassen.

Zum achten/ sollen die Herren Patres Societatis auß denen Gebäuen / so ihnen eingeantwort worden / das Collegium sambt den Schulen und Kirchen zurichten und erbauen.

Fürs neundte/ alle Promotiones ad Gradus sollen auff der Universität geschehen/ und an denen hievor gebräuchigen Orthen und Stellen fürgenommen werden.

Zum zehenden / solle der Dohm-Probst bey St. Stephan allhie/ wie bißhero also auch hinführo jederzeit der Universität Cantzler seyn und verbleiben; auch jede Facultät ihren absonderlichen Decanum cum authoritate ordinaria haben/ doch daß der Decanus Artisticæ Facultatis von der Societät gesetzt werde. Im übrigen bleibt es wegen der Theologischen Facultät mit Ersetzung deß Decani, inmassen solches hie vor gebräuchig gewesen.

Was aber zum eilfften den Rectorem Academiæ belangt / deme sein gewöhnliche Authorität in allem verbleibt / solle anfänglich derselb das erste halbe Jahr ein Doctor Theologiæ, so entweder der Rector Collegii Societatis, oder aber einer auß denen andern ausserhalb der Societät Theologiæ Doctoribus, erwählet; das andere halbe Jahr ein Doctor Juris, das dritte ein Doctor Medicinæ, und fürs vierdte halbe Jahr / wann das Rectorat auff die Artistische Facultät kommen thut/ alsdann in solcher Zeit der jenige Rector Academiæ seyn / den die Societät zu einem Rector Collegii gesetzt hat.

Welches man ihne den Herrn P. Rectorem und Col-

legium

legium hiemit zur Nachrichtung erinnern wöllen/ inmassen dann auch an den Herzn Rectorn und Consistorium allhiesiger Universität beschehen / und ihnen anbefohlen worden / daß sie sambt ihren untergebenen Membris dieser Unir- und Incorporirung deß Collegii der Herren Patrum Societatis JESU mit der allhiesigen Universität / in allen ihren Puncten und Articuln / unangesehen und hindangesetzt aller und jeder Privilegien/ Statuten und Gewohnheiten/ so etwa dieser Ihrer Majestät allergnädigsten/ gemessnen/ wohlerwognen/ endlichen/ unwiederrufflichen Verordnung und Resolution zugegen seyn möchten/ und sie die Universität irgend zum Behelff vermeintlich fürzuwenden hätten/ welche hiemit Jhro Kayserl. Majest. in solchem Fall gäntzlich auffgehebt / und abrogirt haben wöllen/ allergehorsamiste und schuldigiste Vollziehung/ ohne einiges difficultirn/ noch wenigers replicirn/ leisten/ und darwider nichts nicht fürnehmen/ thun/ oder handlen sollen / in kein weiß.

Wie dann auch zugleich Jhro Kayserl. Majestät dieses statuiren / und hinführo zu ewigen Zeiten gehalten haben wöllen / daß die jenigen Persohnen / so ad Gradus auff der Prager/ Grätzer/ Ollmützerischen und andern Universitäten / welche Ihrer Majestät höchst-geehrte Vorfahren Kayser und Ertz-Hertzogen gestifft/ erhebt/ nnd confirmirt/ oder auch hinführo Jhro Majestät deroselben Erben und Nachkommen/Kayser und Ertz-Hertzogen stifften/erheben/und confirmiren möchten/ promovirt werden/ nicht anderst als wann jeder derselben in der allhiesigen Universität graduirt worden/ angenommen/ erkennt und gehalten/ auch darüber ad omnes actus & Facultatum honores zugelassen werden solle.

Und haben Jhro Kayserliche Majestät zu Effectuirung dieser Incorporation, und würcklicher Introducirung der Herren Patrum Societatis in die Possess, dero ansehenliche geheimbe Herren Räth / Herzn Leonhard Helfrieden Grafen von Meggau/ Statthaltern der

N. O. Landen/ ꝛc. und Herrn Hanß Ruprechten Hegenmüller N. O. Regiments-Cantzlern/ ꝛc. zu Commissarien gnädigst verordnet/ auch anbefohlen/ diese Introduction alsbalden zu Werck zu setzen/ und noch vor Ihro Majestät Verreisen/ ohne einige Verhinderung zu verrichten. Und geschicht hieran Ihrer Kayserl. Majest. allergnädigster gefälliger Willen/und endliche Meynung.

Signatum Wienn/ unter Ihrer Majestät auffgedruckten Kayserlichen Secret-Insigl/ den ein und zwantzigsten Octobris, im sechzehen hundert und zwey und zwantzigsten Jahr.

Johann Baptista Verda von Verdenberg/ Ober-Hof Vice-Cantzler.

Tobias Gertinger.

TRANSACTIO

Inter Almam celeberrimámque Universitatem Viennensem, & Cæsareum Societatis JESU Viennense Collegium.

Quod DEus Optimus Maximus bene feliciterque faciat evenire.

SApienti providentiâ, consilióque Illustrissimorum Excellentissimorum Dominorum Sacræ Cæsareæ Majestatis Commissariorum ; Domini Leonardi Helfridi Comitis de Meggau, D. Maximiliani Comitis de Trautmonstorff, D. Joannis Baptistæ Verda Baronis à Verdenberg, Consiliariorum Sacr. Cæs. Majest. arcanorum ; & Nobilis atque Clarissimi D. Joannis Wentzel Imperialis Con-

Consiliarii Aulici. die 19. & 20. Julii Anno 1623. Magnificus Dominus Gulielmus Rechberger. Universitatis Viennensis Rector, Magnificus Dominus Christianus Schaffler, Superintendens Cæsareus, & sequentes quatuor Doctores è quatuor Facultatibus cum plenipotentia ab Alma Universitate electi, R. D. Georgius Fridericus Kholer SS. Theologiæ Doctor, D. Bartholomæus Carolus Prætorius Philosophiæ & Juris utriúsque Doctor, & pro tempore Facultatis Juridicæ Decanus, D. Sigismundus Geisler. Philosophiæ & Medicinæ Doctor. & D Petrus Hoffmann, Artium Lib. & Philosophiæ Doctor ex una; & R. Adm. P. Joannes Argentus Societatis JESU per Provinciam Austriæ Visitator, nec non R. P Gulielmus Lamormaini Collegii Viennensis ejusdem Societatis JESU Rector, præsente etiam R. P. Christophoro Dombrino Societatis JESU Sacerdote ex altera parte: ad stabiliendam præfati Collegii cum Universitate Unionem, per Sacr. Cæs. Majest. nuper factam, amicè, benevolè firmiter, constanter unanimi voluntatum consensione, ad approbationem confirmationémque Sacræ Cæs. Majest. quæ sequuntur, constituerunt, definierunt, declarârunt.

§. I.

De Rectoratu & Rectore Universitatis, ejusque post Unionem electione, dignitate, Jurisdictione.

N. I. INprimis Reverendi Patres Societatis JESU, ad demerendam Universitatis benevolentiam, omni omnino Juri ad Rectoratum Academiæ, etiam ex electione passiva, tàm in Theologica, quàm in Artistica Facultate, per Cæsareum Unionis, translationísque Decretum, & Transactionem mense Novembri anno superiore factam

factam acquisito, sponte & liberè renuntiant; & quidquid in Academico Rectoratu honoris est atque dignitatis, id totum volentes libentes Dominis Doctoribus quatuor Facultatum, qui de Societate non sunt, relinquunt.

N. 2. R. P. Rector Collegii Societatis JESU Collegiúmque ipsum, tanquam verum ac vivum Universitatis membrum & pars, Magnificum Dominum Rectorem, ut electum totius Academiæ caput, (è quacunque demùm electus sit Facultate.) agnoscet, illique in actibus omnibus omnem eum honorem ac reverentiam habebit, ac deferet, quam alii deferunt, & hactenus detulerunt.

N. 3. Quamobrem in ratione eligendi Rectorem Universitatis, per hanc unionem nihil mutatur; Electus etiam sua consueta constat authoritate, & dignitate, & eam insuper in Scholares Societatis acquirit Jurisdictionem, de qua §. sequenti num. 3.

§. II.

De Rectore Collegii Societatis JESU.

N. 1. UNiversitas vicissim, ad contestandam suam in R. P. Rectorem & Collegium Societatis JEsu, sic unitum & translatum, benevolentiam ac amorem, declarat inprimis hanc Collegii cum Universitate unionem, & translationem fieri, non solùm magnâ utrinque voluntatum consensione, sed insuper ita fieri, ut noli nt hac unione aut Religioso Societatis JESU Instituto, aut Rationi Institutioníque Studiorum ejusdem Societatis JESU, impedimentum ullum afferri.

N. 2. Quamobrem R. P. Rector, & Socíetas ipsa, in personas Collegii omnes, quæ in Universitate, juxta Cæsareum decretum, litteras humaniores, Philosophiam & Theologiam docent, & imposterum docebunt, aut alias erunt in Facultatibus,

aut

aut in iis gerent officium omnem eam etiam imposterum retinebit Jurisdictionem, Jus de illis disponendi, eorúmque ministeria dirigendi, & authoritatem, quam in eas habuit ante unionem.

N. 3. R. P. Rectori omnis cura disciplinæ, totáque correctio Studiosorum Scholariumvè, qui RR. Patrum lectiones audiunt, aut in Seminariis degunt, adeóque omnis ea authoritas, quam in illos habuit ante Unionem, relinquitur. Si quis tamen contra Studiosorum præfatorum aliquem, lege ac judicialiter agere volet, remittetur ad tribunal Magnifici Domini Rectoris, qui Magnificus Dominus Rector, omnes causas & querelas, de talibus ad se delatas, ad R. P. Rectorem primò diriget, sine strepitu Judicii componendas, & actiones hujusmodi ad tribunal contentiosum non priùs recipiet, quàm ex R. P. Rectore Collegii intellexerit causam & negotium aliter quàm viâ Juris componi non potuisse.

N. 4. Si unus aliquis, præter Patrum lectiones, etiam Juridicas, aut Medicas audiat, & dubium oriatur, Magnificonè Rectori Universitatis, an R. P. Rectori Collegii parere debeat, dispicietur, quas lectiones per se, & principaliter, quas minùs principaliter & incidenter audiat. Si quis Magister Philosophiæ creatus est, aut illam ordinatè cum bono profectu audivit, & bono ordine transivit ad studium Juris, aut Medicinæ, & præcipuè alterutri det operam: hic, licet apud Patres audiat v. g. Mathesin, vel Ethicam, vel Quæstiones D. Thomæ de Jure & Justitia, paret Magnifico Domino Rectori Universitatis; tenetur tamen observare disciplinam Societatis, secundùm illam unam, quam audit lectionem. Contrà, si quis studeat Philosophiæ, aut Theologiæ ex professo apud Patres, paret R. P. Rectori, etiamsi v. g. audiat etiam Institutiones Juris: tenetur tamen & hic observa-

re disciplinam Professoris, etiam secundùm hanc unam lectionem, quam audit.

N. 5. Eidem R. P. Rectori Collegii hoc etiam honoris tribuit Universitas, ut in consessibus omnibus & actionibus Academicis, sedeat & locum occupet immediatè post Dominum Superintendentem; & quamvis sit in Facultate Theologicâ, quemadmodum Magnificus Dominus Superintendens est in Juridica: nullum tamen in ea accipiet, aut habebit officium; nec junget se circulis Nationum, in electione Rectoris Academici, sed cum Magnifico Rectore resignante, & Superintendente, suo in loco remanebit. Si quando in Consistorio tractanda fuerint negotia Academiæ, ad rem literariam universè spectantia, idem R. P. Rector advocari, nec sine eo, quod scholares omnes concernet, quidquam statui debebit.

N. 6. Quem studiosum ob contumaciam, aut mores improbos, à Scholis Societatis R. P. Rector (cui soli id competit) arceri curavit, id ipse significabit Magnifico D. Rectori, qui mandabit, ut talem ad studium Juris, aut Medicinæ, Professores non admittant. Idémque fiet, si aliquis sponte, insalutatóque Professore, Scholas deseruerit. E diverso, si quis è Societate Doctorem, Magistrum, Studiosumvè soli Magnifico D. Rectori Universitatis subjectum, accusare volet, illum accusabit primò apud Magnificũ D. Rectorem, & non alibi.

N. 7. Si quid aliquando Magnificus D. Rector, aut V. Consistorium, verbo vel scripto, quod aliquem è Societate, ejusvè officium concernat, significandum, vel intimandum censuerit; id ad R. P. Rectorem Collegii, & non ad alium dirigetur. Ut in hoc etiam instituti, & religiosæ disciplinæ, & ordinis ratio habeatur. Eadem servabitur ratio, quando Studiosi ad comitandum Magnificum D. Rectorem convocandi erunt.

§. III. De

§. III.

De Cancellario, Decanis, & Decanatibus, maximè in Facultate Artiſtica.

N. 1. IDem erit poſt Unionem hanc Cancellarius Univerſitatis, qui antè, Cathedralis videlicet Eccleſiæ ad S. Stephanum Præpoſitus. Ratio etiam, atque electio, & authoritas Decanorum in Facultate Theologica, Juridica, & Medica, eadem erit, quæ hactenus fuit. De Decano, & Decanatu Facultatis Artiſticæ, magno utriúsque partis animorum conſenſu, conſtituta ſunt hæc.

N. 2. Inprimis, ut uno Semeſtri, Decanus ſit è Societate, quem Societas elegerit; altero Semeſtri alius è Facultate Doctor, ſeu Magiſter, quem Facultas ritu & more conſueto elegerit. Quando hic elapſo ſuo tempore officium reſignabit, monitus à R. P. Rectore per ſchedam, eum publicabit, quem Societas in ſequens ſemeſtre elegit.

N. 3. Decanus à Societate conſtitutus, toto ſemeſtri omnia Decani officia geret, & adminiſtrabit ut propria, præterquam Vice-Rectoris Academiæ: id enim muneris ſuſtinebit Ex decanus, qui non eſt è Societate.

N. 4. Decanus à Facultate electus, toto ſuo ſemeſtri, ſuum in Conſiſtorio, proceſſionibus, & actibus publicis locum, & dignitatem obtinebit: imò etiam Facultatem convocabit, ac diriget, quando ob cauſam, quæ ſcholaſtica non eſt, nec ad rem literariam ſpectat, convocanda eſt.

N. 5. Scholaſtica verò, & ad rem literariam pertinentia omnia, privatim, & publicè, hoc ſemeſtri Vice-Decanus ex Societate (ſive ille ſit Exdecanus, ſive alius,) adminiſtrabit. Facultatem, quando ob examina, promotiones, & aliam quamcúnque cauſam literariam convocanda eſt, convoca-

vocabit, ac diriget: etiam præſente, ſi adeſſe voluerit, Decano: qui tamen Decanus, ſi adſit, primo loco conſidebit, & primus dicet ſententiam. Diriget item dictus Vice-Decanus Diſputationes, Examina; omnia typis mandanda recognoſcet, & cenſebit; conferet Gradus: quod tamen munus honoris causâ deferet aliquando Profeſſoribus, & aliis Magiſtris, tàm è Societate quam cæteris. Determinationes quæſtionum publicè diſputatarum, ſeu Reſumptiones, promiſcuè his & illis deferentur, prout res & occaſio feret.

N. 6. Conceditur, ut ad rem literariam, Gradus Academicos, teſtimonia, & alia id genus, Facultas Philoſophica habeat ſpecialem Secretarium, qui obeat vices Notarii; ſpecialem item Pedellum; & ut omnis diſpoſitio circa teſtimonia danda promotis, aliisvè Studioſis, ſit penes Decanum, aut Vice-Decanum è Societate, quam in rem habebit peculiare Facultatis Sigillum; nihilominus tàm teſtimoniis, quàm coronæ promovendorum, præfigetur nomen Decani, quisquis ille ſit. Si quis etiam volet Magnifici Domini Rectoris habere teſtimonium, is eidem obtentum Facultatis teſtimonium priùs exhibebit.

N. 7. Depoſitor à Facultate Artiſtica conſtitutus, quoad officium, ac tempus deponendi eos, qui R R. Patrum lectiones frequentant, dependebit etiam à Decano, vel Vice-Decano è Societate. Taxam depoſitionis quoad eosdem etiam conſtituet ex directione R. P. Rectoris. Ac ut depoſitionis ratio ſit moderata & ordinata, idem Decanus, aut Vice-Decanus ſuâ præſentiâ providebit. A depoſitionis lege eximuntur Clerici, & qui habitum geſtant Eccleſiaſticum. Omnes tamen ſuo tempore in matriculam referentur, alioqui non gaudebunt privilegiis Academiæ.

§. IV.

§. IV.

De Professoribus Academicis è Societate.

N. 1 IN Universitate, juxta suum Institutum, ipsiúsque formam ac modum, docebunt RR. Patres Societatis JESU literas humaniores omnes, ac Rhetoricam, Linguam Latinam, Græcam, ac Hebraicam, universam Philosophiam, universámque Theologiam; minimè tamen exclusis à lectura Theologiæ Professoribus aliis, qui hactenus docent, quorum electio & constitutio Universitati, ut hactenus, ita etiam imposterum, juxta decretum Cæsareum, salva & integra manet. De quibus hæc specialiter advertenda: ut iis suæ relinquantur horæ in auditorio Theologico, quibus docebant ante Collegii translationem: ut Interpres S. Scripturæ de Societate non doceat eadem hora qua, alter, nec eodem anno eundem Scripturæ S. Librum interpretetur Professor Scripturæ, quem constituit Universitas, manet, ut hactenus, in Consistorio Senior Facultatis.

N. 2. Et quamvis alma Societas JESU ipsamet suos Professores omnes eligat & constituat: qui tamen prima vice electi, & ad profitendum in Universitate constituti fuerint, mittentur cum scheda R.P. Rectoris ad Magnificum D. tàm Rectorem, quàm Superintendentem, ut (si inscripti priùs non fuerunt,) inscribantur in librum Rectoris Academiæ, deinde ab iis futuri Professores Academici videantur & cognóscantur: scribet autem R. P Rector, ad quam quisque Professuram sit destinatus; sperare, & etiam curaturum se, ut officio ac muneri suo satisfaciant: hoc accepto, Magnificus D. Rector, benevolè significabit, hanc Societatis electionem sibi esse pergratam, & cùm Professores ex suo Instituto teneantur esse seduli, nullam aliam ab iis exiget promissionem, aut juramentum.

§. V.

Qui, & qua Ratione, Doctores, ac Magistri de Societate JESU, in Facultatem Theologicam, & Artisticam sint admittendi.

N. 1. IN Facultatem Theologicam, modo infra scripto, admittetur inprimis R. P. Rector Collegii, duo Professores Theologiæ Scholasticæ, Interpres S. Scripturæ, Professor Controversiarum, & Professores Theologiæ Moralis, qui quæstiones ad conscientiam spectantes exponunt; & si qui alii Theologiæ Doctores è Societate admitti petent, penes Facultatem erit, illos admittere.

N. 2. In Artistica Facultate manent post unionem & translationem Collegii, qui ante in illa erant, & locum, juxta Universitatis leges sibi competentem in actibus Academicis occupabunt. E Societate autem, in illam admittentur, præter Decanum, aut Vice-Decanum, & alios Magistros idoneos, qui petent etiam admitti, Professor Methaphysicæ, Ethicæ, Physicæ, Mathematicæ, Logicæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Linguæ Hebraicæ, Græcæ, Artis Poëticæ, qui omnes, quando suis defungentur officiis, manebunt Facultatis membra, donec ad aliam transeant Facultatem, & poterunt examinare, interesse consiliis, & locum occupabunt sibi juxta leges Academiæ debitum.

N. 3. R. P. Rector, & Decanus, seu Vice-Decanus Artisticæ, sine Repetitione admittentur, ille in Theologicam, hic in Artisticam Facultatem. An, qui in aliqua Academia publicè annum unum eam sunt professi Facultatem, in quam petunt hic admitti, admittendi sint sine Repetitione, determinent Facultates.

N. 4. Professores novi è Societate JESU, Repetitionis loco, Disputationibus ordinariis tàm ad

Gra-

Gradus quàm cæteris præſidebunt, & eos exercebunt actus, qui pro more Societatis munus eam facultatem docendi comitantur. Ubi duo advertenda, & obſervanda. Alterum, ut theſibus Repetitionis titulus præfigatur; alterum, ut Facultatis membra, aliique Doctores, atque inprimis Magnificus D. tàm Rector, quàm Superintendens, tempeſtivè per aliquem invitentur.

N. 5. Admittentur autem in Facultates hoc modo. Primò curabunt ſe inſcribi apud Magnificum D. Rectorem; deinde repræſentabunt ſe cum teſtimonio ſui Gradus, Decano Facultatis, in quam ſunt adſciſcendi, & petent admitti: Decani verò ſtatim & benevolè illos admittent.

N. 6. Si in Decanum, aut Vice-Decanum Facultatis Artiſticæ conſtituatur à Societate aliquis Doctor Theologiæ, qui membrum ſit Facultatis Theologicæ, is quidem tranſire poterit à Facultate Theologica ad Artiſticam, ſed toto hujus officii ſui tempore ad Artiſticam duntaxat ſpectabit, ad Theologicam verò nequaquam, etiamſi actu Theologiam profiteatur.

N. 7. Reliqui Doctores, a Magiſtri hujus, & aliarum Academiarum, maximè in Decreto Unionis Cæſareo nominatarum, qui de Societate non ſunt, & in Facultatem Artiſticam petunt cooptari, modo & more hactenus conſueto, nempe productis legitimæ nativitatis, & promotionis literis, ſuo tempore cooptabuntur.

§. VI.

De Examinibus, & Examinatoribus, & Promotionibus ad Gradus in Philoſophia.

N. 1. EXamina pro Gradibus, & Promotiones in Philoſophia, fient ritu & more Societatis. Baccalaureandos, præter Decanum, aut Vice-De-

ce-Decanum, juxta dicta §. III. examinabunt duo è Societate Doctores, aut Magistri, à R. P. Rectore electi. quibus Facultas per electionem adjunget duos alios itidem Facultatis Magistros, qui de Societate non sint, cum stipendio moderato, quod ex præscripto Facultatis facient Candidati, nisi sint pauperes. De examinatoribus pro Gradu Magisterii conveniet Societas quoad suos cum D. Cancellario Universitatis.

N. 2. Promotiones ad Gradus Philosophicos omnes, etiam Magisterii, fient in aula; in qua etiam, si ita placuerit, eligetur Magnificus D. Universitatis Rector; & fient in illa, quæ hactenus fieri consueverunt.

§. VII.

De Bibliothecis, Ratione, Typographiæ, Catalogo Uuniversali Academiearum Prælectionum.

N. 1. Bibliothecarum usus & custodia, facto priùs Inventario, conceditur & committitur Collegio Societatis: ita tamen, ut Magistris, & Doctoribus Facultatum, si quid legere velint, fiat aditus; eísque Bibliothecarius, à R. P. Rectore constitutus, acceptâ Syngraphâ, ad dies aliquot, etiam unum alterumvè librum det accomodatò.

N. 2. Ratio Typographiæ suo in statu manet. Decani (vel etiam Vice-Decanus in Facultate Artistica,) approbant, quæ ad suam spectant Facultatem: reliquis à Professore approbatis subscribit Magnificus Dominus Rector.

N. 3. Ad Renovationem Studiorum, conficiatur Catalogus Librorum, & Authorum, qui in Universitate prælegentur, servetúrque in eo consuetus ordo Facultatum Hujus ordinandi, & Typi corrigendi curam habebit Decanus, vel Vice-

Deca-

ce. Decanus è Societate Artisticæ Facultatis. Antequam autem Typo committatur, tam Universitatis, quàm Collegii Rectori revidendus exhibebitur.

§. VIII.

De Collegio, Scholis, & Loco Consistorii.

N. 1. QUamvis Collegium Archiducale, Bursæ, & omnia alia Ædificia (præter Juristarum & Medicorum Gymnasia,) ad Universitatem spectantia, Societati data, & tradita sint, ut eorum loco Collegium Societatis, Scholæ, & Templum construantur: attamen extra Collegium Societatis, & Scholas, R. P. Rector locum deputabit pro Consistorio, Cancellariâ, & Archivo Universitatis; in quem locum Societas speciale Jus non prætendet, sed sit, & dicatur absolutè Universitatis.

N. 2. Quantùm ratio loci feret, dabitur opera, ut fabrica Scholarum ita accommodetur, ut Adolescentes Poëtis inferiores, cæteris, quantùm fieri poterit, minimè permisceantur.

N. 3. Quoniam Medici proprium Collegium non habent, sed hactenus docent in una parte Collegii Archiducalis: illis ea pars eodem jure utenda, quo hactenus ea sunt usi, relinquatur, donec de alio commodo illis provideatur loco

N. 4. Quoties à Decano, vel Vice Decano Facultatis Artisticæ, de congreganda Facultate præmonitus fuerit R. P. Rector toties in eam rem locum decentem assignabit: finitis verò Ædificiis, certum aliquem & constantem.

§. IX.

De Seminariis, & Seminaristis.

N. 1. QUæ Ædificia fabricando Collegio Societatis, Scholis, Templo, necessaria non

 erunt,

erunt, Societas in Seminaria convertet: & ita pro suo Instituto & zelo accommodabit, ut quam plurimi Studiosi in illis degere possint: & illos ipsos ita gubernabit ipsa, ac ad virtutem & literas ita instituet; ut pii Fundatores, sanctæ suæ intentioni copiosè satisfactum esse experiantur, & gaudeant.

N. 2. Stipendiatis, absque Facultatum, quibus navant operam, discrimine, qui juxta formam & morem Fundationum (quæ juxta Art. 7. Decreti Cæsarei pristino in statu manent,) Societati proponentur ab iis, quibus id incumbit, in aliquo Seminario Societas dabit habitationem, & alimoniam, juxta Stipendii modum & rationem, & tamdiu in Seminario retinebit, quamdiu sese illius Legibus, & communi disciplinæ accommodabunt. Si quos autem Societas deprehendet intolerabiles, ac dimittet, de iis, cum consensu R. P. Rectoris dimissis, Præfectus Seminarii eos, qui illos proposuerant, faciet certiores.

N. 3. His, qui curam gerunt Stipendiorum & Fundationum, quarum redditus pendent ex cultura Vinearum, assignabitur locus, in quo uvas exprimant, & collecturam reponant.

N. 4. Bursarum literæ, quæ Fundationem & Stipendia concernunt, asservabuntur in Universitatis Archivo: quæ Domos ipsas Societati traditas concernunt, R. P. Rectori consignabuntur, aut eorum paria legitimè authenticata.

§. X.

Ambæ partes ita conjunctæ, interventu Illustrissimorum Dominorum Commissariorum, Sacram Cæsaream Majestatem demissè rogant, ut sequitur.

N. 1. IN primis, ut clementissimè dignetur juxta hæc

hæc ſuum Unionis Decretum moderari, ac limitare: Diploma ſive Pragmaticam Sanctionem conficere, quâ non ſolùm hæc omnia confirmentur, ſed eiam Privilegia omnia Univerſitatis, iis duntaxat exceptis, quæ hoc Diplomate innovantur, immutantur, revocantur, reformantur, aut declarantur: hujus Diplomatis exemplar unum Magnifico Domino Rectori Univerſitatis, alterum R. P. Rectori Collegii, Cæſarea manu & ſigillo munitum, conſignetur; ut aſſerventur in Archivis Univerſitatis & Collegii: idque Excelſo Regimini intimetur, ut omnia & ſingula curet inviolabiliter obſervari.

N. 2. Ut Juriſtarum & Medicorum Stipendia hoc tempore augeri clementiſſimè curet, & nunc faciat diſpoſitionem de Salariis ſive Stipendiis, quæ Artiſtis, qui in Collegio Archiducali ante Unionem degebant, relicta ſunt ad vitam.

N. 3. Ut efficaciter mandet perſolvi Univerſitati ea, quæ illi debentur ex Præfectura Salis, & Telonio Ypſenſi, & jam excreſcunt ad viginti ſex millia florenorum, quo & ipſa ære alieno ſe poſſit expedire, maximè cùm Profeſſores jam à quinque annis nihil de Salario acceperint.


N. 4. Poſtremò, ut clementiſſimè etiam deſignet, unde annuatim certò, & ſine difficultatibus & labore, percipi poſſint quinquaginta floreni, quos Facultas Artiſtica ex Cenſu domus percipiebat, & majori ex parte ad Miſſas pro defunctis dicendas ſunt à Facultate deputati.

In majorem horum omnium fidem, ambæ partes in principio nominatæ (quarum alteri acceſſit R. P. Georgius Rumer Societatis JESU per Auſtriam Provincialis, qui recognitioni horum Articulorum interfuit) ſubſcripſerunt tribus hujus Transactionis exemplaribus, ſingulisque Sigilla ſua appreſſerunt; ut unum Illuſtriſ-

ſimis Dominis Commiſſariis, unum Magnifico Domino Rectori Univerſitatis, unum Reverendo P. Rectori Collegii conſignaretur, prout etiam conſignata ſunt

Actum Viennæ Auſtriæ, die ſeptima Auguſti, hoc eſt; Octavâ Solemnitatis S. Ignatii. Fundatoris Societatis JESU, Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio.

(L.S.)	(L.S.)	(L.S.)
D. Guil. Rechperger.	Chriſt. Schâffler D. Superint. Cæſareus.	Georgius Fridericus Coller D.
(L.S.)	(L.S.)	(L.S.)
Barth. Carolus Prætorius D.	Sigismundus Geisler D.	M. Petrus Hoffmann.
(L.S.)	(L.S.)	(L.S.)
oannes Argentus, Viſitator.	Gregorius Rumer. Provincialis.	Guilielmus Lamormaini Rector.



PRAGMATICA SANCTIO,

SIVE

DIPLOMA;

Quo

FERDINANDUS II.

ROMANORUM IMPERATOR, &c.
ARCHIDUX AUSTRIÆ, &c.
Gloriosissimæ memoriæ,

Transactionem confirmavit;

Collegium Societatis JESU,

A

FERDINANDO I.

Fundatum, transtulit;

ET

Almæ celeberrimæque

VIENNENSIUM UNIVERSITATI
univit & incorporavit.

FERDINANDUS II. divina favente clementia electus Romanorum Imperator, Semper Augustus; ac Germaniæ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex; Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolliæ &c. Marchio Moraviæ &c. Dux Lucemburgæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Wirtembergæ, & Teckæ; Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, & Goritiæ; Landtgravius Alsatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Lusatiæ; Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, & Salinarum &c.

AGnoscimus, & notum facimus tenore præsentium universis: quòd cùm perpendimus, quanto pietatis & Religionis Catholicæ zelo, ac studio, quantóque totius Reipublicæ Christianæ, præsertim Archiducatûs nostri Austriæ, aliorúmque Regnorum & Provinciarum hereditariarum nostrarum bono, quondam Serenissimi Majores & Progenitores nostri, Duces, Archiduces Austriæ, Reges, & Imperatores, felicissimæ recordationis, Generale Studium nostrum Viennense adhuc circiter annum millesimum trecentesimum sexagesimum sextum fundârint, erexerint, singularibus Privilegiis & dignitatibus donârint, & exornârint, próque temporum diversitate novis subinde legibus & consuetudinibus salutaribus restaurârint, reformârint; quódque ex eo, tamquam Equo Trojano, omnium scientiarum genere doctissimi quique, & de Republicâ optimè meriti viri, tanto numero prodierint, ut non solùm Archiducatûs nostri Austriæ singulare ornamentum, sed totius Germaniæ Archigymnasium semper reputatum, & apud exteras quoque Nationes mul-

multis nominibus præ aliis celebre fuerit. Cùm verò temporum, morúmque varietas, aliáque oborta incommoda, nonnihil de pristino hujus Archigymnasii nostri splendore detrahere viderentur: ea propter Imperator Ferdinandus primus, Dominus Avus, & prædecessor noster colendissimus, augustissimæ memoriæ, motus fuit, ut Societatis JESU Patres, Academiæ opem veluti subsidiariam laturos, anno millessimo quingentesimo quinquagesimo primo Viennam accersierit, ipsisque (quod utì supremus Princeps, privilegia concessa in meliùs atque Reipublicæ utiliùs pro re nata reformando, & potuit, & debuit.) duas primarias Lectiones, sive Professuras in Theologica Facultate, in perpetuum, magno (quod eventus docuit) Religionis, & studiorum Theologicorum incremento assignârit. Nos verò, posteaquam animadvertimus in hisce partibus ab hæreticis falsis ipsorum opinionibus sacram Scripturam multis in locis in reprobum sensum torqueri, atque ad explicandum verum illius intellectum, tum etiam ad quæstiones, quæ hocce tempore inter ipsos hæreticos & veram nostram Religionem Catholicam controvertuntur, pertractandas; simúlque Casuum conscientiæ explanationem pro informandis Parochis, Professoribus Scripturæ, Controversiarum, & Casuum, qui hæc omnia tractarent, enodarent, & illustrarent, opus esse: & præterea Nobis constaret, à compluribus jam annis, tum ob continuata bella, inter quorum strepitus literæ ut plurimum silent, tum ob alia gravamina & defectus, Cursum Philosophiæ, & Humaniorum literarum Professiones magnopere refrixisse; unde metuendum sanè sit, ne studio Philosophico, tamquam fonte, & origine reliquarum Scientiarum, exhausto, vel neglecto, insignis vetustissimæ hujus Universitatis me-

moria consequenter obliteretur. Quod, utì nostris, nostrorúmque Majorum Fundationibus laudatissimis è diametro contrarium, Nobis quidem indecorum, universæ verò Provinciæ in maximum sit præjudicium cessurum: hinc est, quòd ad honorem DEI, propagationem SacroSanctæ Religionis Catholicæ, ædificationem Ecclesiæ, Universitatis majorem splendorem, Studiorum utilitatem, ac frequentiam, & boni publici promotionem, præhabita matura deliberatione, & re tota sano nostrorum præcipui nominis Consiliariorum adhibito consilio exactè discussa, motu proprio, déque Cæsareæ & Archiducalis authoritatis, & potestatis plenitudine, clementissimè Nos resolvimus (quod & in perpetuum observari volumus ac mandamus;) ut Collegium Societatis JESU hìc Viennæ, dictæ Universitati nostræ uniatur, & incorporetur, prout singulari emanato nostro decreto & constitutione, de dato vigesimo primo mensis Octobris, anni millesimi sexcentesimi vigesimi secundi, certis quibusdam rationibus, & modis, in hæc quæ sequuntur, verba univimus & incorporavimus.

Primò, ut Privilegia Academiæ sarta tecta etiam post Incorporationem maneant, & Jurisdictio Excelsi Regiminis in ipsam Universitatem, utì hactenus.

Secundò, in Facultate Juridica ac Medica prorsus nihil mutetur. Professoribus autem ut vacationi Professuræ & Lecturæ eò melius invigilare possint, successu temporis Stipendia Artistarum, ad moderationem nostræ Majestatis, applicabuntur.

Tertiò, Patres Societatis, juxta sui instituti rationem & modum, docebunt Humaniora, universam Philosophiam, & Theologiam; ita tamen, ut hanc etiam alii (utì etiam nunc fit,) pro-

profiteri possint: quorum electio & approbatio maneat in antiqua forma: Societas verò suos Professores omnes ipsamet eligat & constituat.

Quartò, Universa gubernatio & correctio Scholasticorum (exceptis causis criminalibus,) qui Societatis audient lectiones, & directio Seminariorum, plenariè sit penes Societatem.

Quinto, Collegium omnimodè transferatur ad Academiam.

Sexto, Tradantur Societati Scholæ, Bursæ, adeóque omnia Ædificia ad Academiam spectantia (exceptis Juristarum & Medicorum Gymnasiis,) ac etiam Schola Provincialis: ita tamen, ut Auditorium Theologorum suis temporibus etiam pateat reliquis Theologiæ Professoribus.

Septimò, Fundationes autem & redditus Bursarum, seu Stipendia, ut vocant, & jus ea conferendi Scholaribus, tam activè, quàm passivè maneat in antiquo statu.

Octavò, Ex ipsis Ædificiis accommodet sibi Societas Collegium, Scholas, & Templum.

Nonò, Promotiones omnes fiant in ipsa Academia, & locis hucusque consuetis ac solitis.

Decimò, Cancellarius Academiæ sit, utì hactenus, Præpositus Viennensis; Decanos etiam singulos singulæ habeant Facultates, cum authoritate ordinaria: Artisticæ, constituatur à Societate; Theologiæ, uti hactenus.

Undecimò, Rector Academiæ cum authoritate consueta, uno Semestri sit Doctor Theologiæ, qui Rector Collegii possit esse, vel ex reliquis Doctoribus; uno Doctor Juris; tertio Medicinæ; quarto, cum Artisticam Facultatem tangit ordo, sit is, quem Collegii Rectorem elegerit Societas.

Statuitur etiam, ut ii, qui in Pragensi, Græciensi, Olomuciensi, aliisvè Academiis, quas Archiduces Austriæ & Imperatores erexerunt, &

confirmârunt, vel in posterum erigent & confirmabunt, promoti sunt, aut promovebuntur, ab Universitate Viennensi pro verè & legitimè promotis agnoscantur, & acceptentur, non secus, ac si in eadem Viennensi Universitate promoti fuissent.

QVIA VERÒ inter dictam Universitatem, & præfatos Societatis JESU Patres, aliquæ difficultates & controversiæ, circa quædam puncta dicti Decreti, subortæ sunt, ad quas complanandas, stabiliendámque prætacti Collegii Patrum Societatis cum Universitate Unionem, per nos nuper factam, præcipuorum nostrorum intimorum Consiliariorum, & Commissariorum deputatorum sapienti providentia & consilio interposito ambæ partes amicè, benevolè, firmiter, constanter, & unanimi voluntatum consensione, ad approbationem & confirmationem nostram, die septimo Augusti, hujus currentis anni millesimi sexcentesimi vigesimi tertii, transegerunt, constituerunt, definiverunt, & declarârunt in hunc, qui sequitur, modum.

§. I.

De Rectoratu, & Rectore Universitatis, ejusque post Unionem electione, dignitate, Jurisdictione.

Hìc inseruntur Sanctioni Pragmaticæ omnes Articuli, ut supra Num. 7. usque ad §. X.

NOS igitur hanc ipsorum Transactionem, omnésque suprà insertas Constitutiones, Definitiones, & Declarationes, nostram Unionem, & Reformationem in omnibus suis punctis, clausulis, & articulis, iis duntaxat exceptis, quæ in dicta Transactione, & hoc Diplomate nostro innovan-

novantur, immutantur, renovantur, reformantur aut declarantur, authoritate nostra Cæsarea, & Archiducali ratificamus, approbamus, & confirmamus ratas, firmas, ac validas perdurare, atque illæsas observari; & ad easdem omnes Successores nostros Romanorum Imperatores, Reges, & Archidudes Austriæ futuros, obligatos volumus; expressè illos adhortantes, ut hanc piam, & paternam intentionem, unionem, & reformationem nostram firmiter, & inviolabiliter futuris perpetuò temporibus manuteneant, atque defendant; ipsámque Universitatem non minùs, quàm supradictum Patrum Societatis JESU Collegium unitum ejusdem vigore tueantur; neque quemquam, cujuscumque etiam status, ordinis, vel conditionis is sit, eandem impunè transgredi, vel violare permittant. Cætera denique, quæ per hanc resolutionem, unionem, & reformationem immutata non sunt, tam quoad Universitatis nostræ, quàm singularum Facultatum, Nationum, & Bursarum statuta, maximè verò quoad Academiæ nostræ Libertates, jura, privilegia antiqua, & nova à Divis FERDINANDO, MAXIMILIANO, RUDOLPHO, MATTHIA, imperatoribus, & prædecessoribus nostris, ac Nobis, per Resolutiones, Declarationes, & Sententias, decimo quinto Septembris, Anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo; decimo Januarii, Anno millesimo quingentesimo septuagesimo; vigesimo quarto Decembris, Anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto; & vigesimo primo Februarii, Anno millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, & aliàs data, & concessa; item honestas Consuetudines illæsas conservandas, innovandas, & confirmandas præsentis nostræ Constitutionis elogio denuò clementer innovamus, confirmamus, & omne suum robur omnino obtinere

tinere volumus, & declaramus. Quapropter vobis omnibus, & singulis Rectori, & Superintendenti nostro, Decanis, Doctoribus, Licentiatis, Magistris, Baccalaureis, & toti denique Studiosæ Juventuti hujus nostræ Academiæ Viennensis præsentibus, & futuris, seriò, & firmiter præcipimus, & mandamus, ut hanc præmemoratam Transactionem, omnésque alias Ordinationes, Leges, Statuta & Constitutiones per Nos, uti præfertur, innovatas, declaratas, ac confirmatas sanctè, & inviolabiliter observetis, ac custodiatis; iisque sub pœna gravissimæ indignationis nostræ, quam quilibet contrafaciens noverit se incursurum, nullatenus contravenire audeatis, vel præsumatis; quin potiùs quisque, quæ sui officii, partium, status, & conditionis exequi, & præstare studeat. Porrò ne vobis, Studiosísque vestris favorem, & benignitatem nostram ullibi deesse agnoscatis; sed ut quísque vestrum pro sua conditione studiis eò libentiori animo absque ullo impedimento incumbere, & præmemoratis statutis, & privilegiis pacificè uti queat: mandamus etiam, & præcipimus seriò, & strictè Locumtenenti, Cancellario, Regentibus, & Consiliariis Regiminis, & Fisci nostri, Inferiorum nostrarum Provinciarum Austriacarum, nec non Burgimagistro, Judici, & Consulibus Civitatis nostræ Viennensis, ac cæteris, quibuslibet, Capitaneis, Vice-Dominis, Præfectis, Officialibus, Civibus, subditis, atque fidelibus nostris, cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, ut vos tam in Privilegiis, gratiis, immunitatibus, concessionibus, & donationibus, quàm in his Statutis, Legibus, & Ordinationibus, denuò, ut præmissum est, per Nos innovatis, declaratis, reformatis & confirmatis nullo modo turbent, & molestent, sed potiùs protegant,

gant, defendant, & manuteneant, iisque vos quietè frui, & gaudere sinant, quatenus sibi à gravissima indignatione nostra, & aliis pœnis, violatoribus hujus firmissimi Edicti nostri pro arbitrio nostro irrogandis, cavere voluerint. Harum testimonio literarum, quarum unum exemplar Universitatis Rectori, alterum verò P. Rectori Collegii Societatis JESU manu nostra propria subscriptum, ac Sigilli nostri Cæsarei appensione munitum assignari fecimus. Datum in Civitate nostrâ Vienna, die nona mensis Augusti, Anno Salutis restauratæ supra millesimum sexcentesimum vigesimo tertio, Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungarici sexto, Bohemici verò septimo.

Ferdinandus.

Ad mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.

Joannes Baptista Verda, Liber Baro de Verdenberg.

Tobias Gertinger.

Decretum, quo FERDINANDUS III. Sanctionem Pragmaticam confirmat, jubetque illam inviolabiliter observari.

Ad Dominum Rectorem, & Consistorium Universitatis Viennensis.

SAcræ Cæsareæ nec non Hungariæ, ac Boëmiæ Regiæ Majestatis, Archiducis Austriæ Domini nostri clementissimè N Domino Rectori, & Consistorio hujus Universitatis Viennensis: meminisse

minisse præfatam Majestatem Cæsaream benignissimè, qualiter ejusdem Dominus & Parens honorandissimus, quondam Imperator FERDINANDUS II. gloriosæ memoriæ, jam, antehac Collegium Societatis JESU cum hac Universitate univerit, jusseritque Diploma solemne, & expressum desuper erigi, certúmque in eo modum, ac ordinem statui, ac præscribi, in omnibus, & per omnia observandum.

Cùm igitur prædicta Sacra Cæsarea Majestas hoc ipsum Diploma nunc temporis in omnibus, & per omnia confirmet, atque consolidet; velitque proinde clementissimè, ut pars utraque eidem Diplomati in omnibus punctis, clausulis, & contentis obsequatur; & quidquid in eo statutum, ordinatúmque est, inviolabiliter teneat, ac observet: Ideo ejusdem Sacræ Cæsareæ Majestatis clementissima voluntas, mandatúmque hoc est: ut dictus Dominus Rector, & Consistorium non solùm per seipsos procurent, sed membris etiam sibi subjectis seriò mandent, ut id, quod dictum est, reipsâ, & debitâ cum obedientiâ præstetur, neque contra supradictam à nuper defunctâ Majestate Cæsareâ gloriosissimæ memoriæ erectam, & à moderna Sacra Cæsarea Majestate confirmatam Sanctionem, ac ordinationem quidquam vel minimum attentetur, aut innovetur: sed Collegium Societatis JESU, juxta eandem in omnibus protegatur, ac manuteneatur, neque ullum ipsi impedimentum, aut obstaculum objiciatur. Completur etiam hac ratione benignissima Sacr. Cæs. Majest. intentio, ac voluntas. Signatum Viennæ, Sigillo ejusdem Cæsareo, 4. Maji, Anno 1640.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ
Majestatis proprium.

Tobias Gertinger.

Trans-

Transactio inter Universitatem & Patres Societatis Facta An. 1653.

CUm Cæsareæ Majestati Ferdinando Secundo, pientissimæ memoriæ, anno Millesimo sexcentesimo vigesimo secundo clementissimè placuisset Collegium Societatis JESU antiquissimæ Universitati Viennensi unire, & incorporare: ut Unio illa eo solidiore consisteret fundamento, & majori utriúsque Partis animorum consensu stabiliretur, eorúmque, quæ Universitati per eam Unionem decesserunt, refusio fieret; ac proinde hac ratione ea, quæ dissensionis materiam præbere possent, removerentur, visum fuit anno Millesimo sexcentesimo vigesimo tertio amicabili Transactione rem componere. Conventum itáque inter alia fuit, ut Patres Primò tenerentur Medicis dare Auditorium, & locum pro Anatomia, ut olim habuerunt ante Unionem. Secundò locum pro Congregatione Philosophorum. Tertiò pro Bibliotheca Universitatis. Quartò Domum pro Studiosis Stipendiatis, ac aliam, loco Aurei Montis, pro Mendicantibus. Quintò obligati essent quemlibet Stipendiatum sibi præsentatum pro triginta quinque florenis alere per annum. Sextò, ut Collegium Societatis tanquam verum & vivum membrum Universitatis, supremam in Academicis Rectoris & Consistorii Jurisdictionem agnosceret, eáque in Patrum Auditores sive Scholares salva maneret, prout de hoc in Pragmatica §. 1. n. 2. & 3. cautum est. Septimò, ut Studiosi & Stipendiati tenerentur Rectorem Universitatis in publicis Actibus, & ad Templum comitari. Octavò, ut Professores Societatis immatricularentur, & ipsi ad Actum Repetitionis Rectorem Universitatis invitarent. Nonò Catalogum Lectionum annuatim eidem

Rectori

Rectori revidendum exhiberent. Denique & decimò, ut Patres pro duabus Bursis torcular & cellarium ad exprimendas uvas, & reponendam vindemiam dare tenerentur. Quia verò Admodùm Reverendi Patres mutatione temporum eò rem devenisse asseverabant, ut ea, ad quæ dicta Transactio illos obligabat, adimplere ipsis impossibile esset, & ideò ea, quæ in eadem Transactione definita fuerant, hactenus executioni mandari non potuerint, ut etiam huic malo de opportuno provideretur remedio. & prædicta Transactio in suo vigore quantùm fieri posset, permaneret; placuit hac Secunda in perpetuum valitura Transactione rem denuò amicè componere, ac illam posteris per hoc præsens instrumentum memoriæ mandare.

Capita autem Compositionis sunt hæc.

PRimò ut Stipendiati, qui antehac in Bursis Universitatis alebantur, deinceps & perpetuis futuris temporibus commodam habeant habitationem: loco illarum assignat Societas Universitati, à Societate aliàs emptum, & ex fundamentis de novo exstructum S. Ignatii Seminarium, situm ex opposito Scholarum, qua parte Verdemanianæ & Bronberianæ domui adhæret, dictisque Stipendiatis ad usum debetur exclusa parte altera, quæ per arcum plateæ distinguitur; ut ibidem quadraginta Studiosi Studiis incumbere, ac habitationem commodam, & cum cæteris pari conditione sustentationem sufficientem habere possint.

Quia verò pro secundo Universitati per hoc solus usus & habitatio hujus Domus cedit, & Societati proprietas manet, omnibus præsentibus & futuris, oneribus, incommodis & casibus fortuitis ipsa Societas subjacebit, ideóque & ipsi non

solùm

folùm fartam, tectam confervare incumbet, fed etiam fi illam incendio, aut alio cafu fortuito perire, vel alia ratione ex illorum Dominio, & Poteftate venire contingeret, tenebitur ejus loco aliam Univerfitati æquè commodam, & opportuno loco fitam, etiam fine onere, pro eorundem Stipendiatorum ufu,& habitatione affignare.

Tertiò ex hac eadem ratione, fi Societati futuris temporibus expediret hanc Domum permutare, vel quòvis alio modo alienare, tenebitur priùs Univerfitatem requirere, & aliam utriusque partis Judicio æque commodam ejus loco affignare, ac illius oneribus, incommodis & cafibus fortuitis fubjacere debebit.

Qutrtò, cùm Reverendo Patri Regenti hoc tempore impoffibile fit vigore compofitionis anno Millefimo fexcentefimo tertio initæ unum Stipendiatum triginta quinque florenorum precio alere: conclufum fuit, quòd deinceps Univerfitas quidem in præfato Seminario alendos præfentare poffit quadraginta Studiofos, eósque Rev. Pater Regens ad præfentationem ejusdem Univerfitatis fine omni difficultate recipere, & confueta fuftentatione alere teneatur: tamen ut ad hos triginta quinque florenos, quos diverfis ex Fundationibus Univerfitas percipit, addantur pro quovis Stipendiato annuatim viginti quinque floreni, ita ut pro quovis Stipendiato fexaginta floreni annuatim computentur.

Verùm, cum ex Fundationum proventibus Univerfitas per annum non percipiat univerfim, nifi mille quingentos florenos; & cenfus, quos in fuis Domibus ante unionem percipiebat, fint fublati; pro quadraginta Stipendiatis, etiam pro quolibet computando fexaginta florenos, annuatim requirantur bis mille quadringenti floreni, ut hæc fumma annuatim habeatur, conclufum

 fuit

fuit, ut Societas de suo ducentos annuè superaddat, & Universitas vicissim alios ducentos in parato, quotannis, in manus Patris Regentis enumeret, ac præterea Societas cum Universitate pari conatu à sua Majestate Cæsarea decem millia florenorum, loco ædium Universitati ademptarum, pro Stipendiatis assignari procuret, ut ex hujus universæ summæ annuo censu integros singulis annis habeat bis mille quadringentos florenos.

Quintò, sustentatio horum Stipendiatorum erit ordinaria, eáque quam apud Reverendos Patres in Seminario alii Seminaristæ habere solent, nimirum trium ferculorum, præter panem sufficientem pro qualibet mensa cum sextario vini pro quolibet Stipendiato, quibus etiam necessaria lectisternia cum linteaminibus, ac aliis lecti requisitis subministrare, sempérque conservare tenebuntur. Solutio autem ejus pensionis, quem Universitas præstare debebit, fiet in duobus terminis, prima nimirum circa Festum S. Georgii, altera circa Festum S. Michaëlis.

Sextò, ut Medici, Domo aliis Universitatis usibus destinatâ, tandem cedere valeant; Societas promittit Domum in angulo Scholarum è regione Monasterii Reverend. P. P. Dominicanorum ædificari cœptam perficere, & quàm poterit citissimè, in usum realiter consignare, ita ut præter locum pro Conventibus Facultatis Philosophicæ congruum, etiam locum pro Anatomia; desuper Auditorium pro Lectionibus Medicorum aptum, & tandem etiam pro Bibliotheca locum spatiosum Universitas habere possit, eique præfatorum locorum commoditas, servata sola proprietate Societati, cedet, ac ad illa semper liberum accessum, & claves habebit.

Supremam verò curam hujus Bibliothecæ habebit

bebit aliquis Patrum Societatis à Reverendo Patre Rectore Collegii designandus: cui ab Universitate duo saltem adjungentur, qui immediatam curam & inspectionem gerent, ac damnis omnibus emergentibus providebunt, ipsique Universitati satisfactionem præstabunt.

Et quia septimò, uti jam dictum, proprietas hujus ædificii ad Societatem spectat, tenebitur illa hac de causa ad omnia onera sustinenda, & ad ea cuncta, quæ ratione Domûs Seminarii S. Ignatii superiùs se obligavit, nisi tale damnum ab ipsismet Universitatis membris fuisset illatum.

Octavò, in compensationem Domûs olim Montis Aurei nuncupatæ Societas Domum Scholzianam in vico S. Joannis sitam, ut in ea Studiosi mendicantes congruam habitationem habere possint, ab omni tamen Aulæ metatâ seu quarterio, steura, aliísque oneribus liberam, Universitati cum omni jure tradet; loco censuum verò, qui ex Monte Aureo quot annis percipiebantur, centum quinquaginta florenos remittet ex Stipendio, quod ab Universitate Societati pro utràque Lectura Theologica pendendum est: deníque Societas ad Universitatis instantiam pro cellario, & torculari, quod olim in Aureo Monte, Bursa Rosæ, & Agni sufficiens erat, substituta verò Domus Scholziana caret, per cessionem mille octingentorum florenorum in Provincia sibi legitimè debitorum satisfaciet. Ut autem hoc eò minùs difficile Societati videatur, cedet ei Universitas mille quingentos florenos de suo residuo apud officium Salis hic Viennæ.

Nonò, Societas, ad concordiam inter ipsam & reliquos Academicos conservandam, pollicetur se effecturam, ut ea omnia, quæ in Unione continentur, accuratè observentur; publici pro Gradu Disputationum & Repetitionum Actus

cum Authoritate Rectoris Universitatis, more aliarum Facultatum, fiant; singulis annis Catalogus Lectionum cum subscriptione ejusdem imprimatur, & Testimonia, quæ Decani, vel Vice-Decani Facultatis Philosophicæ Studiosis discedentibus impertiri solent, non Universitatis, sed Facultatis nomine imposterum expediantur.

Denique benignè promittit Societas Studiosos Juris, vel Medicinæ in obtinendis Conditionibus, vel Pædagogiis non solùm non impedire, sed etiam, quantùm in illis erit, non secùs ac alios suarum Lectionum Auditores promovere. E converso Universitas hoc publico instrumento palàm declarat, ac omnibus, quibus opus est, notificat, si prædicta omnia fideliter serventur, se à Patribus Societatis in ullâ re nihil ulteriùs unquam, quovis prætextu, prætensuram, fatebitúrque sibi planè, & per omnia esse satisfactum: atque adeò eosdem Patres Societatis, ut vera & legitima membra sibi incorporata, omni amore & benevolentiâ prosecuturam; ac contra quosvis illegitimè ipsos persequentes debitâ protectione, non secùs ac alios de corpore suo, defensuram; atque etiam procuraturam, ut secundùm laudabile eorum Institutum, uti hactenus, ita & imposterum prælegere, ac reliquos Actus juxta præscriptum Pragmaticæ, Anno. 1623. & An. 1640 Cæsareâ Authoritate confirmatæ, inperturbabiliter exercere possint, ac valeant.

Quæ omnia rata, & firma irrevocabiliter servare utraque pars sincerè promisit, & ut nullo unquam tempore, aut quocúnque pretextu & eventu hæc nova & amicabilis Transactio (ùt omnes aliæ, in quantum huic contrariæ sunt, aut ei derogare videntur, extinguuntur, & annullantur) violari queat; pro parte Univer-


sitatis

ſitatis ſubſcribet Dominus Joannes Guilielmus Mannagetta, Primarius Practicæ Med. Profeſſor & pro tempore Univerſitatis Rector Magnificus: Reverendiſſimus Dominus Stephanus Zwirſchlag Eccleſiæ Cathedralis ad S. Stephanum Præpoſitus, Univerſitatis Cancellarius: Dominus Joannes Baptiſta Suttinger, Sacræ Cæſ. Maj. Conſiliarius, & in Excelſo Regimine Cancellarius, Univerſitatis Superintendens: Doctor Jacobus Thavonatus, Sacrorum Canonum ibidem Profeſſor Primarius, appreſſo ejusdem Univerſitatis Sigillo. Ex parte Societatis illi, quibus jure illorum convenit Contractus publicos erigere firmiter, Admodùm Reverendus Pater Zacharias Trinkellius, Societatis JESU per Auſtriam Præpoſitus Provincialis, Admodum Reverendus Pater Ferdinandus Herberſtein Soc. JESU Collegii Rector, atque etiam ab utriſque procurabitur, ut hæc omnia Sua Sacra Cæſarea Majeſtas Authoritate ſua roboret, ac confirmet.

Demum utrique parti tradetur exemplar iiſdem omninò clauſulis, ac ſignaturis, & ſcriptionibus inſtructum: quod DEus Opt. Max. benè feliciterque faxit evenire. Actum Viennæ decimâ Januarii, Anno Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio.



CA-



CATALOGUS RECTORUM ACADEMICORUM.

EX Documentis, & Matriculis post Ederianam & Sòrbaithianam mendosas in multis editiones, accuratione, qua fieri potuit, maximâ, correctus & restitutus: beneficio potissimùm Virorum duorum Reipubl. Literariæ Viennensis illustrandæ Studiosorum; Peril. nempe & Magnifici D. Joañis Bertrandi Mayer de Mayerfels piâ mem. & R. P. Antonii Steyrer, è Societate JEsu Serenis. Archiduc. Mariæ Josephæ Electoralis Principis Saxonicæ Conscientiæ Arbitri; quorum Ille hanc ipsam Rectorem Seriem sub Rectoratu suo conficiendam suscepit, confectámque luci parabat, nisi Fascibus Academicis An. 1720. esset immortuus: Hic verò eruditissimis suis Commentariis nuper editis, qui commodùm ad manus meas, dum laborem hunc typo pararem, pervenere, non Primum modò Rectorem Academicum, hactenus ignotum, detexit, sed cæteros quoque ad Annum 1500 usque, accuratissimè deduxit. Itáque ab erecta An. 1365. Universitate Viennensi Primus Rector Academicus fuit

An. 1365. & 1366.

Albertus de Riggenstorf, seu de Saxonia, Artium Magister, Plebanus in Laa Austriæ Urbe. Gessit

Gessit officium istud & anno sequenti, sub cujus finem ab Urbano V. Ecclesiæ Halberstadiensi Episcopus præficitur.

Successores per proximos decem Annos ex nullis adhuc documentis erui potuêre; non tamen his annis potestatem omnem penes viros, ad Academiam Viennensem Constituendam vocatos, ut Ederus ex Lazio existimat, sed singulis Annis illis Rectorem creatum, confirmatúmve fuisse, vel inde conficitur; quod jam tum à Fundatore Rudolpho IV. quatuor Nationum Procuratores instituti sint, quorum præcipuum munus, Universitatis Rectorem renunciare; & quidem, ut verba Diplomatis Rudolphini sonant: *qui Rector Universitatis sit Magister Liberalium Artium, & nullius alterius Facultatis.* Credo equidem id exinde â Rudolpho statutum, quod id ipsum in Parisiensi Universitate, cui in omnibus Viennensem voluit quàm simillimam, observaretur: Teste enim Lambecio Lib.II. Cap.5. *Parisiis multò ante fundationem Academia, inclinante Saculo XII. factam, erat illustris Liberalium Artium Schola; ideoque etiam nunc Facultas Artium tantam ibi obtinet prarogativam, ut nec ex Theologica, neque Juridica, nec Medica Facultate, sed ex sola Artistica semper creetur Rector, qui in cateras omnes Facultates, totámque Academiam habet imperium.* Quod si igitur hanc verosimillimam sequamur rationem, decem omnino per proximum decenium Rectores, quorum tamen nomina adhuc nos latent, statuamus oportet. Ut proinde *duodecimus Rector* sit:

An 1373.

Joannes de Randegk, Artium Magister, Canonicus Constant. & August. Electus circa festum S. Joan. Baptist.

An. 1378.

Conradus Comes de Hochenberg, Artium Magister,

ſter, Clericus Conſt. Diæc. Elect. circa feſtum SS. OO.

An. 1379.

Colomanus Kolb, Artium Magiſter, Elect. circa Feſtum Pentec.

An. 1380.

Rudolphus Comes deSchaumburg, Artium Magiſter, Elect. circa Feſtum S.Martini; quo Viennâ, Anno altero, Menſe Junio, abeunte, ei procuratorum ſuffragio ſuffectus eſt.

An. 1381.

Gerhardus Viſchbeck, Artium Magiſter, Scholæ veteris ad S. Stephanum Rector, Elect. circa Feſtum Corporis Chriſti.

An. 1382.

Petrus Engelhardi de Hebersdorff, Artium Magiſter, Plebanus in Ulreichkirchen, ſeu ut Matricula, Parochialis Eccleſiæ in Nerden, Canonic. Wien. & Patavienſ. Elect. 21. Januarii.

An. 1383.

Donaldus Abbas Monaſterii S. Mariæ Scotorum in Wienna, Ord. S. Benedicti, Artium Magiſter, Elect. 8. Novembr.

An. 1384.

Colomanus Kolb, Artium Magiſter, Elect. menſe Octobr. II.

Ab hoc Anno Albertus III. Archidux conſtituit, ut cæteris quoque Facultatibus aditus ad Rectoris Academici munus pateat, ita enim habetur in Statutis Albertinis: *Ordinantes, quod Rectoria non ſemper maneat in una Facultate, ſed quod alternatim tranſeat ad ſuppoſita diverſarum facultatum.* Cæpit ab eodem hoc Anno tempus officii Rectoralis mutari; cùm abinde bini in annos ſingulos Rectores deligerentur, binis quaſi Electionis polis, Feſto ſcilicet SS. M.M. Valeriani & Tiburtii, 14. Aprilis; & Feſto S. M. Colo-

Colomani, 13. Octobris, designatis: & ita tempus Electionis observatam fuisse, Lector supponat imposterum, nisì aliter notatum fuerit.

An. 1385.

Joannes, Plebanus in Meygen, Artium Magister, Patavien. & Wiennens. Ecclesiarum Canonicus.

Henricus de Odendorp de Colonia, Magister in Artibus, & ad licentiat. in Legibus de rigore examinis approbatus.

An. 1386.

Conradus Comes de Hochenberg, Art. Mag. II. El 13. April.

Colomanus Kolb, Art. Mag. III.

An. 1387.

Hermanus Lurcz de Norimberga, Art. Mag. Doctór in Medicina, & Baccalaureus in Theologia, Rector parochialis Ecclesiæ in Holfeld Bamberg. Diæc. Elect. 13. April.

Fridericus de Görs, ibidem Plebanus, Art. Mag. & Baccalaureus in Decretis.

An. 1388.

Petrus, Plebanus in Pilichsdorff, Art. Mag. Baccalaureus formatus in Theologia, Can. Vien. Elect. 13. April.

Gerardus Vischbeck, Art. Mag. Canon. S. Joannis Osnabrug. & S. Stephani Vienn. Decanus. Primum totulum Anno 1390. ad curiam Romanam defert.

An. 1389.

Joannes Gallici de Wratislavia, Art. Mag. & Medicinæ Doctor.

Lambertus de Geldria, Art Mag. El. 17. Oct.

An. 1390.

Gislerus Dobershow, Art. Mag. Licentiatus in Jure Canon.

Hermanus Lurcz, &c. II.

An. 1391.

Stephanus de Entzendorff, Art. Mag Bacc. Theol.

Joannes de Ruspach, Art. Mag. Theologiæ Baccal. Canon. Wien

An. 1392.

Marquardus de Randegk, Decretorum Doctor, & Lector ordinarius Decretal. Canonicus Eystet. Viennens. & August. Factus Episcopus Constantiensis, An. 1398. Elect. 11. April.

Hermanus de Treysa, Art. Mag Doctor in Medicinis, Canon. S. Stephani in Wienna.

An. 1393.

Andreas de Langenstein, de Hassia, Art. Mag. Canon Vien.

Henricus de Langenstein, dictus de Hassia, Primus Viennæ Theol. Profess.

An. 1394.

Leonardus Schaver, Art. Mag. Decretor. Doctor.

Joannes Gallici de Wratislavia, Art. Mag. Doctor in Medicinis, Physicus Domini Ducis Austriæ Senior. Elect. die S. Galli. II.

An. 1395.

Wolffhardus Mayr, Licentiatus in Artibus, Plebanus in Tyroli, Canonicus Vien. & Sacellanus de S. Virgine. Elect. Fer. 3. post Pascha.

Colomanus Kolb, Art. Mag. Plebanus in Probstorff, Canon. Vienn. Baccal. Theol. IV.

An. 1396.

Colomanus de Nova Villa, Art. Mag. Plebanus in Lauchse, & Rector Scholarum apud S. Stephanum Wienn.

Martinus de Walsee, Mag. Art. & Medicinæ Doct.

An. 1397.

Colomanus Kolb, &c. V.

Stephanus de Entzendorff, Art. Mag. Rector Parochialis in Atzpach, Canonicus Vienn. II.

An. 1398.

An. 1398.

Conradus de Pewrn, Decretorum Doctor.
Hermanus de Treysa, &c. II.

An. 1399.

Petrus Dekinger de Wienn. Art. Mag.
Lambertus de Geldria, Art Mag. II.

An. 1400

Caspar de Mayselstein, Baccalaureus in Decretis, Lector Sexti.
Joannes Silber, de S. Hippolyto, Art. Mag. Doctor in Medicinis.

An. 1401.

Nicolaus de Maczen. Art. Mag.
Joannes Berwart de Villingen, Art. Mag. Baccal. Theol.

An. 1402.

Giselerus Doberkow, Art. Mag. Decretorum Doctor. II.
Nicolaus de Fürstenveld, Med. Doct. Canon. Vien. dies El. tacetur.

An. 1403.

Joannes Berwart, anno seq. Canon. Wien. &c. II.
Petrus de Treysa, Art. Mag & Theol. Doct. factus anno sequ. Canon. Wien.

An. 1404.

Petrus Dekinger idem qui supra, Can. & Rector Scholarum ad S. Stephan. Wien. & Plebanus ad S. Vitum. II.
Lambertus de Geldria Mag. Art. Theol. Prof. III.

An. 1405.

Conradus Seglauer, Art. Mag. deinde Can. Wien. Elect. 11. April.
Nicolaus de Dinckelspüchel, Art. Mag. Baccal. S. Theol. Canonicus Wienn.

An. 1406.

Henricus Bernstein, Decret. Doctor.
Hermanus de Treysa, &c. III.

An. 1407

An. 1407.

Petrus Tzech de S. Bernardo, aliàs dictus de Pulcka, Con. Wienn. Mag. Art. Baccal. format. in Theol. El. circa festum S. Georgii.

Rutgerus Dole, de Ruremunda, Mag. Art & Baccal. in Theol. Canon. Wien. & Plebanus in Schrefling, ab Coment. in Librum Job. celebris.

An. 1408.

Henricus de Kützpüchel, Mag. Art. Doctor Decret. Canon. Frisingensis, & Plebanus in Mañswerth, El. 9. April.

Joannes Sindrami, Decret. Doctor, Plebanus in Wansdorff, El. 14 Oct.

An. 1409.

Joannes Fluck, de Pfullendorff, Art. Mag. Baccal. Theol. El. in festo S. Georgii.

Michael Suchenschaz, Mag. Art. S Theol Profess. Canon. Wien. a Comment. in Evangelia, Salut. Angelicam &c. celebris.

An. 1410.

Petrus Dekinger, idem, qui supra, Plebanus in Hedreins, El. 13. April. III.

Hermanus de Treysa, &c. El. 7. Ob. IV.

An. 1411.

Joannes Wittich, Art. Mag.

Petrus Tzech, &c. Sacræ Paginæ Doctor, II.

An. 1412.

Gotfridus Harscher, Decanus Eccles. August.

Joannes Aygel de Neuburga Forensi, Mag. Art. & Med. Doctor.

An. 1413.

Theodoricus Rudolphi de Hamelburga, Mag. Art. & Theol. Baccal.

Joannes Fluk de Pfullendorff, S. Theol. Profess. Canon. Wien. II.

An. 1414.

Petrus Dekinger, idem, qui supra, Vice-Cancellarius, IV.

Nico-

Nicolaus de Hebersdorff, Mag. Art. Med. Doctor.

An. 1415.

Ulricus de Patavia, Mag. Art. Baccal. Theol. deinde Canon. Wiennens.

Zacharias Ridler de Monacho, Mag. Art. Baccal. Theol.

An. 1416.

Joannes de Westphalia, Decret. Doctor.

Joannes Rock, Art. & Med. Doctor.

An. 1417.

Joannes Angrer de Müldorff, Mag Art. Præpositus Gurnicensis in Carinthia.

Theodoricus Rudolphi de Hamelburg, idem, qui supra, Canon. Vien. II.

An. 1418.

Joannes Sindrami, &c. II.

Udalricus Grünwalder, Art. & Med. Doctor.

An. 1419.

Michaël Falkonis, Art. & Med. Doctor, Decretorum Baccal. Plebanus in Tiver, El. 5. Januarii.

Georgius Wetzel de Horaw, Theol. Doctor, anno seq. Canon. Wien. El. 10. Ap.

Lambertus de Geldria, El. 13. Oct. IV.

Christianus de Königingrez, Mag. Art. Theolog. Baccal. post obitum M. Lamberti, El. 22. Dec.

An. 1420.

Paulus Päurl de Wien. Decret. Licent. Art. Mag. El. 14. April.

Stephanus Spezhard, Art. & Med. Doctor eximius.

An. 1421.

Joannes Zinck de Hertzogenburga, Art. Mag. Baccal. Theol.

Petrus Tzech de Pulka, &c. a relictis scriptis clarus, III.

An. 1422.

Joannes Seld, Decret. Doctor,

Henricus Stoll, de Hamelpurg Art. & Med. Doct.

An. 1423.

Narcissus Herz de Berching, Art. Mag. Theolog. Baccal.

Thomas Ebendorffer de Haselbach, Art. Mag. Theol. Doctor, deinde Can. Wien, Plebanus in Perchtoldstorff, Superintendens Rubeæ Rosæ, Director Monialium ad S. Jacobum &c. obiit 1464. a rebus gestis, & Literariis Comment. clarissimus.

An. 1424.

Paulus Päurl, de Wienn. Decret. Doctor. II.

Joannes de Paumgarten, Art. & Med. Doctor.

An. 1425.

Joannes Himmel de Weits, Art. Magist. Baccal. Theol.

Petrus Reicher de Pirchenwart, Art. Mag. Theol. Prof. deinde Canon. S. Stephani Wienn.

An. 1426.

Conradus de Hallstatt, Decret. Doct. El. 13. April.

Erasmus Rieder de Landshuta, Art. & Med. Doct.

An. 1427.

Urbanus de Mellico, Art. Mag. & Baccal Theol.

Joannes Geuss de Teyning, Art. Mag. Baccal. Theolog. deinde ejusdem Doctor, & Canon. Wien. ac Decanus.

An. 1428.

Joannes Seld. &c. II.

Joannes de Paumgarten, &c. II.

An. 1429.

Joannes Angrer de Müldorff, &c. postea Plebanus in Moskirchen. II.

Thomas Ebendorffer de Haselpach S. Theolog. Profess. II.

An. 1430.

Conradus de Hallstatt, &c. El. 11. April. II.

Paulus Päurl de Wienn. Decret. Doctor, El. 13. Oct. ob defectum Suppositorum Facult. Med. III.

An. 1431.

An. 1431.

Narcissus Herz, &c. Canon. Wien. II.

Petrus Reicher, &c. El. 14. Oct. II.

An. 1432.

Conradus de Hallstatt, &c. III.

Andreas de Weytra, Art. Mag. Theol. Baccal.

An. 1433.

Jodocus Weyler de Halpruna, Art. Mag. Theol. Baccal.

Stephanus de Egenpurga, Art. Mag. Theol. Baccal. deinde Canon. Wien.

An. 1434.

Paulus Päurl, &c. IV.

Ditmarus Hindernpach, Art. & Med. Doctor, Canon. Patav.

An. 1435.

Urbanus de Mellico, &c. II.

Joannes Geuss, &c. Canon. Wienn. II.

An. 1436.

Conradus de Hallstatt, &c. IV.

Joannes Grossel de Titmanning, Art. Mag. Theol. Baccal. El. 25. Novemb.

An. 1437.

Nicolaus de Grez, Art. Mag. Theol. Baccal Canon. Wien. a relictis operibus liter. clarus.

Joannes Himmel de Weits, Art. Mag. Theolog. Profess. Canon. Wien. Aberti Archi: in Concilio Basileensi, Orator, à relictis comment. clarus. II.

An. 1438.

Joannes Polzmacher, Decret. Doctor, Art. Mag.

Pancratius Kreutzer, Art. & Med. Doctor.

An. 1439.

Jodocus Weiler, &c. II.

Andreas de Weytra, &c. II.

An. 1440.

Conradus de Hallstatt, &c. V.

Ditmarus Hindernpach, &c. II.

An.

An. 1441.

Jodocus Gartner, Art. Mag. Theol. Baccal. Elect. 11. April.

Joannes Himmel, &c. III.

An. 1442.

Conradus de Hallstatt, &c. Plebanus in Halsteten, VI.

Thomas de Wulderstorff, Art. Magist. Theolog. Baccal.

An. 1443.

Joannes Grösl, &c. II.

Christianus de Hurben, Art. Mag. Theolog. Prof. Canon. Wien. & deinde Decanus. El. feria tertia post festum S Colom.

An. 1444.

Nicolaus de Gloz, Decret. Doctor.

Ditmarus Hindernpach, &c. El. 25. Novembr. die S. Cathar. III.

An. 1445.

Jodocus Gartner, &c. II.

Thomas Ebendorffer de Haslpach, &c. III.

An. 1446.

Jodocus Hausner, de Novo Foro, Decret. Baccal. Art. Mag.

Joannes Schwendin, Art. & Med. Profes.

An. 1447.

Jacobus de Wuldersdorff, Art. Mag. Theol. Baccal.

Jodocus Weiler, &c. El. 15. Oct. III.

An. 1448.

Nicolaus de Gloz, &c. II.

Joannes Widmann de Dinckelspühel, Art. Mag. Theol. Licent. Canon. Wien.

An. 1449.

Nicolaus de Auln, Art. Mag. Theol. Baccal. Can. Wienn.

Fridericus de Eschenbach, Art. Magist. Theol. Profess.

An. 1450.

Conradus de Hallstatt, &c. VII.
Joannes Knaber, Art. Mag. Decret. Licent.

An. 1451.

Jodocus Gartner, &c. III.
Paulus Leübman de Mellico, Art. Mag. Theolog. Professor, Canon. Wien.

An. 1452.

Nicolaus de Gloz, &c. cui 8. Sept. mortuo suffectus est.
Conradus de Hallstatt, &c. VIII.
Joannes Huber, Decret. Doctor de Freinstat, Can. Wien.

An. 1453.

Georgius Tudel de Giengen, Art. Mag. Theol. Baccal.
Jacobus de Wulderstorff, &c. El. in die 5. Martini. II.

An. 1454.

Jodocus Hausner, &c. El. 13. April. II.
Georgius Mair, de Amberga, Art. Mag. Medicinæ Doctor El. 13. Octob. Cui 2. Novembris Rectoratum resignanti, suffectus est.
Caspar Frue, de Tettnanga, Artium Mag. Medicinæ Doctor.

An. 1455.

Michael Zehenter de Wien. Decret. Licent.
Joannes Grössl, &c. III.

An. 1456.

Conradus de Hallstatt, &c. IX.
Marquardus de Wissach, Art. & Med. Doctor.

An. 1457.

Thomas Wölfl, de Wulderstorff.
Paulus Leübmann de Mellico, S. Script. Professor, &c. II.

An. 1458.

Joannes Symler de Brethem, Art. Mag. Decr. Doct.
Caspar Frue, &c. II.

 An. 1459.

An. 1459.

Nicolaus de Auln, &c. II.

Ludovicus Schlicher de Ulma, Art. Mag. & Sacr. Script. Profeſſ.

An. 1460.

Michael Klingenſtein, Decret. Doctor Can. Wien.

Hermanus Haym de Rottenburga, Art. & Medic. Doctor.

An. 1461.

Conradus Selder de Rotnacker, Artium Mag. & Theol. Baccal.

Paulus Leübmann de Mellico, &c. Decanus ad S. Stephanum. El. in feſto S. Martini IV.

An. 1462.

Joannes Symler, &c. El. 13. April. II.

Georgius Tudl de Giengen, &c. S. Script. Prof. II.

An. 1463.

Stephanus Bretheim, Artium Mag. Decret. Licent. Canon. Wien.

Thomas Wölfl, de Wulderſtorff, ut ſupra Canon. Wien. II.

An. 1464.

Jodocus Hauſner, &c. Can. Wien. & Adminiſtrator Præpoſituræ in abſentia Alberti Comitis de Schaumburg. Obiit Hausnerus An. 1477.

Caſpar Griesnpeck, Art & Med. Doctor.

An. 1465.

Leonardus Egerer de Perching Capellanus ſedis Apoſt. Art Mag. Plebanus in Grüental.

Joannes Gröſsl, &c. Canon. Wien. III.

An. 1466.

Wolffgangus de Herzogenburga, Doctor Canon. & Lector Ordinar Ingolſtadii.

Nicolaus de Ratisbona, Art & Med. Doctor.

An. 1467.

Joannes Harrer de Haylprun, Art. Mag. S. Script. Licent.

Wolff-

Wolffgangus de Egenburga, Art. Mag. S. Script. Prof. Canon. Vienn.

An. 1468.

Nicolaus de Kreutzenach, Art. & Theol. Doctor Decret. Licent.

Caspar Griessenpeck, ut supra II.

An. 1469.

Rupertus Weissenburger de Pruck, Art. Mag. Sacr. Script. Licent.

Andreas de Potenprun, Art. Mag. S. Script. Prof. Canon. Wien.

An. 1470.

Augustinus de Elbing, Art. & Decret. Doctor.

Nicolaus de Ratisbona, ut supra II.

An. 1471.

Joannes Goldner, Art. Mag.

Paulus Leubmann de Mellico Canon. Wien. & Decanus IV.

An. 1472.

Joannes Huber, &c. II.

Hermanus Haym, &c. II.

An. 1473.

Petrus de Corona Art. Mag. S. Script. Licent.

Nicolaus de Kreuzenach, &c. II.

An. 1474.

Michaël Lochmayr de Haydegk, Art. Mag.

Martinus Heinzl de Memmingen, Art. Mag. & Theol. Profes.

An. 1475.

Leonardus Frumann ex Hirschaw, Artium Mag. Theol. Baccal.

Andreas de Potenprun, &c. II.

An. 1476.

Leopoldus Pranz Decret. Doctor.

Michaël Manesdorffer, Art. & Med. Doctor.

An. 1477.

Bartholomæus Tichtl ex Greyn, Art. Mag. Theol. Licent.

 Joan-

Joannes Harrer, &c. Can. Vien. II.

An. 1478.

Joannes Huber, &c. Canon. Wien. III.

Bernardus Perger ex Stantz, Juris Canon. Baccal. Rector Schol. S. Steph.

An. 1479.

Joannes Goldtperger de Wien. Art. Mag Theol. Baccal.

Joannes de Phorczheim, Art. Mag. & S. Script. Profes. Can. Vien.

An. 1480.

Joannes Kaltenmarckter ex Salceburgo, Theol. Baccal. & Juris Canon. Licent.

Briccius Preprost de Cilia, Art. Mag. Theol. Lic.

An. 1481.

Paulus de Stokerau, Art. Mag. Theol. Licent.

Nicolaus de Kreuzenach, &c. III.

An. 1482.

Martinus Wölfel ex Sitzendorff, Art. & Juris Canon Doctor Divin. Sapien Baccal.

Paulus Urssenbeck ex Teckndorff, Art. & Med. Doctor.

An. 1483.

Oswaldus Ludovici ex Weickersdorff, Theol. Baccal.

Michael Lochmayr, &c. Patav. & Vien. Can. II.

An. 1484.

Kilianus Horn, Decret Doctor, Canon. Wien. Bamberg, Patavi. & S. Gumperti, Onolspac. El. 13. April.

Paulus Ursenbeck, &c. II.

An. 1485.

Leonardus Fruman, &c. II.

Joannes Harrer, &c. III.

An. 1486.

Joannes Kaltenmarckter, &c. Canon. Wien. II.

Udalricus Eberhardi ex Neuburga Claustrali,

Art.

Art. & Med. Profeſ. ſub quo Feſtum S. Leopoldi ab Univerſitate cum Statione celebrari cœpit.

An. 1487.

Bartholomæus Tichtl, Canon. ad S. Steph. Wien. qui 25. Januarii ſuffectus in Deceſſoris defuncti locum II.

Thomas Wienner ex Neuburga Forenſi, Art. Mag. Canon. Wien. El. 7. April

Bartholomæus Tichtl, &c. El. 13. Oct. III.

An. 1488.

Hieronymus Hollenbruner ex Vienna, Art. & Juris Canon. Doct. Canon. Wien.

Fridericus Gräsl ex Heidenhaim, Art. & Medic. Doctor.

An. 1489.

Leonardus Müllner de Novo Foro, Art. Mag. & Theol. Baccal. Canon. ad S. Steph. Wienn.

Joannes Harrer, IV.

An. 1490.

Joannes Kaltenmarcktner, &c. Theol. Doctor, Canon. Wien. & Patavi. ejusdémque Curiæ infra Onaſum Officialis Generalis. III.

Bartholomæus Steber, Art. & Med. Doctor.

An. 1491.

Georgius Pattersdorffer ex Waſſerburga, Art. Mag. Theol. Baccal.

Briccius Preproſt de Cilia. &c. Theol. Doct. Can. Wien. II.

An. 1492.

Martinus Wölfl de Sitzndorff, &c. Can. Vien. II.

Fridericus Gräsl, &c. II.

An. 1493.

Eberhardus de Hartperg, Art. Mag. Theol. Baccal.

Joannes Kaltenmarckter, &c. IV.

An. 1494.

Michael Rarkoch de Miſtelpach, Art. Mag. Theol. Baccal. Canon. ad S. Steph. Wien.

Wolffgangus Hymler de Mellico, Art. & Medicinæ Doctor.

An. 1495.

Joannes Burger ex Egenburga, Art. Mag.
Joannes Kaltenmarckter, &c. V.

An. 1496.

Joannes Chekmann ex Haugstorff, Juris Canon. Doctor, Plebanus in Stätz, Capellan: Capellæ S. Hieron. in Wien.
Joannes Burger, &c. II.

An. 1497.

Valentinus Kräler ex Holaprun, Art. Mag. Theol. Doctor, deinde Canon. Wien.
Briccius Preprost, &c. III.

An. 1498.

Wenceslaus Mändl ex Budweis, Juris Canon. Doctor, Pragen. Archidiac. & Canon.
Georgius Lantsch de Ellingen, Art. Mag. Theol. Baccal. deinde Canon. Vien.

An. 1499.

Caspar Fridburger ex Rosenberg, Art. Mag.
Oswaldus Ludovici, ex Weickersdorff, Art. & Theol. Mag. Canon. Wien. II.

An. 1500.

Gabriel Gutrater de Lauffen, Art. Mag. *Juris* Licent.
Joannes Cuspinianus, Art. ac Med. Doctor, Poëta manibus Maximiliani Regis Roman. Wiennæ Laureatus in exequiis D. Friderici Cæsaris.

An. 1501.

Christophorus Kulber ex Grez, Art. Mag. Theol. Baccal.
Joannes Kaltenmarckter, &c. VI.

An. 1502.

Joannes Chekmann ex Haugstorff, &c. II.
Wilhelmus Pulinger ex Wising, Art. & Medic. Doctor.

An. 1503.

An. 1503.

Serenissimus Princeps, & D. Fridericus. DEI Gratia Teschinensis, & Majoris Glogoviæ in Silesia Dux Art. Mag.

Christophorus Kulber, &c. II.

An. 1504.

Joannes Stephanus Reüs, Constantien: Juris Doct.

Joannes Trapp de Wien. Art. Mag Theol. Doctor Parisien.

An. 1505.

Wolffgangus Mosnaver ex Welsa, Decret. Licent.

Joannes Trapp de Wien. &c. II.

An. 1506.

Georgius Prenner, Juris Pontif. Doctor, Canon. Wien. & Ratisbon.

Joannes Wisinger, Patavien. Med. Doctor, cui Rectoratui suo immortuo suffectus est. 10. Dec.

Michaël de Premarthon, Art. & Med. Doctor.

An. 1507.

Michaël de Premarthon, Art. & Med. Doctor, El. & Confirm. 14. April. II.

Joannes Chekman, &c. III.

An. 1508.

Theodoricus Renanus ex Slestat, Juris Doctor.

Michaël de Premarthon, &c. III.

An. 1509.

Thomas Resch de Krembs, Art. Mag. Theol. Baccal. Poëta Laureat. manibus Maximiliani Imp.

Christophorus Külber, Theol. Profes. Canon. ad S. Steph. Wien. III.

An. 1510.

Udalricus Kauffman de Campiduno, Art. & Juris Doctor, Canon. Wien.

Serenifs. Franciscus Sforcia, DEI Gratiâ Mediolani Dux, Art. Mag.

An. 1511.

Joannes Chekmann, &c. IV.

Thomas Resch, &c. Canon. Wien.

An. 1512.

Joannes Angrer ex Budweis, Juris Pontif. Prof. Archidiac. Pragens.

Georgius Tanstetter ex Rayn, Astronom. & Med. Professor.

An. 1513.

Sebastianus Tenckh ex Fronleyten, Sentent.

Joannes Trapp, &c. III.

An. 1514.

Georgius Prenner, &c. II.

Joannes Trapp, &c. IV.

An. 1515.

Christophorus Külber, &c. IV.

Joannes Chekmann, &c. V.

An. 1516.

Victor Gampp Vien. U. J. Doctor.

Joachimus Vadianus Helvetius, Art. Mag. & Poëta Laureat. Profes. Poëticæ.

An. 1517.

Joannnes Hueber ex Ebersperg, Art. Mag. Theol. Baccal. Plebanus in Curia Coloniensium Wien, deinde Canon. Wien.

Christophorus Külber, &c. V.

An. 1518.

Udalricus Kauffman, &c. II.

Leopoldus de Jordanis, Art. & Med. Doctor.

An. 1519.

Martinus Edlinger, Art. Mag. Theol. Licent.

Christophorus Külber, &c. VI.

An. 1520.

Udalricus Kauffman, &c. deinde sub Petro à Revellis Episc. Wien. Offic.

Joannes Wenzelhauser, Art. & Med. Doctor.

An. 1521.

Leonardus Schratzhamer ex Laubingen, Artium Mag. Theol. Baccal.

Joannes Trapp, &c. V.

An.

An. 1522.

Andreas Harrer ex Gamunda, Juris Doctor.
Joannes Salius ex Styria, Art. & Med. Doctor, Archid. Ferdinandi Physicus.

An. 1523.

Joannes Salius, &c. II.
Ambrosius Salzer de Sopronio, Art. Mag. Theol. Licent.

An. 1524.

Leonardus Dobrohost, Legum Doctor.
Udalricus Fabri Rhetus, Art. & Med. Doctor.

An. 1525.

Albuinus Greffinger, Art. Mag. Theol. Licent.
Christoohorus Külber, &c. interfuit inquisitioni adversus hæresim Vien. Grassantem. VII.

An. 1526.

Joannes Brüelmayr ex Lintz, Juris Doctor.
Joannes Heyn, Art. & Med. Doctor.

An. 1527.

Joannes Aurifaber Varasdinensis, Artium Mag. Theol. Baccal.
Ambrosius Saltzer, &c. II.

An. 1528.

Laurentius Motz ex Wirtemberga, Juris Doctor, Official. Patavien.
Udalricus Fabri, &c. II.

An. 1529.

Bartholomæus Gebel. Francoford. Art. Mag.
Martinus Edlinger, &c II.

An. 1530.

Laurentius Motz, &c. II.
Udalricus Fabri &c III.

An. 1531.

Georgius Reichart, Scotus Art. Mag. Juris Canon. Licent. Canon. Wien. & Brunens.
Albuinus Greffinger, &c II.

An. 1532.

Laurentius Motz, &c. III. cui mortuo subrogatus est,

Bartholomæus Gebel, &c. II.
Udalricus Fabri, &c. IV.

An. 1533.

Joannes Aurifaber, Art. & Theol. Doct. ac Profes, Canon Wien. II.
Ambrosius Salzer, &c. Canon. Wien. Theol. Profes. III.

An. 1534.

Udalricus Gebhard, Juris Doctor, Rom. Reg. Mariæ Consil. *Primus Rector Uxoratus.*
Joannes Gastgeb, Art. & Med. Doctor.

An. 1535.

Joannes Aurifaber, &c. III.
Georgius Hieter ex Gaubitsch, Art. Mag. Canon. Wien.

An. 1536.

Udalricus Gebhard, &c. II.
Leopoldus de Jordanis &c. II.

An. 1537.

Georgius Hieter, &c. II.
Joannes Gaudentius Anhauser ex Reitlingen, Theol. Doctor.

An. 1538.

Stephanus Schwartz, Wien. Juris Doctor.
Franciscus Emericus Oppaviensis, Art. & Medic. Doctor.

An. 1539.

Joannes Gösl ex Wunsidel, Art. Mag. J. U. Doct.
Joannes Aurifaber, &c. IV.

An. 1540.

Philippus Gundelius Patav. Juris Doctor, Rom. Reg. Mariæ Consil. Fisci Advocat. El. 18. April.
Joannes Enzianer, Art. & Med. Doctor Rom. Regis Consil. & Physicus.

An. 1541.

Joannes Entzianer, &c. II.
Ambrosius Salzer, &c. IV. El. 14. Novemb.

An. 1542.

An. 1542.

Joannes Ludovicus Brassicanus J. U. Doctor & Juris Can. Prof. Consil. Regius.

Franciscus Emericus, &c. II.

An. 1543.

Georgius Hieter, &c. III.

Stephanus Sprugl Halens. Art. Mag. Can. Vien.

An. 1544.

Joannes Bapt. Pachaleb. Vien. J.U. Doctor, Consil. Regius, Fisci Inferioris Austriæ Advocat. Lect. Jur. Civil. primarius.

Jacobus Walch à Tessingen, Art. & Med. Doctor.

An. 1545.

Stephanus Raisberger ex Tulna, Art. Mag. Canon. Wien.

Stephanus Raisberger, &c. II.

An. 1546.

Joannes Ludovicus Brassicanus, &c. II.

Wolffgangus Lazius, Wien. Art. & Med. Doctor, ac Profes.

An. 1547.

Lucas Agathopedius, seu Guettenfelder, Art. Mag. & Eloquent. Prof.

Georgius Hieter, &c. IV.

An. 1548.

Joannes Thuerndl, Juris Doctor & Professor.

Franciscus Emericus, &c. III.

An. 1549.

Georgius Muschlerus Oettingensis, Art. Mag.

Leonardus Villinus, seu Höffler, Styrus Leibnizens. Art. & Theol. Doctor Can. Wien.

An. 1550.

Fridericus Harrer, J U Doctor.

Andreas Perlachius, Art. Med. & Mathes. Profes. publicus.

An. 1551.

Sigismundus ab Oedt, Art. Mag. Juris Licent.

Leon-

Leonardus Villinus. &c. Canon. Wien. II.

An. 1552.

Laurentius Kirchamer, Vien. J U Doctor, & Juris Pontificii Profeſ. Ordinar.

Matthias Cornax, Art. & Med. Doctor.

An. 1553.

Georgius Muſchlerus, &c. II.

Laurentius Kirchamer, &c. II.

An. 1554.

Laurentius Kirchamer, &c III. cui in Conſiliarium Excelſi Regiminis aſſumpto, electione ſubrogatus eſt.

Joannes Göſsl, &c II. 10. Julii. II.

Franciſcus Emericus, &c. IV.

An. 1555.

Lucius Crayer. Art. Mag.

Leonardus Villinus, &c. III.

An 1556.

Stephanus Hauptman, J. U. Doctor. Canon. Prof. primarius.

Ludovicus Kynig, Art. & Med. Doctor.

An. 1557.

Lucas Agathopedius. ſeu Guettenfelder, &c. II.

Georgius Eder, J. U. Doctor, Electus loco Theol.

An. 1558.

Georgius Eder, &c. Regis Ferdinandi Conſiliar. II. Electus ex Facult. Jurid.

Georgius Eder, &c. Loco Medici III.

An. 1559.

Georgius Eder, &c. Cæſ. Majeſt. Conſiliar. Imperial. loco Philoſophi IV.

Stephanus Hauptmann, &c. Cui ſub Rectoratu mortuo. Electione ſucceſſit.

Georgius Eder, &c. V.

An. 1560.

Melhior Hoffmair, J. U. Doctor, & Prof. Ordin. 15. April.

Wolff-

Wolffgangus Lazius, Art. & Med. Doctor &c. II.

An. 1561.

Wolffgangus Schäffler, Bavarus J. U. Doctor, El. 15. April.

Wolffgangus Pudler, J. U. Doctor, & Can. Prof.

An. 1562.

Melchior Hoffmair, Art. & J. U. Doctor. II.

Georgius Walter Misnensis, Art. & Med. Doctor.

An. 1563.

Georgius Walter, &c. loco Philosophi II.

Georgius Muschler, &c. III.

An. 1564.

Laurentius Zadesius, Art. Mag. Canon. Vien.

Andreas Dadius seu Kyenbam, Art. & Med. Doctor Dialect. Profes.

An. 1565.

Georgius Sedlmair, Art Mag.

Reverendis. Dionysius Pioppius, Episc. Modruziensis, Theol. Doctor.

An. 1566.

Wolffgangus Pudler, &c. II.

Ladislaus Stuff, Art. & Med. Doctor.

An. 1567.

Christporus Widman Styrus Græcens. Art. Mag. Poës. Profes.

Reverendiss. Dionysius Pioppius, &c. II.

An. 1568.

Georgius Aigmayr. Vien. Juris Doctor.

Casparus Piripach, Weidhoffensis ad Teyam, Art. & Med. Doctor, ejusdémque Practicæ primarius Profess.

An. 1569.

Cornelius Grienwald, Weidhoffen. ad Ypsam, Art. Magist.

Georgius Eder, &c. VI

An. 1570.

Melchior Hoffmair, &c. III.

Bar-

Bartholomæus Reiſacher, Carinthus Philoſ. & Med. Doctor, Mathem. Profeſ.

An. 1571.

Hubertus Luetanus Noviomag. Art. Mag. Dialect. Profeſſ.

Georgius Eder, &c. Theol. Baccal. VII.

An. 1572.

Sigismundus ab Oedt Vien. &c. J. U. Doctor, Regimin; Cancellarius & Univenſit. Superin. II.

Paulus Weidner, Art. & Philoſoph. Doctor. Ling. Hæbr. Profeſ.

An. 1573.

Joannes Pampelius ex Pulcka, Archigrammatæus Magiſt. Vien. Art. Mag.

Joannes Ambroſius Braſſicanus, J. U. Doctor Can. Profeſ. loco Theologi.

An. 1574.

Franciſcus Lackner, Vien. J. U. Doctor.

Joannes Aicholtz, Art & Med Doctor.

An. 1575.

Matthias Lubanus, Art. Mag. Phyſic. Prof.

Thomas Raidelius, Art. & Theol. Doctor, Can. Wien. deinde Decanus Tullnæ, & officialis Paſſav.

An. 1576.

Sigismundus Eisler, Vien. J. U Doctor, Codicis Profeſſ

Georgius Walter, &c. III.

An. 1577.

Benedictus Keinſchnitz, Art. Mag & Prof.

Petrus Muchitſch de Cilea, Art. & Theol. Doctor.

An. 1578.

Petrus Muchitſch &c. Loco Joan. Bapt. Schwarzenthaler Juriſtæ ob Sectam Lutheranam Rectoratu excluſi.

Paulus Weidner, &c. II.

An. 1579.

An. 1579.

Hubertus Luetanus, &c. II.

Petrus Muchitſch, &c. III.

An. 1580.

Georgius Eder, &c. VIII.

Martinus Stopius, Aloſtenſis, Art. & Med. Doct.

An. 1581.

Alexius Straus Carniolanus, Labac. Art. Mag.

Georgius Eder, &c. IX.

An. 1582.

Georgius Eder, &c. X.

Paulus Weidner à Pitterburg, &c. III.

An. 1583.

Stephanus Griſauer Neoforenſ. Styrus, Art. Mag. Ling. Græc. Profeſſ.

Carolus Stredele vien. J. U. Doctor, Canon. Prof. Loco Theol.

An. 1584.

Georgius Eder, &c. XI.

Adamus Pretterſchnegger Styrus ex Weiſskirchen, Art. & Med. Doctor.

An. 1585.

Hubertus Luetanus, &c. III.

Hubertus Luetanus &c. Scholæ Provincialis Rector. IV.

An. 1586.

Michaël Eham, Vien. J. U. Doct. Conſil. Regim.

Benedictus Perger, Art. & Med. Doctor.

An. 1587.

Andreas Widman ex Badenis Auſtriæ, Art. Mag.

Alexander à Lacu, Helvetus, Theol. Doctor Abbas Hilarienſis.

An. 1588.

Martinus Göſsl, Vien. J. U. Doctor, & Profeſſ.

Adamus Pretterſchnegger, &c. II.

An. 1589.

Nicolaus Renner, Vien. Art. Mag. & Profeſſ.

Alexan-

Alexander à Lacu, &c. II.

An. 1590.

Carolus Stredele, &c. Consil. Regim. II.
Andreas Isingius, Art. & Med. Doctor, Ling. Græc. Profes.

An. 1591.

Andreas Gästelius de Stransdorff, Art. Mag.
Melchior Kleselius, Art. Mag. Theol. Licent. Præposit. ad S. Steph. Univers. Cancell.

An. 1592.

Michael Eham, J. U. Doctor &c. II.
Benedictus Perger, &c. II.

An. 1593.

Hubertus Luetanus, &c. V.
Balthasar Scultetus ex Vratislavia. Theol. Doctor, Canon. Vien. & Vratislav. Offic. Patav. infra Onasum.

An. 1594.

Christophorus Pirckheimer, Art. & J. U. Doctor, Regim. Cancell.
Joannes Leander de Nissa, Art. & Med. Doctor.

An. 1595.

Petrus Hoffman de Heilsberga Prutenus, Artium Mag. & Scholæ Civilis ad S. Steph. Rector.
Joannes Pämpelius Vien. S. Theol. Doctor, & Prof. primarius, Canon. Vien.

An. 1596.

Udalricus Kreen, à Krenberg Vien. J. U. Doctor. & Regim. Consil.
Joannes Leandet, &c. II.

An. 1597.

Vitus Schiesser. Art. Mag. & Prof. Physices, Juris Baccal. Canon. & Offic. Episc. Vien.
Balthasar Scultetus, &c. II.

An. 1598.

Matthias Püchelmair, Bavarus Dorfensis J. U. D.
Joannes Büttner Silesius, Art. & Med. Doctor.

An. 1599

An. 1599.

Andreas Prudentius ex Schönbrun Silesius, Theol. Doctor, in rebus Ecclesiasticis infra Onasum Aulæ Consil. Canon. Vien.

Joannes Pollinger, Theolog. Doctor, Can. Vien. & Aulæ Capellanus, dein ad D. Michaëlem Vien. Parochus.

An. 1600.

Stephanus Schlachter ex Pulka, Art. & Juris Doct. Syndicus Magistrat. Vien.

Joannes Petrus Magnus, Art. & Med. Doctor, ejusdémque Profes.

An. 1601.

Nicolaus Renner, Art. Mag. & Profes.

Balthasar Scultetus, &c. III.

An. 1602.

Andreas Picus J. U. Doctor, 15. April. elect.

Benedictus Perger, &c. III.

An. 1603.

Andreas Prudentius &c. II.

Joannes Pollinger &c. sub ipso Rectoratu factus Parochus Egenburgen.

An. 1604.

Vitus Siess, Rhetus J. U. Doctor, Consil. Regim.

Benedictus Perger, &c. Archiducis Matthiæ Medicus IV.

An. 1605.

Vitus Schiesser, &c. Juris Baccal. Canon. & Offic. ad S. Steph. II.

Balthasar Scultetus, &c. IV.

An. 1606.

Jacobus Scholtz, Vien. J. U. Doctor, Regim. Cons.

Tobias Piripach, Vien. Art. & Med. Doctor, Theoriæ Profes. Ordinar.

An. 1607.

Andreas Lechler Fiessens. Art. Mag. & Dial. Professor primarius.

Georgius Puecher, ex Tyliach Tyrolen. Art. & Theol. Doctor, Ling. Græc. Profeſſ. & Parochus ad D. Michaelem Vien.

An. 1608.

Thomas Rueff, Vien. Art. & J. U. Doctor, Inſtitut. Profeſſ. Canon. antehac Vien, ad D. Steph. deinde poſtulatus Canoniæ Clauſtro-Neoburgenſis Præpoſitus, Sereniſs. Archiduc. Leopoldi Epiſc. Paſſav. &c. Conſil. &c.

Joannes Petrus Magnus, &c. II.

An. 1609.

Andreas Prudentius, &c. III.

Joannes Curtius, Art. & Theol. Doctor, Official. Paſſav. infra Onaſum, Sereniſſ. Archiducis & Epiſc. Paſſavienſ. Leopoldi Conſil. Præpoſit. Zwethalenſis.

An. 1610.

Caſparus Schwab, Art. & J. U. Doct: Regim. Conſ.

Guilielmus Rechperger Egenburgenſis, Art. & Med. Doctor, Matheſ. Profeſ. primar.

An. 1611.

Andreas Lechler, &c. Scholæ Provinc: Rector II.

Joannes Caſparus Stredele, Art. & Theol. Doct. Canon. Vien, & Olomuc. deinde præpoſitus Ardeacen.

An. 1612.

Martinus Ericius, J. U. Doctor,

Guilielmus Rechperger, &c. Medicus, Math. Cæſar. II.

An. 1613.

Andreas Lechler, &c. III.

Georgius Puecher, &c. II.

An. 1614.

Petrus Lampertus Sileſius, Art. & J. U. Doctor, Regim Conſil.

Sigismundus Geisler, Art. & Med, Doct.

An. 1615.

Andreas Lechler, &c. IV.

Caro-

Carolus Hüttendorffer, Vien. Art. & Theol. Doctor, Protonot. Apostol. Canon. Olomuc. & Wratisl. & ibidem ad S. Crucem Custos.

An. 1616.

Jacobus Scholtz, &c. II.
Tobias Piripach, &c. II.

An. 1617.

Georgius Siess, Vien. Art. Mag. Organi Aristot. Profess. Canon. ad St. Steph. Wien.
Hieronymus Widmer, Theol. Doctor, Canon. ad S. Steph. Vien.

An. 1618.

Philippus Pizan, Schönflussensis e Marchia Brandeburg. J. U. Doctor Inst. Profess. El 28. April.
Sigismundus Geisler, &c. II.

An. 1619.

Henricus Abermann, Dutlingensis ex Wirtenbergia, Art. Mag. & Profess.
Casparus Quorckius, Theolog. Doctor, Præposit. Zwethal.

An. 1620.

Joannes Landaw, Westphalus J. U. Doctor, Statuum Provincial. Inferioris Aust. Syndicus.
Sigismundus Geisler, &c. III.

An. 1621.

Georgius Siess, &c. II.
Michael Hoffmann Silesius, Theol. Doctor, Decanus in Willersdorff.

An. 1622.

Michael Friderich, J. U. Doctor, S. C. Majest. in rebus Eccl. infra Onas. Consil.
Guilielmus Rechberger &c. Cæs. Personæ Medic. & Consil.

An. 1623.

Christophorus Schaffer, Moravus Olomuc. Art. Mag. Abbas S. Crucis, electus quidem 22. April. Cui tamen Officio Rectoris, Jussu Cæsaris, decedere

dere coacto post aliquot hebdomadas authoritate Cæsaris substitutus, & confirmatus est.
Guilielmus Rechperger, &c. IV.
Georgius Fridericus Coller Vien. Theol. Doctor, ad S. Michaëlem Parochus.

An. 1624.

Lucas Bonannus, ex Marchia Brandeburg, J. U. D. Cæs. Majest. Consil. & Fisci Inferioris Austr. Procurator.
Adamus Olitorius, Art. & Med. Doctor, ejusdémque Profess.

An. 1625.

Georgius Siess, &c. III.
Paulus Porsius Westphalus Theol. Doct. Canon. Olomuc. & Wratislav. Decanus in Mistelbach.

An. 1626.

Martinus Haffner, Vien. J. U. Doctor, Reg. Consil.
Joan. Casparus Crafft, Suevus, Art. & Med. Doctor, El. 22. Octobr.

An. 1627.

Georgius Siess, &c. IV.
Michael Hoffmann, Theol. Doct. &c. 16. Oct. II.

An. 1628.

Georgius Pacher Aust. ex S. Bernard. J. U. Doctor, Reg. Cons.
Guilielmus Rechberger, &c. V.

Ab Hinc Rectoratus Academicus, cæteráque Officia, ex Decreto Cæsaris Ferdinandi II. iterum cæpit esse annuus. Quare confirmatus est ejusdem Cæsaris authoritate Rectoratus Guilielmo Rechberger usque ad 20. Octobris anni sequentis 1629.

An. 1629.

Clemens Koppitz, Carinth. Art. Mag. Can. ad S. Steph. Vien. & Sacellanus Aulicus El. 20. Oct.

An. 1630.

Stephanus Zwirschlag, Austr. Ducumburg. Art. & Theo-

& Theolog. Doctor Canon. ad S. Steph. Wien. Elect. 24. Octobr.

An. 1631.

Carolus Perger, Vien. J. U. Doctor Consil. Regim. Elect. 27. Octobr.

An. 1632.

Joannes Guilielmus Managetta, Aust. Wilhelmsburg, Art. & Med. Doctor, Cæs. Personæ Medicus & Consil. primarius Medicinæ practicæ Prof. elect. 13. Oct.

An. 1633.

Georgius Siess, &c. V.

An. 1634.

Stephanus Zwirschlag, &c. II.

An. 1635.

Georgius Weinzerle Carniolus, J. U. Doctor, & Fisci Inferioris Aust. Procur.

An. 1636.

Leonardus Milgiesser, Art. & Med. Doctor, Sereniss. Archid. Gulielmi Leopoldi Medicus.

An. 1637.

Petrus Hoffmann ab Anckerscron, Art. Mag. Cameræ Aulicæ Secret. & sub Rectoratum nominatus Rei ferrariæ Præfectus, cui Stiræ 8. Julii defuncto, ex electione successit

Georgius Siess, &c. VI.

An. 1638.

David Gregorius Cornerus, Art. & Theol. Doct. Abbas Götwicensis.

An. 1639.

Joannes Bapt. Pinellus Vien. Art. & J. U. Doctor Regim. Consil.

An. 1640.

Joannes Guilielmus Managetta, &c. II.

An. 1641.

Josephus Kupfersin Carniolus, Art. Mag. Præpos. Canon. Regul ad S. Andream, deinde Ducumburgi postulatus.

An. 1642.

Stephanus Zwirſchlag, &c. Decanus Capituli ad S. Steph.

An. 1643.

Joannes Henricus Straſſer, Bohemus Budvicenſ. J. U. Doctor, Conſil. Regim.

An. 1644.

Joannes Fünfflentner Bavarus Schardingenſ. Art. & Med. Doctor, dein Præpoſitus Canon. Regul. ad S. Hyppol.

An. 1645.

Rainoldus à Rungen, Weſtphalus Paderbornen. Art. Mag. Cameræ Aulicæ Secret.

An. 1646.

Marcus Antonius Caccia, Art. & Theol. Doctor, Canon. ad S. Steph. Vien.

An. 1647.

Bernardus Holler, J. U. Doctor, & Canon. Profeſ. Regim. Conſil. cui 2. Junii faſcibus Academicis immortuo, ex ſuffragiis Procuratorum ſuffectus eſt.

Michaël Wirſing, J. U. Doctor, Regiminis Conſiliarius Elect. 7. Junii.

An. 1648.

Joannes Guilielmus Mannagetta, &c. III. Elect. 28. Novemb.

An. 1649.

Joannes Carolus ab Aichpichl, Art. Mag. Cam. Aul. Secretarius. El. 23. Novemb.

An. 1650.

Georgius Taſch, Weſtphal. Art. & Theol. Doct. Can. ad S. Steph. Wien. El. 22. Nov.

An. 1651.

Michaël Wirſing, &c. II.

An. 1652.

Joannes Guilielmus Mannagetta, &c. Elect. 22. Novemb. IV.

An. 1653.

Joannes Guilielmus Mannagetta, &c. Confirmatus Authorit. Cæsaris Ferdinandi III. in Rectoratu, die 18. Novemb.

An. 1654.

Matthæus Kolweiss, Art. & Theol. Doctor, Abbas Cisterciens. Campiliorum, Consil. Cæsar,

An. 1655.

Jacobus Thavonatus, J. U. Doct. Can. Profess. El. 5. Decemb.

An. 1656.

Joannes Guilielmus Juncker, Art. & Med. Doct. Cæs. personæ Medic. & Consil. El. 23. Novemb.

An. 1657.

Casparus Joannes Piripach, Art. & Phil. Doctor, Scholarum ad S. Steph. Rector, Quæstor Universitatis, El. 13. Novem. posteaquam delatos Academicos fasces, Reverend. D. Josephus Kupfersin, Præpositus Ducumburg. recusâsset.

An. 1658.

Laurentius Aidinger, Art. & Theol. Doctor, Sacr. Cæs. Maj. Consil. Canon. ad S. Stephanum, Decanus in Mistlbach. El. 7. Decemb.

An. 1659.

Andreas Leonardus Denck, J. U. Doctor; Consil. Regim. El. 5. Decemb.

An. 1660.

Joannes Guilielmus Mannagetta, &c. Statuum Provin. Austriæ Protomedic. VI. El. 30. Nov.

An. 1661.

Joannes Guilielmus Mannagetta, &c. Elect. à tribus Procuratoribus 16. Novemb. reclamante Procuratore Nat. Hung. & tot. Facult. Philos.

An. 1662.

Petrus Vauthier, Bruntrutanus, Art. & Theolog. Doctor, Canon. Vien. Elect. 24. Novembr. postquam Matthæus Mauchter, Theol. Doctor, & Canon.

Canon. Vien. Rectoris Officium sibi delatum recusasset

An. 1663.

Fridericus Grüner, Franco, J. U. Doctor, Regim. Consil, El. 28. Novemb.

An. 1664.

Joannes Ludwig, Art. & Med. Doct. El. 1. Decemb.

An. 1665.

Balthasar Nolarn de Nolnstein, Vien. Phil. Doct. S. C. M. Consil. Comes Palatinus, & Auratæ Militiæ Eques.

An. 1666.

Paulus Zhernich, Carniolus, Art. & Theol. Doct. Canon. Vien. Protonot. Apost. Decanus Kirchberg. El. 6. Decembr.

An. 1667.

Joannes Thomas Mollitor, Alsata, J. U. Doctor, Regim. Consil. El. 30. Novemb.

An. 1068.

Paulus Sorbaith, Belga Hanon. Artium & Medic. Doct. Imperatr. Eleononæ Viduæ personæ Medicus, & Praxeos Professor primar. El. 30. Nov.

An. 1569.

Balthasar Nolarn de Nolenstein, &c. El. 30. Nov. II.

An. 1670.

Matthæus Kolweiss, &c. El. 30. Nov. II.

An. 1671.

Maximilianus de Sala, de Jeütendorff & Stollberg, J. U. D. Regim. Consil. El. 30. Novemb.

An. 1672.

Christianus Rechberger, Vien. Art. & Med. Doct. Cæs. personæ Med. & Consil. El. 25. Novemb.

An. 1673.

Balthasar à Nolarn de Nolenstein, &c. III.

An. 1674.

Hieronymus Haiden, Art. & Theol. Doct. Præpositus Canon. Reg. ad S. Dorotheam &c.

An. 1675.

An. 1675.

Michael Bechtoldt, J. U. D. Regim. Consil. obiit ipso in Rectoratu 21. Aprilis, cui ex electione successit.

Georgius Wochinitz, J. U. Doctor, Canon. Profes. Consist. Vien. Episc. Consiliarius.

An. 1676.

Franciscus Ganser, Passaviens. & Medic. Doctor. El. 29. Novemb.

An. 1677.

Balthasar Nolarn de Nolenstein, &c. IV.

An. 1678.

Joannes Bapt. Mayr, Tyrolens. Theolog. Doctor, Decanus Capituli Canon. ad S. Steph. Viennæ, El. 30. Novemb.

An. 1679.

Rudolphus Carolus Kazius, J. U. D. Consil. Regim. El. 30. Nov.

An. 1680.

Wolffgangus Plöckner, Art. & Med. Doctor, Statuum Inf. Austr. Protomedicus, El. 30. Nov.

An. 1681.

Joannes Guilielmus de la Bresche, Art. & Philos. Doct. Can. Vien. Elect. 30. Novemb.

An. 1682.

Laurentius Grüner, Art. & Theol. Doctor, Can. ad S. Stephan. Vien. Elect. 30. Novemb. Cui anno sequente sub ipsa Viennæ Obsidione, 12. Augusti mortuo, ex Electione subrogatus est

Joannes Bapt. Mayr, Theol. Doct. &c. II. 19. Aug.

An. 1683.

Joannes Georgius Hoffmann, J. U. Doct. Consil. Regim. El. 30. Nov.

An. 1684.

Ferdinandus Fridericus Illmer de & in Wartenberg, Artium & Medicinæ Doctor, Cæs. personæ

ſonæ Medicus, & Conſiliarius, profeſſor publicus, & Senior Conſiſtor. El. 30. Novemb.

An. 1685.

Joannes Antonius de Veſtenburg, Vien. Artium & Philoſoph. Doctor, Canon. ad S. Steph. Vien. El. 30. Novemb.

An. 1686.

Benedictus Eberl, Art. & Theol. Doctor, Can. ad Steph. Vien. El. 30. Nov.

An. 1687.

Thomas Zwick, J. U. D. Conſil. Reg. El. 30. Nov.

An. 1688.

Joannes Jacobus Stumpff, Art. & Med. Doct. Cæſ. perſonæ Medic. El. 30. Novembr.

An. 1689.

Joannes Antonius de Veſtenburg &c. Cui anno altero, 28. Sept. Rectoratui immortuo ex Electione ſucceſſit.

Joannes Ferdinandus Nolthæus, Art. & Philoſ. Doct. Can. Reg. ad S. Dorotheam Decanus.

An. 1690.

Franciſcus Joſephus Garzarol de Garzarolshofen, Art. & Theol. Doctor, Abbas S. Georgii de Chanad, Director Patav. Curiæ infra Onaſum, Decanus & Parochus Stocherovii. El. 30. Nov.

An. 1691.

Georgius Leonardus Weigler, J. U. Doct: Canon. Prof. publ. El. 30. Novemb.

An. 1692.

Wolffgangus Plöckner, &c. Jubilatus Med. Doct. & Maritus. El. 30. Nov. II.

An. 1693.

Joannes Ferdinandns Nolthæus, &c. II. Elect. 30. Novembr.

An. 1694.

Hieronymus Hayden, &c. II. Elect. 30. Novemb

An. 1695.

An. 1695.

Georgius Fridericus Schick, Vien. J. U. D. Regim. Consil. El. 30. Novemb.

An. 1696.

Carolus Festa, Art. & Med. Doct. El. 30. Nov.

An. 1697.

Macarius Abentheurer, Bojus Frising. Artium & Phil. Doct. Can. ad S. Steph. Vien. El. 30. Nov.

An. 1698.

Joannes Franciscus Haberman. Art. & Theol. Doctor, Canon. ad S. Steph. Vien. El. 30. Nov.

An. 1699.

Franciscus Josephus Krapff, J. U. D. Camer. Aul. Consil. & Referendarius, Elect. 30. Novemb.

An. 1700.

Franciscus Stockhammer, Art. & Med. Doct. Cæs. Personæ Medicus, & Consil. El 30. Novemb.

An. 1701.

Joannes Ferdinandus Nolthæus. &c. Can. Regul. ad S. Dorotheam Præpositus III.

An. 1702.

Adamus Reinhardus Pistorius, Vien. Artium & Theol. Doctor, Canon. ad S. Stephan. Vien. El. 30. Nov.

An. 1703.

Jacobus Greissing, ex Sylva Brigant. J. U. Doctor, Consil. Regim. El. 30. Novemb.

An. 1704.

Martinus Antonius Van Dthan, Art. & Med. Doct. ejusdemque Professor primarius. El. 30. Nov.

An. 1705.

Macarius Abentheurer, &c. II.

An. 1706.

Bertoldus Dietmayr, Art. & Theol. Doctor, Abbas Ord. S. Benedicti Melicii, Statuum Inf. Aust. Primas. El. 30. Novemb.

An. 1707.

Antonius Josephus ab Oettl, J. U. Doctor, Consil.

Aulo-

Aulo-Bellicus, & Generalis Universæ Militiæ Auditor, El. 30 Novembr.

An. 1708.

Joannes Fraanciscus de Deimbl, Art. & Medicinæ Doctor. El. 30. Novemb.

An. 1709.

Franciscus Adolphus Braitenbücher, Vien. Art. & Philosoph. Doct. Cameræ Silesiensis Briegensf. Consiliarius, ejusdémque ad Aulam Cæsar. Referendarius. El. 30. Nov.

An. 1710.

Ernestus Perger, Art. & Theol. Doctor, Can Reg. Claustro Neoburgi Præpositus, Statuum Infer. Austr. à rationibus Deputatus.

An. 1711.

Paulus Christophorus Schlitter, Vien. J. U. Doct. Consil. Regim. & Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ Viduæ Consil. Aulicus. El. 1. Decemb.

An. 1712.

Carolus Wolffgangus Lebzelter, Art. & Medicinæ Doctor, Professor publ. primarius, Cæs. personæ Med. & Consil. El. 30. Novemb.

An. 1713.

Joannes Georgius Kräfftl, Palatinus Schwandorff, Art. & Philoph. Doct. Canon. ad S. Steph. Vien. El. 1. Decemb.

An. 1714.

Godefridus Bessélius, Art. & Theol. Doct. S. C. M. & Eminentissimi Archiep. ac Electoris Moguntini Consiliarius respectivè intimus & actualis. El. 5. Decemb.

An. 1715.

Georgius Christophorus Mayeditsch, Carniolus, J. U. D. Regim. Consil. El. 5. Decemb.

An. 1716.

Henricus Angelus Nobilis de Blümer, Westphal. Art. & Med. Doctor, El. 4. Decemb.

An. 1717.

An. 1717.

Franciſcus Georgius Beyer de Binnen. Vien. Art. & Phil. Doct. Canon. ad S. Steph. Vien. Conſiſt. Epiſcopal. Conſiliarius, El. 4. Decemb.

An. 1718.

Georgius Henricus de Lamprecht, Franco, Art. & Theol. Doct. Canon. ad S. Steph. Vien. & Decanus actualis. El. 4. Decemb.

An. 1719.

Joannes Bertrandus Mayer de Meyersfels, J. U. D. ejusdémque Profeſſor publicus primarius Emeritus, S. C. M. Conſiliarius, & Cameræ Aulæ ac Auſtriacæ procurator. El. 2. Decemb. Qui faſcibus Academicis 15. Auguſti An. 1720. immortuo, ex Suffragiis Procuratorum Succeſſor datus.

Joannes Conradus de Kramern, Suevus, J. U. D. Generalis Cæſar. Militiæ Audit. El. 24. Aug.

An. 1720.

Jacobus Ignatius de Focki, Vien. Art. & Med. Doct. Cæſ. Regiæque Cath. Maj. nec non Imperatric. Viduæ Amaliæ perſonæ Medicus & Conſil. El. 30. Nov.

An. 1721.

Edmundus Schlecht, è Diæceſ. Colon. Artium & Phil. Doct. Canon. ad S. Stephanum Vien. El. 30. Nov.

An. 1722.

Franciſcus Antonius Gusmann, Vien. Artium & Theol. Doctor, Canon. ad S. Stephanum, & Archiepiſc. Conſiſt. Conſiliarius. El. 30. Nov.

An. 1723.

Joannes Conradus de Kramern, J. U. D. Generalis Cæſ. Militiæ Auditor, ſeu ſupremus Judex Campeſtris. Elect. 30. Novemb.

An. 1724.

Joannes Wolffgangus de Preyſern, Bavarus. Art. & Med. Doct. & Excelſi Regim. in rebus Sanitatis publicæ Conſil. El. 4. Decemb.

CATA-

CATALOGUS

Cancellariorum Universitatis Viennensis secundùm Documenta Academica; Capituli ad S. Stephanum: & Commentarios R. P. Antonii Steyrer constitutus.

Ab erectione Ecclesiæ S. Stephani à Rudolpho IV. Anno 1365. ex concessione Pontificis Urbani V. in Collegiatam, seu Capitularem Canonicorum Collegiatorum, cujus Præpositum Rudolphus Dux Fundator, & Pontifex, Universitatis semper Cancellarium esse voluit, fuit Cancellarius.

I.

Joannes Meyrhoffer, Anno 1365. à Rudolpho Duce ad Præpositi dignitatem vocatus, deinde Anno 1376. ad Infulas Gurcenses in Carinthia translatus. Obiit 1402.

II.

Bertholdus de Weching, Art. Mag. creatus Præpositus An. 1376. factus Episcopus Frisingensis An. 1381. Obiit An. 1417.

III.

Georgius de Liechtenstein creat. Præpos. An. 1381. translatus ad Infulam Tridentinam An. 1390. renuntiatus Cardinalis 1411. Obiit An. 1420.

IV.

Antonius, cujus gentis fuerit, nondum constat. nominatus, & installatus An. 1390. præfuit An. 16. Obiit An. 1406.

V.

Wilhelmus Turso, seu Twrs, Nobili Austriæ genere ortus, creat. Præpos. An. 1406. Obiit An. 1439.

VI.

Conradus Zeideler, creat. Præpos. An. 1440. Obiit An. 1442. Domini. Palmar.

VII. Alexan-

VII.

Alexander Dux Maſſoviæ, Friderici III. Cæſaris Avunculus, Patriarcha Aquilejenſis, Tridentinæ, ac Curienſis Eccleſiæ Adminiſtrator; renuntiatus eſt, nominante Friderico Cæſare, Præpoſ. S. Stephani Vien. a Synodo Baſileenſi An. 1442. Obiit An. 1444. ad D. Stephanum ſepultus.

VIII.

Albertus Comes de Schaumburg, Canonicus Pataviensis; qui licèt primò decimum quartum ætatis annum ageret, à Friderico Cæſare tutorio Ladislai nomine Auſtriam adminiſtrante, Præpoſ. An. 1444. nominatus eſt, & anno ſequenti à Patribus in Synodo Baſileenſi congregatis confirmatus, ùt expreſſé habet *Bulla* eorundem Patrum in Tabul. Capit. Vien. à me lecta, & inſpecta. Eædem Tabulæ referunt, eundem Albertum Præpoſ. An. 1460. Papiam ſtudiorum cauſa profectum. Præfuit Præpoſ. ad An. usque 1471. Abinde ſex annis Præpoſituram vacâſſe, *Acta Facult. Philoſ.* diſertè teſtantur. Quod quidem exinde eveniſſe conjicio, quòd jam tunc de transferendis Præpoſiti rtditibus ad Menſam Epiſcopalem Fridericus Cæſar cum Pontifice tractaret.

IX.

Joannes Archiepiſcopus Strigonienſis, renuntiatus Adminiſtrator Præpoſituræ An. 1477. quod munus geſſit usque ad An. 1480. Cancellarii autem officium usque ad An. 1483. ùt clarè eſt colligere ex iis Documentis, quæ ad An 1480. & 1484. Conſpectui noſtro inſeruimus.

X.

Thomas de Cilia, creatus, & inſtallatus Præpoſ. ad S. Steph. An. 1480. eodem ſcilicet anno, quo Eccleſia D. Steph. in Sedem Epiſcopalem à Friderico

derico Cæsare erecta, & constituta est. Primus igitur fuit Præpos. Eccl. Cath. Vien. quamvis Cancellarii munere primùm fungi cœperit An. 1484. Translatus est ad Insulam Constantiensem An. 1491.

XI.

Virgilius Cantzler ex Salisburga; Creat. Præpos. An. 1491. Dominica post festum S. Elisabeth. Obiit An. 1502.

XII.

Justus Kasman, nullo litterario gradu insignis; Creat. Præpos. An. 1502. Obiit An. 1510.

XIII.

Joannes Busch, SS Theol. Doctor, Creat. Præpos. An. 1510. Obiit An. 1516.

XIV.

Paulus ab Oberstein, J. U. Doctor, Maximiliano Cæsari à Secretis; Creat. Præpos. An. 1516. præfuit annos octo, & viginti. Obiit An. 1544.

XV.

Joannes Rosinus; Instructor Regiorum Liberorum Ferdinandi I. Orator celebris, Poeta Laureatus; Creatus Præpos. An. 1544. Obiit Anno 1545.

XVI.

Joannes Saver, Theolog. Doctor, Creatus Præpos. An. 1545. Obiit An. 1553.

XVII.

Martinus Bondenarius, Celebris Juris Consultus, & Professor, Viennam à Ferdinando I. accersitus: Creatus, Præpos. Vien. An. 1553. cum simul esset Præpos. Ardeacensis. Obiit 17. Sept. An. 1656.

XVIII.

Matthias Werthwein, Phorzheimensis, Theol. Doctor, Creat. Præpos. An. 1556. Resignavit An. 1569.

XIX.

Michaël Echtzius, Theol. Doctor, Creat. Præpos. An. 1569. Obiit An. 1576.

XX. Mel-

XX.

Melchior Kleselius, Vien. Art. Mag. Theol. Baccal. Renunciatus Præpos. An. 1579. Episcopus Neostad. An. 1588. Vien. An. 1598. administratorio primùm nomine, dein in utroque confirmatus; demum An. 1616. Tit. S. Mariæ de pace, Cardinalis Prebs. Gessit hæc officia ad An. usque 1930. quo 17. Sept. Neostadii obiit.

XXI.

Christianus Laurentius Oern ab Arup, Decanus, Theologiæ Doctor, Nominatus præpositus An. 1630. Confirmatus à Sede Apostolica An. 1631. Obiit 12. Martii An. 1636.

XXII.

Tobias Schwab, Vien. J. U. Doctor, Creatus & instal. Præpositus 1636. Feria secunda Pentecostes. Obiit 1. Febr. An. 1640.

XXIII.

Joannes Augustinus Zwerger, Vien. U. J. Doctor, Creat. Præpos. An. 1640. Obiit An. 1648.

XXIV.

Stephanus Zwirschlag, Aust. Ducumburg, Art. & Theol. Doctor, Creatus Præposit. An. 1648. Obiit An. 1665.

XXV.

Laurentius Aidinger, Artium, & Theol. Doctor, Curatus ad S Steph. dein Leopoldi I. tum Archiducis Instructor; subinde Canonicus, & Creatus Præpositus An. 1665. 13. Decemb. anno altero nempe 1666. 13. Febr. Renunciatus Episcopus Neostadi. & in Ecclesia Aulica Augustinian. Vienn. præsente Cæsare An. 1667. 20. Martii, consecratus. Obiit An. 1669. 23. Julii.

XXVI.

Petrus Vauthier Bruntrut. Artium & Theol. Doctor, Creatus Præpositus An. 1667. 12. Junii. Obiit An. 1683. 4. Sept.

XXVII.

Joannes Baptista Mayr. Tyrolens. Art. & Theol. Doctor, Creatus Præposit. An. 1684. 24. Junii Obiit An. 1699. 8. Martii.

XXVIII.

Hermanus Claudius Klöker, Vien. J. U. Doctor, Creatus Præp. 1699. Obiit An. 1708. 12. April.

XIX.

Josephus Henricus Jacobus Braitenbücher, Vien. Art. & Theol. Doctor, Creat. Præposit. An. 1708.

CATALOGUS SUPERINTENDENTUM.

JOañem Cuspinianum non primũ apud Universitatem Vien. fuisse *Superintendentem*, quem vocamus *Principis*, exinde sat manifestum est, quæ ad annum 1500. docuimus. Seriem itáque eorum ex documentis eruere mens, consiliúmque fuit, nisi temporis angustiæ inhibuissent Ne tamen editos hactenus Superintendentum Catalogos relinquamus incastigatos, quantùm fieri potuit eorum saltem nomina, qui pervolvendo Acta Academica nobis innotuêre, in lucem proferimus

Ægidius Schatauer, sub Friderico III. Cæs.

Bernardus Perger, usque ad 1500.

Joannes Cuspianus, Medic. Doct. Poët. Laur. &c. usque ad 1529.

Joannes Pilhamer, Med. Doct. usque ad 1539.

Stephanus Schwarz, J. U. D. Reg. Cons. usque 1544.

Joan. Ludovicus Brassicanus J. U D. Regim. Cons. usque 1546.

Bernardus Walther, J. U. D. Regim. Cons. usque 1548.

Lucas Agathopedius, seu Guettenfelder, Artium Mag. circiter usque 1551.

Joannes Göſsl, J. U. D. Reg. Conſ. usque 1560.
Wolffgangus Lazius, Med. Doct. & usque 1564.
Sigismundus ab Oedt, J. U. D. Reg. Cancel. usque. 1591.
Carolus Stredele, J. U. D. Reg. Conſ. usque 1598. á quo vacabat per Biennium.
Matthias Püchlmayr, J. U. D. Reg. Conſ. usque 1609.
Chriſtianus Schäffler, J. U. D. Reg. Conſ. & Cancel. usque 1638.
Georgius Pacher, J. U. D. Reg. Conſ. usque 1640. quo anno reſignanti ſucceſſit.
Carolus Perger, J. U. D. Reg. Conſ. & Cancel. usque 1646. ab inde tribus annis vacabat Superint.
Joannes Bapt. Suttinger, J. U. D. Reg. Conſ. & Cancel. cui an. 1659. reſignanti ſucceſſit.
Joannes Chriſtophorus Hörmann, J. U. D. Reg. Conſ. & Cancel. usque 1668.
Thomas Mollitor, J. U. D. Reg. Conſ. usque 1671.
Joannes Georgius Frey, J. U. D. Reg. Conſ. usque 1679.
Maximilianus de Sala, J. U. D. Reg. Conſ. & Cancel. reſignavit 1691.
Joannes Georgius Hoffman, J. U. D. Excelſ. Reg. Conſil. reſignat an. 1699.
Thomas Zwick, J. U. D. Reg. Conſ. usque 1716.
Chriſtophorus Fridericus de Schmid, Nob. D. de & in Meyenberg, J. U. D. Excelſ. Reg. inferioris Auſtriæ Cancel. actualis, & Superintendens Univerſitatis.

CATALOGUS

Academici Soc. JESU Collegii RECTORUM.

Ab Anno 1622. ad cujus finem Collegium Univerſitati eſt incorporatum.

GUilielmus Lamormaini usque ad finem 1624.
Marcus Noëlius usque ad 1628.

Mi-

Michaël Sumereker usque ad 1631.
Joannes Rumer usque ad 1633.
Euſtachius Paganus usque ad 1635.
Joannes Schega usque ad 1640.
Gulielmus Lamormaini usque ad 1643.
Bernardus Geyer usque ad 1645,
Leonardus Bachin usque ad 1648.
Joannes Bertholdus usque ad 1651.
Ferdinandus Herberſtein usque 1654.
Franciſcus Pizzoni usque 1657.
Bernardus Geyer usque ad 1661.
Joannes Bertholdus usque ad 1663.
Everardus Hierſchberger usque ad 1666.
Nicolaus Avancinus usque ad 1669.
Jacobus Valentini usque ad 2672.
Everardus Hirſchberger usque ad 1676.
Michaël Sautter usque ad 1680.
Michaël Marck usque ad 1684.
Franciſcus Vogelmayr usque ad 1688.
Ferdinandus Achatius usque ad 9. Novemb. 1689.
Michaël Marck usque ad 1692.
Ferdinandus de Gallo usque ad 1695.
Franciſcus Vogelmayr usque ad 1699.
Franciſcus Rescalli usque ad 1703.
Gabriel Heveneſi usque ad 1707.
Franciſcus Vogelmayr usque ad 1710.
Gabriël Hevenſi, usque 1710.
Joſephus Schaletari mortuus 1712.
Franciſcus Hochenburger usque ad 1716.
Jacobus Wenner usque ad 1718.
Joan. Bapt. Thulner usque 1721.
Fridericus Wibmer usque 1725.
Joannes Bapt. Thulner.

Quibus Regnantibus Literariæ Reipublic. Proceribus, déque ea optimè meritis; Annos, Sanitatem, ſortem proſperam ſinceris votis ominamur, & precamur.

